


HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 049 714 017

INTRODUCTIO IN CORPUS JURIS CANONICI.

CUM APPENDICE

BREVEM INTRODUCTIONEM IN CORPUS JURIS CIVILIS

CONTINENTE.

INTRODUCTIO

IN

CORPUS JURIS CANONICI.

CUM APPENDICE

BREVEM INTRODUCTIONEM

IN CORPUS JURIS CIVILIS

CONTINENTE.

EXARAVIT

DR. FRANCISCUS LAURIN,

C. R. CAPELLANUS AULICUS, JURIS CANONICI IN FACULTATE THEOLOGICA C. R. UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS, SUAE SANCTITATIS PAPAE LEONIS XIII. PRAELATUS DOMESTICUS.

CUM APPROBATIONE CELSMI AC REVMI ORD. ARCHIEP. VINDOB.



FRIBURGI BRISGOVIAE ET VINDOBONAE.
SUMPTIBUS HERDER,
TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII.
MDCCCLXXXIX.
EJUSDEM LIBRARIAE AEDES SUNT ARGENTORATI, MONACHII ATQUE IN URBE S. LUDOVICI AMERICANA.

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae.

EXCELLENTISSIMO

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO, DOMINO

MATTHAEO JOSEPHO BINDER,

EPISCOPO SANHIPPOLYTANO,

SUAE SANCTITATIS PRAELATO DOMESTICO ATQUE AD SOLIUM PONTIFICIUM ASSISTENTI, SUAE CAESAREAE AC REGIAE APOSTOLICAE MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO ACTUALI, INSIGNIS CAES. AUSTRIACI ORDINIS LEOPOLDINI COMMENDATORI, S. THEOLOGIAE DOCTORI ETC. ETC.,

FAUTORI ET AMICO SUO VERE PATERNO,

HOC OPUSCULUM

IN SIGNUM PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS
ET INTIMAE GRATITUDINIS

NUNCUPAT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quas jam per viginti annos et ultra in Facultate theologica c. r. Universitatis Vindobonensis habemus praelectiones, in Corpus juris canonici introducentes et, quatenus ad hunc finem omnino necessaria est, etiam Corporis juris civilis romani cognitionem subministrantes, eas hoc opusculo in publicum dedimus.

Ad quod tum plurium discipulorum nostrorum votis, tum eo permoti sumus, quod cognovimus, esse, qui illas praelectiones nostras a nostris auditoribus in schola litteris mandatas, expilare, magnas earum partes sine ulla hujus rei mentione exscribere et tanquam suas ipsorum lucubrationes in vulgus edere non erubuerint.

Quibus perpensis, ne vel dilectorum discipulorum nostrorum vota spernere, vel, quod isti compilatores e rebus nostris amoverant, nos e rebus eorum abstulisse videremur, ipsi dictas praelectiones nostras hoc opusculo in lucem dandas suscepimus.

Uti in praefatis praelectionibus, in schola habitis, facere consuevimus, ita etiam in hoc opusculo illos viros eruditos, quorum studiis et laboribus usi sumus, expresse nominare sategimus. Quorum virorum gratam omnibus diebus vitae nostrae servabimus memoriam. Deus ipse sit eis retributor!

Qua occasione simul ex intimo animo agere gratias debemus egregio viro *Benjamino Herder*, bibliopolae Friburgensi, qui, generatim de fovenda re litteraria catholica praeclare meritus, etiam huic opusculo typis imprimendo et in lucem edendo cum prompto animo generosum favorem impendit. Cui quum vivo nequeamus amplius gratias referre, — Deus illum, ordinarios vitae humanae his in terris annos (Psalm. 89, 10.) emensum, septuagenario majorem, die 10. h. m. in patriam coelestem avocavit, — ei debitum nostrae gratitudinis officium in sanctissimo Missae Sacrificio persolvere satagemus. Adimpleatur ei illa divini Salvatoris promissio (Joan. 11, 25.): „Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet!"

Vindobonae, in festo S. Leopoldi, die 15. Novembris 1888.

Auctor.

CONSPECTUS.

PROLEGOMENA.

Definitio introductionis in Corpus juris canonici et partitio materiae.

PARS PRIMA.

DECRETUM GRATIANI.

CAPUT PRIMUM.

Ejus materia et praesens divisio atque nonnulla de ratione ipsum citandi, tum ea, quae nunc observatur, tum illa, quae olim observari consuevit.

CAPUT SECUNDUM.

Auctor hujus operis atque ejus adornandi ansa et modus.

CAPUT TERTIUM.

Originarius Decreti ambitus.

CAPUT QUARTUM.

Originaria Decreti forma.

CAPUT QUINTUM.

Praestantia Decreti ejusque influxus in jus ecclesiasticum.

CAPUT SEXTUM.

Fata Decreti.

ARTICULUS PRIMUS.

Inde ab ejus ortu usque ad primam ejus editionem.

ARTICULUS SECUNDUS.

Inde a prima Decreti editione usque ad editionem ejus authenticam Romanam a. 1582

ARTICULUS TERTIUS.

Inde ab editione Decreti Gratiani Romana authentica a. 1582 usque ad praesens.

CAPUT SEPTIMUM.

Character et valor Decreti.

CAPUT OCTAVUM.

Usus Decreti, subsidia litteraria ad illud interpretandum et utilitas studii ipsius.

Pag.

PARS SECUNDA.

COLLECTIONES DECRETALIUM.

SECTIO PRIMA.

Collectiones decretalium, post Decretum Gratiani usque ad Pontificatum Gregorii IX. (1227—1241) excl. adornatae.

SECTIO SECUNDA.

Collectio decretalium Papae Gregorii IX. a. 1234.

CAPUT PRIMUM.

Causa adornandae hujus decretalium collectionis, ejus nomina et divisio eamque citandi ratio, hodierna et pristina.

CAPUT SECUNDUM.

Modus in adornanda hac decretalium collectione observatus.

Pag.

CAPUT TERTIUM.

Approbatio et publicatio collectionis decretalium Papae Gregorii IX.

CAPUT QUARTUM.

Character hujus collectionis decretalium.

CAPUT QUINTUM.

Fata hujus collectionis decretalium.

ARTICULUS PRIMUS.

Inde ab ejus ortu usque ad ejus editionem authenticam Romanam a. 1582.

ARTICULUS SECUNDUS.

Inde ab editione hujus collectionis authentica Romana a. 1582 usque ad hoc tempus.

CAPUT SEXTUM.

Hodiernus valor collectionis decretalium Gregorianae in genere et singulorum, quae in ea continentur, in specie. Praecipui commentarii in hanc collectionem decretalium.

Pag.

SECTIO TERTIA.

Collectiones decretalium, post collectionem Papae Gregorii IX. a. 1234 usque ad Pontificatum Bonifacii VIII. (1294—1303) adornatae.

SECTIO QUARTA.

Liber Sextus decretalium Papae Bonifacii VIII. a. 1298.

CAPUT PRIMUM.

Causa adornandae hujus decretalium collectionis, ejus designatio et divisio, et eam citandi ratio.

CAPUT SECUNDUM.

Modus in adornando Libro Sexto observatus.

Pag.

CAPUT TERTIUM.

Approbatio et publicatio Libri Sexti.

CAPUT QUARTUM.

Character Libri Sexti.

CAPUT QUINTUM.

Fata Libri Sexti.

ARTICULUS PRIMUS.

Inde ab ejus ortu usque ad ejus editionem authenticam Romanam a. 1582.

ARTICULUS SECUNDUS.

Inde ab editione Libri Sexti authentica Romana a. 1582 usque ad hoc tempus.

CAPUT SEXTUM.

Hodiernus valor Libri Sexti in genere et singulorum, quae in eo continentur, in specie. Praecipui commentarii in Librum Sextum.

Pag.

SECTIO QUINTA.

Collectio constitutionum Papae Clementis V. a. (1314) 1317.

CAPUT PRIMUM.

Ejus origo et publicatio, ejus designatio et divisio et eam citandi ratio, hodierna et pristina.

CAPUT SECUNDUM.

Modus in adornanda hac collectione observatus.

CAPUT TERTIUM.

Character hujus collectionis.

CAPUT QUARTUM.

Fata hujus collectionis.

ARTICULUS PRIMUS.

Inde ab ejus ortu usque ad ejus editionem authenticam Romanam a. 1582.

ARTICULUS SECUNDUS.

Inde ab ejus editione authentica Romana 1582 usque ad hoc tempus.

Pag.

CAPUT QUINTUM.

Hodiernus valor hujus collectionis in genere et singulorum, quae in ea continentur, in specie. Praecipui commentarii in hanc collectionem.

SECTIO SEXTA.

Collectiones Extravagantium.

CAPUT PRIMUM.

Collectiones Extravagantium in genere.

CAPUT SECUNDUM.

Collectiones Extravagantium per se subsistentes in specie.

ARTICULUS PRIMUS.

Collectio viginti Extravagantium Papae Joannis XXII.

ARTICULUS SECUNDUS.

Collectio Extravagantium communium.

ARTICULUS TERTIUS.

Character harum collectionum Extravagantium et earum hodiernus valor et usus.

Pag.

PARS TERTIA.

CORPUS JURIS CANONICI.

CAPUT PRIMUM.

Notio et ambitus Corporis juris canonici.

CAPUT SECUNDUM.

Appendices Corporis juris canonici.

CAPUT TERTIUM.

Editiones Corporis juris canonici et nonnulla subsidia litteraria ad juvandum studium ipsius.

ARTICULUS PRIMUS.

Editiones Corporis juris canonici.

ARTICULUS SECUNDUS.

Nonnulla subsidia litteraria ad juvandum studium Corporis juris canonici.

Pag.

APPENDIX.

Brevis introductio in Corpus juris civilis romani.

CAPUT PRIMUM.

Jus civile romanum.

ARTICULUS PRIMUS.

Jus civile romanum generatim.

ARTICULUS SECUNDUS.

Jus civile romanum Antejustinianeum ejusque collectiones.

ARTICULUS TERTIUS.

Jus civile romanum Justinianeum ejusque collectiones.

CAPUT SECUNDUM.

Mutua relatio inter jus civile romanum et jus canonicum.

Pag.

CAPUT TERTIUM.

Fata juris civilis romani in Occidente.

ARTICULUS PRIMUS.

Inde ab ejus exordio usque ad finem saec. XI.

ARTICULUS SECUNDUS.

Inde a fine saec. XI. usque ad praesens tempus.

CAPUT QUARTUM.

Corpus juris civilis romani.

PROLEGOMENA.

Definitio introductionis in Corpus juris canonici et partitio materiae.

§ 1. Jus.

Jus accipitur subjective et objective. Sub jure *subjective* accepto intelligitur

1. *unica* moralis facultas hominis aliquid agendi vel omittendi atque ab aliis hominibus stricte postulandi[1], ut ipsius gratiâ aliquid omittant, vel, pro re nata, etiam agant. Quo sensu dicitur aliquis v. g. uti jure suo, vel laedere jus alterius.

Porro sub jure subjective accepto intelligitur

2. etiam *complexus* hujusmodi moralium facultatum hominis (sphaera juris hominis).

Sub jure *objective* accepto intelligitur

1. *unica* norma, quae jus subjective acceptum, seu moralem facultatem hominis aliquid agendi vel omittendi atque ab aliis hominibus stricte postulandi, ut ipsius gratiâ aliquid omittant, vel, pro re nata, etiam agant, statuit, seu norma juris (Rechtsnorm). Quae norma, quum scripto constat, appellatur *lex*[2]. Quo sensu loquimur v. g. de ignorantia *juris* in oppositione ad ignorantiam *facti*.

Praeterea

2. etiam *complexus* hujusmodi normarum jus dicitur[3]. Qua ratione loquimur v. g. de *jure criminali* seu *poenali*, intelligentes sub eo complexum normarum, quae ad judicanda et punienda crimina spectant. Item de *jure ecclesiastico*, et intelligimus sub eo complexum normarum, quibus Ecclesiae jus, subjective acceptum, statuitur[4].

---

[1] I. e. ita, ut, si id sponte praestare nolint, ad id praestandum a competente magistratu urgeri possint.

[2] „Lex est constitutio scripta." (C. 3. D. I.)

[3] *Schenkl,* Institutiones jur. eccl., ed. XI. Ratisb. 1853, tom. I. § 36. not. 1. p. 58.

[4] Porro illas harum normarum, quae mutuam relationem inter Superiores ecclesiasticos et eorum subditos determinant, simul sumptas *jus ecclesiasticum publicum,* et quidem *internum,* illas autem, quae mutuam relationem subditorum Ecclesiae inter

§ 2. Jus canonicum.

Jus canonicum generatim idem est atque *complexus canonum*. Sub *canone* (κανών) *sensu latiori* intelligitur quaevis norma juris scripta seu lex (§ 1), condita a potestate legislativa *ecclesiastica* [1], dum norma juris scripta, a saeculari seu civili potestate legislativa condita, proprie appellatur *lex*, νόμος [2]. *Sensu strictiori* autem sub *canone* intelligitur scripta norma juris ecclesiastica *universalis*, i. e. ea, quae Ecclesiam universam obstringit, qualis est constitutio Summi Pontificis aut Concilii generalis, in oppositione ad constitutionem ecclesiasticam, a Concilio particulari aut episcopo singulari editam [3].

---

se definiunt, *jus ecclesiasticum privatum* dicere solent. Normae autem illae, quae mutuam relationem inter Ecclesiam et personas ab ea alienas determinant, in unum comprehensae *jus ecclesiasticum publicum externum* dici consueverunt. Cfr. *Schulte*, Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts. Giessae 1860, p. 25.; *Schenkl* l. c. tom. I. p. 59 sq. Porro de jure generatim cfr. *Arndts*, Juristische Encyklopädie und Methodologie, ed. VIII. Stuttgart. 1887, p. 9 sqq.; *Schmalzgrueber*, Jus eccl. univ., Ingolstad. 1726, Dissert. prooem. § VII. n. 230 sqq.

[1] „Ecclesiastica constitutio canonis nomine censetur." — „Porro canonum alii sunt decreta Pontificum, alii statuta Conciliorum." (§ Ecclesiastica constitutio. 1. dict. Grat. init. D. III.; pr. dict. Grat. post c. 2. ead.). Et Papa *Benedictus XIV*. (1740—1758) in suo opere: De synodo dioecesana (ed. Rom. 1755), lib. I. cap. 8. n. 2., utens verbis cujusdam antiqui auctoris, de hac re ait: „Appellatione Canonis venit omnis Constitutio Ecclesiastica."

[2] Hoc sensu ab Imperatore *Justiniano I.* (527—565) in praefatione Novellae 137. a. 564 (vide infra Appendicis cap. I. art. 3.) memorantur πολιτικοὶ νόμοι (leges civiles) atque ἱεροὶ κανόνες (sacri canones). Qua ratione porro, qui scriptas normas juris ecclesiasticas (canones) interpretantur, *canonistae*, qui civiles normas juris scriptas (leges) exponunt, *legistae* dicuntur (*Sarti*, De claris archigymnasii Bononiensis professoribus. Bonon. 1769 sqq., tom. I. part. 1. p. 247. § 1.; *Savigny*, Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, ed. II. Heidelbergae 1834 sqq., tom. III. p. 246.). Eadem ratione collectio scriptarum normarum juris ecclesiasticarum et simul spectantium ad eas scriptarum normarum juris civilium seu saecularium *Nomocanon* (νομοκάνων) appellatur. (Lexicon eccl. Friburgense. Friburg. Brisg. 1847 sqq., tom. VII. p. 630 sqq.)

[3] De quo Papa *Benedictus XIV.*, respiciens ad dictum suum, supra (not. 1) allegatum, l. c. n. 3. ait: „Ita profecto res se haberet, si unice insistendum esset vocis etymologiae et grammaticali ejusdem significationi: at, si communem vocis (sc. *canon*) acceptionem attendimus, praefatas Constitutiones (sc. episcoporum Summo Pontifice inferiorum et synodorum provincialium) *Canones* appellare prohibemur; usus quippe nunc communiter, et praecipue apud Doctores invaluit, ut *Canonis* nomine solae denotentur Constitutiones, quae universam obstringunt Ecclesiam, quales illae sunt, quae a Conciliis generalibus aut a Summo Pontifice promanant." Insuper ibidem idem Summus Pontifex, sequens celeberrimum interpretem juris ecclesiastici saec. XVII., nomine *Prosperum Fagnanum* († 1678), notat, „quod, si statutum Episcopi a Papa confirmetur, et extendatur ad totam Ecclesiam, tunc, utpote jam Pontifici arrogatum, recte dicatur Canon". Porro a Conciliis generalibus *Tridentino* et *Vaticano* voce *canon* designantur breves sententiae, quibus doctrina haereticorum, doctrinae ab illis Conciliis definitae contraria, anathemate damnatur. Cfr. *Aichner*, Compendium juris eccl., ed. VI. Brixin. 1887, p. 22.

Qua ratione sub jure canonico seu complexu canonum *sensu latiori* intelligitur complexus legum a potestate legislativa ecclesiastica conditarum generatim. *Sensu strictiori* autem sub jure canonico accipitur tantummodo complexus illarum legum a potestate legislativa ecclesiastica conditarum, quae ad Ecclesiam universam pertinent [1].

§ 3. Corpus juris canonici.

Sub dictione: *Corpus juris canonici* intelligendae sunt *nunc* [2], vi litterarum brevium Papae *Gregorii XIII.: Quum pro munere pastorali,* d. d. 1. Jul. 1580, sequentes collectiones canonum: 1. Decretum Gratiani; 2. Decretales Papae Gregorii IX.; 3. Liber Sextus decretalium Papae Bonifacii VIII.; 4. Constitutiones Papae Clementis V.; 5. Viginti Extravagantes Papae Joannis XXII., et 6. Extravagantes communes. Quae collectiones canonum a Papa Gregorio XIII. in praefatis litteris brevibus primum singulatim enumerantur et deinde omnes comprehenduntur atque communi nomine: *„juris canonici Corpus“* designantur.

---

[1] Qua occasione simul commemoranda videtur juris ecclesiastici divisio, ratione *ambitus* ipsius fieri solita. Dividitur autem jus ecclesiasticum ratione ambitus sui, et quidem

1. *territorialis,* in universale et particulare. *Universale* est, quod ad Ecclesiam universam, qua late patet, spectat; *particulare,* quod tantummodo ad aliquam Ecclesiae partem pertinet, v. g. ad provinciam ecclesiasticam Vindobonensem.

2. Ratione ambitus *personalis* jus ecclesiasticum dividitur in generale et speciale. *Generale* complectitur illas juris ecclesiastici normas, quae ad omnia Ecclesiae membra pertinent, uti est v. g. constitutio Concilii generalis Lateranensis IV. a. 1215 can. 21. de suscipiendo saltem semel in anno Sacramento Poenitentiae. *Speciale* jus ecclesiasticum continet illas juris ecclesiastici normas, quae tantummodo ad certa aliqua Ecclesiae membra spectant, uti sunt v. g. normae circa habitum clericorum, a Concilio generali Tridentino sess. XIV. de reform. cap. 6. statutae.

Porro

3. habita ratione ejus circumstantiae, utrum constituat *regulam,* an vero *exceptionem* a regula, jus ecclesiasticum dividitur in commune et singulare. *Commune* complectitur illas juris ecclesiastici normas, quae vim regulae obtinent; uti est v. g. praefati Concilii generalis Lateranensis IV. can. 50., qui inter personas consanguineas usque ad gradum quartum matrimonium contrahi vetat. Jus ecclesiasticum *singulare* comprehendit illas normas, quae constituunt *exceptionem* a regula. Huc pertinet *dispensatio a lege,* v. g., ut certae personae consanguineae, non obstante praefato canone 50. Concilii Lateranensis IV., possint secum invicem contrahere matrimonium. Porro huc pertinent sic dicta *privilegia contra legem.* De caetero autem voces *generale* et *commune,* atque *speciale* et *singulare* haud raro secum invicem commutantur. In reliquum de hoc cfr. *Schenkl* l. c. tom. I. § 39. not. 2.; *Pachmann,* Lehrbuch des Kirchenrechts, ed. III. Vindob. 1863 sqq., tom. I. p. 16 sqq. *Vering,* Lehrbuch des kathol., oriental. und protest. Kirchenrechts, ed. II. Friburg. in Brisg. 1881, p. 5 sq.; *Idem,* Geschichte und Pandekten des röm. und heutigen gemeinen Privatrechts, ed. V. Mogunt. 1887, p. 27 sq.

[2] Quid sub ea *olim* intelligi consueverit, infra (part. III. c. 1.) exponitur.

§ 4. Introductio in Corpus juris canonici.

Sub introductione in Corpus juris canonici comprehenditur generatim enarratio eorum, quae ad intelligendum Corpus juris canonici pertinent, et in specie explicatio, quae collectiones juris canonici sint proprie ad Corpus juris canonici referendae, porro quae sint earum origo, materia, forma et vis, quae fuerint successu temporis earum fata, quae sint praecipuae earum editiones, et quae pro earum explanatione aptissima subsidia litteraria.

Haec autem illum, qui eorum, quae in Corpore juris canonici continentur, verum sensum et valorem cognoscere velit, necessario scire debere, per se manifestum est.

§ 5. Partitio materiae.

Praefatas collectiones canonum, Corpus juris canonici constituentes, proxime in *duas partes* digerimus, in quarum priore de Decreto Gratiani agitur, in altera, divisa in *sectiones,* de reliquis illarum collectionum, maxime pontificias epistolas decretales continentibus, tractatur.

Illis duabus partibus additur *tertia,* qua de praedictarum juris canonici collectionum *complexu* seu de *Corpore juris canonici* agitur.

Quibus adnectitur *appendix* de *Corpore juris civilis romani,* in qua strictim ea proponuntur, quae studiosis juris canonici, in Corpus juris canonici penitus introducendis, sunt de Corpore juris civilis romani scitu necessaria.

PARS PRIMA.

DECRETUM GRATIANI.

CAPUT PRIMUM.

Ejus materia et praesens divisio atque nonnulla[1] de ratione ipsum citandi, tum ea, quae nunc observatur, tum illa, quae olim observari consuevit.

§ 6. Decreti Gratiani materia et praesens divisio atque nonnulla de ratione ipsum citandi, quae nunc observatur.

Decretum Gratiani, quod in Corpore juris canonici primum locum obtinet, divisum est in *tres partes*. Earum *prima* statim ab initio, ad instar prooemii totius operis, exhibet notionem, species et originem juris generatim, et juris canonici seu ecclesiastici speciatim, et deinde tractat de *clericis*, et quidem de eorum officiis et juribus et de ipsorum ordinatione ac de hujus requisitis et impedimentis. De quibus materiis ibi ita tractatur, ut auctor hujus operis suas opiniones de illis materiis proponat easque variis argumentis, sive internis, i. e. ex ipsa rei natura seu e ratione petitis, sive externis, i. e. effatis aliorum, vim probandi habentibus, seu auctoritatibus, confirmet[2]. Neque tamen ibi de his materiis semper ordine stricte systematico tractatur, sed interdum subito ab una materia ad aliam transitur, atque haud raro de una eademque materia in pluribus locis, a se invicem sat longe dissitis, sermo instituitur.

Subdivisa est pars prima Decreti Gratiani in 101 *distinctiones*, quarum singulae porro subdivisae sunt in *canones*. Distinctiones *viginti* priores praefatum prooemium, reliquae ipsum tractatum de clericis complectuntur.

Citatur haec pars Decreti Gratiani indicando *canonem* et *distinctionem*. Et *canon* quidem indicatur voc. *can.* vel lit. c. atque sua *voce*

---

[1] Reliqua huc spectantia adducuntur infra cap. II. § 10.

[2] Cfr. initium hujus operis, inde a vocibus: „*Humanum genus*“ etc.

initiali (una vel pluribus), vel suo *numero* (arabico), vel, si ille canon sit magni momenti, *utroque* simul. *Distinctio* autem indicari solet voc. *Dist.* vel lit. *D.* et suo *numero* (latino)[1].

Si in distinctione, e qua citatur, plures canones *aequale initium* habent, tunc ad citandum aliquem horum canonum, quum is tantummodo suis vocibus initialibus citandus est, tot voces ipsius initiales adsumi debent, quot ad eum a reliquis canonibus ejusdem distinctionis, aequale cum eo initium habentibus, discernendum necessariae sunt[2].

Canon distinctionis ultimus seu finalis citatur voc. *ult.* vel *fin.*[3]

Quum distinctio tantummodo *unum* canonem habet, canon ille citatur voc. *un.*[4]

Quando canon est longior, et solummodo aliqua ejus pars, sive ex initio, sive e medio, sive e fine ipsius citanda est, tunc in citatione hujus canonis apponuntur voculae *ab init.*, vel *in med.* vel *in fin.* aut *in fe.*[5]

Quodsi canon ille divisus est in paragraphos, tunc in hujusmodi citatione ipsius apponitur signum paragraphi (§) cum initiali vocula aut numero (arabico) illius paragraphi[6].

Illa canonis pars, quae praecedit paragraphum *primam*, dicitur canonis *principium* et citatur voc. *pr.*[7]

Quum ex eadem distinctione *plures* canones citantur, et quidem *simul*, tunc eorum voces initiales vel numeri juxta se collocantur, et distinctio tantummodo semel, et quidem post canonem *ultimo* citatum, ponitur[8].

Quum autem iidem canones citantur *successive*, tunc, si series eorum nullo citato aliunde hausto interrupta est, distinctio tantummodo apud canonem *primo* citatum plene adducitur, apud canones sequentes autem solummodo voc. *ead.* (i. e. *eadem*, sc. distinctione) indicatur[9].

Quodsi series canonum, qui ex eadem distinctione citantur, aliquo extraneo citato *interrumpitur*, tunc post hujusmodi interruptionem illa distinctio iterum plene adduci debet[10].

Pars Decreti *secunda* agit de ecclesiastico processu judiciali et exhibet XXXVI *causas*, i. e. controversias seu lites, quae circa diversas

---

[1] V. g. c. Lex. D. I.; c. 3. D. I.; c. Lex. 3. D. I.

[2] V. g. c. Si quis viduam (c. 8.) D. L.; c. Si quis presbyter (c. 22.) D. L.

[3] V. g. c. fin. (c. 10.) D. XLVII.

[4] V. g. c. un. D. LVII.

[5] V. g. c. 5. in med. D. LXI.; c. 5. in fin. D. LXI.

[6] V. g., quod attinet priorem locorum supra adductorum, ita: c. 5. § *Sicut enim.* D. LXI.; c. 5. § 3. D. LXI. Et quod ad *alterum* illorum locorum spectat, sic: c. 5. § *Si enim.* D. LXI.; c. 5. § 5. D. LXI.

[7] V. g. c. 5. pr. D. LXI.

[8] V. g. c. 1. 3. 4. D. XXVI.

[9] V. g. c. 1. D. XXVI.; c. 3. ead.; c. 4. ead.

[10] V. g., quod attinet citatum modo propositum, sic: c. 1. D. XXVI.; c. 3. ead.; c. 13. D. XXXIV.; c. 4. D. XXVI.

materias ecclesiasticas, v. g. circa ingressum monasterii, circa resignationem beneficii ecclesiastici, circa matrimonium et similia, agitantur.

Quae causae ibi primum summatim enarrantur, deinde illa momenta, a quibus decisio earum pendet, seorsim in forma *quaestionum* proponuntur, et tum ad has quaestiones solvendas varia argumenta, sive *interna*, in contextu tractatus, sive *externa*, in *canonibus*, adducuntur [1].

Qua ratione pars Decreti Gratiani *secunda* subdividitur in *causas, quaestiones* et *canones*.

Citatur pars illa indicando *canonem, causam* et *quaestionem*.

Canon eodem modo indicatur, ac supra de indicandis canonibus primae partis diximus.

Causa designatur majuscula lit. C. et numero, et quidem plerumque *latino*.

Quaestio indicatur voc. *qu*. (q.) et numero, eoque *arabico* [2].

Causae XXXIII. quaestio 3. continet tractatum de *poenitentia*, divisum in septem *distinctiones*, quae subdivisae sunt in *canones*. Qui tractatus eadem ratione compositus est, ac pars Decreti *prima*, et eadem quoque ratione citatur, attamen cum additamento *de poenit.* [3]

In reliquum de hodierna citatione partis Decreti secundae eadem valent, quae supra de citatione partis Decreti primae dicta sunt.

Notandum porro hic est, in duabus *causis* esse quaestiones *transpositas*. Et quidem in *C. II.*, ubi *qu. 5.* posita est immediate post *qu. 3.*, ante qu. 4. Porro in *C. XVI.*, ubi *qu. 5.* collocata est immediate post *qu. 2.*, ante qu. 3. Quae transpositio ideo facta est, quia materia quaestionis, ita transpositae, cum ultima parte illius quaestionis, post quam ipsa per transpositionem collocata est, arcto nexu cohaeret [4].

Praeterea in nonnullis causis *duae quaestiones*, semet immediate sequentes, conjunctae sunt in *unum*. Ita in *C. IV.* conjunctae sunt qu. 2. et 3.; in *C. XXVI.* — qu. 3. et 4.; in *C. XXXIV.* — qu. 1. et 2., et in *C. XXXV.* — qu. 2. et 3. Quod ideo factum est, quia auctoritates, pro *priore* illarum quaestionum adducendae, simul etiam de *altera* earum agunt [5].

---

[1] Cfr. v. g. Causam I., in qua agitur de simonia.

[2] V. g. c. Nemo contemnat. C. XI. qu. 3.; c. 31. C. XI. qu. 3.; c. Nemo contemnat. 31. C. XI. qu. 3.

[3] V. g. c. 63. D. I. de poenit.

[4] Cfr. notationem (Correctorum Romanorum) ad initium qu. 5. C. II. appositam, quae ita sonat: „Quintam ponit post tertiam, quia harum quaestionum simillimum est argumentum.“ Porro cfr. similem notationem ad qu. 5. C. XVI., expressam verbis: „Videtur contra ordinis rationem“ etc.

[5] Id patet inter caetera ex illis, quae initio qu. 2. et 3. C. IV. dicuntur his verbis: „Secunda autem et tertia quaestio eodem Concilio Carthaginiensi VII. uno eodemque capitulo quarto terminantur.“

Pars *tertia* Decreti agit de nonnullis Sacramentis (Baptismi, Confirmationis et SS. Eucharistiae)[1] atque de *Sacramentalibus,* i. e. benedictionibus et consecrationibus, idque simili modo, ac in partibus Decreti prima et secunda agitur. Et statim quidem ab initio pars Decreti *tertia* tractat de consecratione ecclesiae; unde etiam inscripta est: *De consecratione.*

Divisa est haec pars in *quinque* distinctiones, quae subdivisae sunt in *canones.*

Citatur pars illa eodem modo, ac pars Decreti *prima,* attamen cum additamento *de cons.,* i. e. de consecratione[2].

In reliquum de hodierna citatione hujus partis Decreti eadem valent, ac supra de citatione partium Decreti *primae* et *secundae* notata sunt.

De caetero ope alphabetici indicis *canonum* Decreto sive ab initio sive in fine additi, vel in fronte *Decretalium Papae Gregorii IX.*[3] collocati, in Decreto etiam canon, sola sua *voce initiali,* absque ulla alia determinatione, citatus, v. g. c. *Si quis suadente diabolo,* inveniri potest. Etenim in illo indice canonum alphabetico ad initiales voces singulorum canonum indicatur etiam *distinctio* vel *causa* et *quaestio,* ubi ille canon positus est. Quandoque indicatus ibi est etiam illius canonis *numerus,* et nonnunquam etiam effati, in illo canone relati, *auctor*[4].

Insuper multae *distinctiones* et *quaestiones*[5] divisae sunt in *partes*[6], nimirum habita ratione principalium assertionum, quae ibidem proponuntur[7].

Hujus tamen divisionis Decreti in ipsius citatione ratio non habetur.

---

[1] De Sacramento *Ordinis* agitur in parte Decreti *prima* (Dist. LXII. sqq.); de *Matrimonio* in parte *secunda* (C. XXVII.—XXXVI.), et de *Poenitentia* ibidem in C. XXXIII. qu. 3.

[2] V. g. c. 120. D. IV. de cons.

[3] Tom. II. Corporis jur. can.

[4] In nonnullis editionibus Corporis juris canonici, uti v. g. in illa, quae a. 1735 prodiit Coloniae Munatianae (Basel), duobus tomm. in IV., huic indici canonum Decreti etiam alphabeticus index *capitum* collectionum decretalium, in tom. II. Corporis juris canonici collocatarum, insertus est.

[5] Cfr. *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in scriptis memorabilibus (Denkschriften) caes. Academiae litterarum Vindobonensis, classis philosophico-historicae, tom. XXI. part. 2. p. 85.

[6] Quae partes apud antiquos canonistas dicuntur *divisiones.* Cfr. *Schulte* l. c. p. 85 sq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechts, ed. Stuttgart. 1875 sqq., tom. I. p. 71.

[7] Cfr. hoc respectu v. g. init. D. L. (Pars I.); porro, quae dicuntur post c. 12. ead., inde a vocibus: „Econtra exemplis" etc. (Pars II.); item post c. 24. ead., inde a verbis: „Quomodo igitur hujusmodi" etc. (Pars III.), atque post c. 34. ead., inde a vocibus: „De lapsis etiam" etc. (Pars IV.) — Cfr. item, quae dicuntur init. quaest. 1. C. XXVII. (Pars I.) atque post c. 40. ead. inde a verbis: „Augustinus contra talium separationes" etc. (Pars II.)

§ 7. Nonnulla de ratione Decretum citandi, quae olim observari consuevit.

Antiquiores canonistae Decretum Gratiani ratione aliquantum diversa citare consueverunt. Illi nimirum in eo citando plerumque voce *caput* vel *capitulum*, voce *canon* nonnisi rarissime, utuntur[1] atque ipsas Decreti auctoritates de regula earum *vocibus initialibus* et tantummodo per exceptionem et raro earum *numeris* allegant, quo quidem in casu in numeris inferioribus subsistunt, ita ut *tertium* vix excedant[2].

Immo quandoque eas sola ipsarum voce initiali cum additamento: *apud Gratianum,* vel: *in Decretis,* sine ulla alia determinatione allegant. Quo casu ad inveniendum illum locum lectori adeundus est alphabeticus index canonum Decreti, supra memoratus[3].

Porro dicti canonistae, quum ex aliqua *distinctione* aut *quaestione* citant canonem, aequale cum aliis canonibus ejusdem distinctionis aut quaestionis initium habentem, tunc voculae initiali hujus canonis apponunt numerum I., II. vel III. e. s. p., pro eo, ac idem canon inter canones illius distinctionis vel quaestionis, aequale cum eo initium habentes, primo, secundo vel tertio e. s. p. loco occurrit[4]. Qui numeri in pluribus editionibus Decreti illis canonibus etiam in margine appositi sunt.

Item praefati canonistae, quum ad confirmationem alicujus assertionis citant canonem, in quo illa assertio non quidem expresse enun-

---

[1] Voce *canon* hac occasione quandoque utitur canonista *Simon de Bisiniano,* qui altero dimidio saec. XII. floruit, in sua *Summa* (compendio) *Decreti,* intra a. 1174 et 1179 exarata. Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 140 sqq.; *Idem,* Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Erster Beitrag, in relationibus sessionum caes. Academiae litterarum Vindobonensis, classis philosophico-historicae, tom. LXIII. p. 319.

[2] Ita quandoque numeris auctoritates Decreti citat *Paucapalea* (Pocapaglia, Pocapalia, Pocapalea), canonista saec. XII., discipulus auctoris Decreti, de quo heic agitur, in sua *Summa Decreti,* altero dimidio saec. XII. adornata (*Schulte,* Die Geschichte der Quellen, l. c. p. 109 sqq., praesertim p. 113. not. 21.). Item *Sicardus,* Cremonensis episcopus *(Sicardus Cremonensis),* † 1215, in sua *Summa Decreti,* sub Pontificatu Alexandri III. (1159—1181) exarata (*Schulte,* Die Geschichte der Quellen, l. c. p. 143 sqq.; *Idem,* in citt. relatt. sess. tom. LXIII. p. 451.).

[3] Ad illustrandam illam auctoritatum Decreti citationem, apud canonistas antiquiores obviam, hoc loco nonnulla exempla adducantur. V. g. XXVII. d. voventibus, = c. 4. D. XXVII.; XXXII. d. Omnium, et cap. Interdixit, = cann. 1. 16. D. XXXII.; cap. Omnes feminae. XXVII. qu. I. = c. 36. C. XXVII. qu. 1.; cap. Ita diligere. 30. qu. 3. = c. 1. C. XXX. qu. 3; cap. Nihil sic. 33. 11. qu. 3. = c. 33. C. XI. qu. 3.; XX. qu. III. Propositum monachi, = c. 1. C. XX. qu. 3.; de poenit. d. I. Cogitationis = c. 14. D. I. de poenit.; de cons. d. II. Saeculares = c. 19. D. II. de cons.; cap. Qualis enim, apud Grat. = c. 21. C. VIII. qu. 1.; cap. Clericus, qui Christi, in Decretis = c. 5. C. XII. qu. 1.

[4] V. g. XVII. qu. 4. c. Si quis. I. (c. 7. C. XVII. qu. 4.); XVII. qu. 4. c. Si quis. VI. (c. 29. ead.); XVII. qu. 4. c. Si quis. VII. (c. 37. ead.); XVII. qu. 4. c. Si quis. VIII. (c. 38. ead.).

tiatur, e quo tamen argumentando infertur, tunc illi canoni praemittunt voc.: *arg.,* i. e. argumento, sc. canonis citati [1].

Praeterea antiqui interpretes Decreti, quum citant aliquem locum illius *distinctionis* aut *causae* vel *quaestionis*, quam recte tunc interpretantur, citationi adponunt litteras *h. d.* (hujus distinctionis), aut *h. C.* (hujus causae) vel *h. q.* (hujus quaestionis) [2].

Porro quum citant aliquem locum in superiori (anteriori) parte Decreti positum, tunc citationi adjungunt lit. *s.* (supra); citantes autem locum aliquem, in inferiori (posteriori) parte Decreti occurrentem, adponunt citationi lit. *j.* (infra) [3].

Insuper dicti interpretes Decreti haud raro canonem, distinctionem, causam vel quaestionem proxime sequentem citant litera *j.,* quae apud antiquos inter caetera etiam numerum *1* significat, et hinc in hujusmodi contextu canonem, distinctionem, causam vel quaestionem *proxime sequentem* denotat [4].

CAPUT SECUNDUM.

Auctor hujus operis atque ejus adornandi ansa et modus.

§ 8. Auctor hujus operis [5].

Auctor hujus operis fuit *Gratianus,* natione Italus, Ordinis Benedictinorum vel, ut nonnulli opinantur, Camaldulensium [6] monachus et in schola monasterii SS. Felicis et Naboris [7] Bononiae Theologiae, cui tunc etiam jus canonicum conjunctum et quasi commixtum erat, lector seu magister, qui circa medium saec. XII. floruit. Natus *Clusii* (Chiusi) in Tuscia fuisse dicitur; quibus tamen parentibus, incertum est. Eum fuisse *Petri Comestoris,* Universitatis Parisiensis cancellarii († 1187), et *Petri Lombardi*, Parisiensis episcopi († 1164), fratrem, falso as-

---

1 Qua ratione, volentes v. g. probare, matrimonium, a clerico majorum ordinum, vel a religioso solemniter professo contractum, esse non solum illicitum, sed etiam invalidum, et volentes ad hunc finem citare c. 8. D. XXVII., citant sic: *arg.* cap. Presbyteris. d. XXVII. Cfr. c. 40. C. XXVII. qu. 1., in quo hujusmodi matrimonium expresse dicitur nullum.

2 V. g. interpretantes D. XXVI. et volentes citare c. 3. ead., citant sic: vide vel confer (cfr.) c. 3. h. d.

3 V. g. interpretantes D. III. et volentes citare c. 1. D. I., citant sic: vide s. d. I. Omnes leges. Econtra volentes citare c. 1. D. VIII., ita citant: vide j. d. VIII. Quo jure.

4 V. g. exponentes D. XXVI. et volentes citare c. 8. D. XXVII., citant sic: *vide j. cap. Presbyteris d. j.,* i. e. vide infra cap. *Presbyteris* distinctionis primae, videlicet immediate sequentis, i. e. D. XXVII.

5 *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 259 sqq.

6 *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 261. § 6.

7 Quorum Sanctorum memoriam recolit Ecclesia die 12. Julii.

seritur[1]. Item falsum est, quod nonnulli asseruerunt, eum fuisse episcopum[2].

Annus, quo Gratianus obiit, ignotus est. Id tamen certum est, eum vivente adhuc Papa *Alexandro III.* (1159—1181), et quidem ante Concilium generale *Lateranense III.*, die 5.—19. Mart. 1179 celebratum[3], obiisse. Etenim in duabus *Summis Decreti,* ante dictum Concilium Lateranense exaratis, altera Parisiis, ut videtur, adornata *(Summa Parisiensi)*[4], altera jam memorati *Simonis de Bisiniano*[5], Gratianus jam mortuus sistitur[6].

Neque de *loco,* quo Gratianus obiit, certo constat. Bononiae quidem in ecclesia S. Petronii olim exstitit monumentum, in honorem Gratiani erectum, quod a. 1499 aere publico restauratum fuisse legitur. Attamen fuisse hoc monumentum Gratiani sepulchrale, nec in ejus inscriptione, nec alibi refertur[7].

Omnino autem Gratianus, auctor Decreti, distinguendus est a *Cardinali* Gratiano[8], qui quidem etiam tempore Papae *Alexandri III.* floruit, attamen ei supervixit, et certe non ante diem 28. Maji 1197 mortuus est, quippe qui ea die adhuc bullam Papae *Coelestini III.* (1191—1198) tanquam Cardinalis diaconus tit. SS. Cosmae et Damiani subscripserit[9].

§ 9. Hujus operis a Gratiano adornandi ansa et modus generatim.

Vidit Gratianus, juris canonici collectiones, quae tunc temporis exstabant[10], indigentiis aevi illius, et praesertim fori ecclesiastici, haud plene satisfacere; et quidem partim ideo, quia erant *incompletae,* quippe quae plurimas leges ecclesiasticas, praesertim recentiores, non continerent; partim ideo, quia *apta dispositione* carebant, quippe quae dispositae essent maxime ordine chronologico, vel certe non satis congruo ordine reali; praesertim autem ideo, quia referebant plurimas

[1] *Sarti* l. c. 259. § 2. et p. 260. § 3.

[2] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen l. c. p. 47.

[3] *Jaffé,* Regesta Pontiff. Romm. Berol. 1851, p. 783 sq.

[4] *Schulte,* Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Zweiter Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXIV. p. 130.

[5] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 142.

[6] In praefata *Summa Parisiensi* (apud *Schulte* in citt. relatt. sess. tom. LXIV. p. 121.) de Gratiano ita refertur: „Ipse monachus *fuit.*“ Et in Summa *Simonis de Bisiniano* (apud *Maassen*, Paucapalea, in citt. relatt. sess. tom. XXXI. p. 478. not. 80.) Gratianus dicitur: „Piae memoriae Gratianus.“

[7] Cfr. *Sarti* l. c. p. 265 sq.

[8] Quocum eum confundit *Albericus Trium Fontium,* Ordinis Cisterciensis monasterii Trium Fontium in Gallia abbas, qui circa med. saec. XIII. floruit, in suo Chronico ad a. 1158, apud *Leibnitz,* Scriptores rerum germanicarum seu accessiones historicae, ed. Lips. 1698, tom. II. p. 328.

[9] *Jaffé* l. c. p. 886.

[10] Referuntur illae in *Walter-Gerlach,* Lehrbuch des Kirchenrechts, ed. XIV Bonnae 1871, § 100.

auctoritates, sibi invicem *contrarias,* quam ob rem ecclesiastici judices frequenter dubii haerebant, quam ex illis auctoritatibus sequi deberent.

Quapropter ipse novum opus canonisticum adornandum suscepit, quo leges ecclesiasticas recentissimas referre, pugnas, quae inter auctoritates ad jus canonicum pertinentes deprehendebantur, solvere simulque usui practico, et praesertim ecclesiasticorum judicum, providere sategit. Ad quem ultimum finem consequendum in specie diversas illas, quas collegerat, auctoritates apto ordine reali disponere contendit atque congruas quaestiones proposuit easque tum internis argumentis, tum auctoritatibus, quibus de regula summam tenoris ipsarum seu *summarium* praemisit [1], decidere studuit. Quas auctoritates, quum sibi invicem adversari viderentur, secum invicem conciliare adlaboravit et, quum hoc effici non posse putaret, tunc, quae illarum reliquis praeferri deberet, decidere et hanc decisionem probare sategit [2].

§ 10. Dicta Gratiani et ratio ea citandi, nunc et olim usitata.

E supra dictis elucet, opus Gratiani non esse meram canonum collectionem, sed esse canonisticum tractatum, in quo Gratianus suas assertiones profert easque argumentis, tum internis, tum externis probare satagit. Ad quas assertiones Gratiani pertinent, uti per se patet, etiam *summaria,* auctoritatibus ab ipso praefixa, quae ostendunt, quo sensu is auctoritates illas acceperit [3]. Quae assertiones Gratiani, ita in hoc opere prolatae, ab antiquis canonistis appellantur *paragraphi* [4], a recentioribus autem *dicta Gratiani* [5].

---

[1] Quae summaria nobis proinde etiam testimonium perhibent, quo sensu Gratianus illas auctoritates acceperit.

[2] Id elucet v. g. ex illis, quae Gratianus dicit initio D. III. („Omnes hae species" etc.), atque e modo, quo allegat effata *S. Isidori, Hispalensis* episcopi († 636), in cann. 1. et 2. ead. posita; item ex illis, quae dicit post c. 2. ead. („Porro canonum alii sunt" etc.), atque e modo, quo allegat effatum ejusdem *S. Isidori,* in c. 3. ead. relatum; porro ex iis, quae dicit post cit. can. 3. ead. („Officium vero saecularium" etc.), allegans simul aliud effatum ejusdem *S. Isidori,* quod in c. 4. ead. collocatum est.

Porro id patet ex illis, quae idem Gratianus dicit init. D. L. („Ex praemissis auctoritatibus" etc.); post c. 12. ead. („Econtra exemplis et auctoritatibus" etc.); post c. 24. ead. („Quomodo igitur hujusmodi auctoritatum dissonantia" etc.) et post c. 28. ead. („Quicunque igitur" etc.).

[3] *Friedberg,* in Corpore jur. can., ed. Lips. 1879 sqq., part. I. prolegg. col. IX.

[4] Id testatur inter caeteros *Rufinus,* canonista saec. XII., dum in sua Summa Decreti, haud diu post a. 1160 exarata (*Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 122 sq.), de iis, quae Gratianus ad c. 5. D. I. adnotat („Quum itaque dicitur" etc.), ait: „Ecce hic ponit paragraphum suam M. (agister) Gra. (tianus), ut ostendat, quid habeatur ex dictis (sc. in illo canone), et ut adducat alia, nondum dicta." Item, dum ad ea, quae Gratianus dicit post can. 2. D. III. („Porro canonum alii" etc.): „Hic", inquit, „ponit paragraphum Magister." (Apud *Schulte* l. c. p. 56. not. 22.) Porro hujus rei testis est *Simon de Bisiniano* in sua Summa Decreti, apud *Schulte,* Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Erster Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXII. p. 319.

[5] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 55.

Quae dicta Gratiani in editionibus Decreti recentioribus, inde ab ea, quae jussu et auctoritate Papae Gregorii XIII. a. 1582 prodiit Romae, aliis, et quidem minoribus, literarum characteribus quam reliquus Decreti textus impressa sunt. In editionibus Decreti antiquioribus autem et in codicibus ejus manuscriptis iisdem ac reliquus Decreti textus literarum characteribus exhibentur.

Porro eadem dicta in editionibus Decreti recentioribus plerumque ab initio voc. *Gratianus,* vel *Grat.,* vel *dict. Grat.* signata sunt. Quandoque tamen etiam absque ulla hujusmodi signatione posita sunt [1].

Nonnullae *quaestiones* e solis dictis Gratiani constant; quod inde venit, quia Gratianus ad solvendum thema, ibi propositum, solis argumentis internis usus est [2].

Citari dicta Gratiani *nunc* communiter ita solent, ut praemittatur voc. *Grat.* vel *dict. Grat.,* et deinde illud dictum Gratiani per *distinctionem,* vel *causam* et *quaestionem,* in qua occurrit, determinetur [3].

Quum autem illi dicto Gratiani antecedit aliquis *canon,* tunc illud dictum etiam per hunc canonem determinatur, et quidem vel cum praepositione *post,* vel vero cum praepositione *ad.* Et praepositio *ad* tunc adhibetur, quum illud dictum Gratiani cum canone antecedente cohaeret nexu *interno* (reali), v. g. tanquam ejus confirmatio, vel refutatio, vel tanquam illatio ex eo petita, *atque* quum ad illum canonem *unicum* et non ad plures simul pertinet [4]. In reliquis casibus, quum videlicet dictum Gratiani ad canonem antecedentem versatur tantummodo in nexu *externo* (locali) vel in nexu quidem *interno* (reali), attamen non ad illum canonem unicum, sed ad plures canones antecedentes simul pertinet, adhibetur praepositio *post* [5].

Si dictum Gratiani est *longius,* et solummodo aliqua ejus pars citanda est, ex initio, vel e medio, vel e fine, adponuntur citationi voculae *init.,* resp. *in med.,* vel *in fin. (in fe.),* uti supra (p. 6.) de citatione *canonum* Decreti dictum est [6].

Quodsi illud dictum Gratiani divisum est in *principium* (pr.) et *paragraphos* (§§), tunc in hujusmodi citatione ejus allegatur ipsius *principium* (pr.) vel illa *paragraphus* (§), et haec quidem sive per vocem initialem, sive per numerum (arabicum), uti pariter supra (p. 6.) circa citationem canonum Decreti notatum est [7].

---

[1] Cfr. v. g. dict. Grat. initio D. III. („Omnes hae species" etc.); item post c. 2. ead. („Porro canonum alii" etc.) atque post c. 3. ead. („Officium vero" etc.).

[2] Cfr. C. XI. qu. 2.; C. XVII. qu. 3.; C. XXII. qu. 3.; C. XXIX. qu. 1.

[3] V. g. dict. Grat. init. D. I.; Grat. init. qu. I. C. XXVII.; Grat. in qu. 3. C. XVII.

[4] Qua ratione citatur v. g. dict. Grat. *ad* c. 1. D. I.; dict. Grat. *ad* c. 5. ead.

[5] Hac ratione citatur v. g. dict. Grat. *post* c. 2. D. III.; dict. Grat. *post* c. 12. D. L.

[6] V. g.: hoc ostenditur *init.* dict. Grat. post c. 2. D. XXXVI.; *in med.* dict. Grat. post c. 2. D. XXXVI.; *in fe.* dict. Grat. post c. 2. D. XXXVI.

[7] Qua ratione loci, supra (not. 6.) adducti, ita citantur: hoc ostenditur pr. dict. Grat. post c. 2. D. XXXVI.; — § Hinc etiam Malachias. dict. Grat. post c. 2.

Quandoque tamen dicta Gratiani omnino breviter citantur [1].

Summaria canonum voce *summarium* et illo *canone* allegantur [2].

A canonistis *antiquioribus* dicta Gratiani vel eorum fragmenta citantur signo § et initiali vocula vel numero illius dicti ejusve fragmenti, atque allegatione solius *distinctionis,* vel *causae* aut *quaestionis,* in qua illud dictum ejusve fragmentum occurrit [3].

§ 11. Auctoritates, quibus Gratianus dicta sua confirmat, et quidem: A. sacrae seu ecclesiasticae [4].

Auctoritates, quibus Gratianus dicta sua confirmat, sunt partim *sacrae* seu *ecclesiasticae,* partim *saeculares.*

Ad sacras seu ecclesiasticas auctoritates pertinent:

1. Loci S. Scripturae V. et N. F. [5].

2. Sic dicti *Canones Apostolorum* (κανόνες τῶν ἁγίων Ἀποστόλων) [6], et quidem in eorum versione latina, a *Dionysio Exiguo,* abbate Romano († c. a. 536), adornata [7].

3. Canones synodorum, generalium et particularium, earumque tum latinarum, tum graecarum, et harum quidem in versione latina [8], eaque vel *Dionysiana* modo memorata, vel *Isidoriana* seu *Hispanica* [9]. Immo saepe Gratianus eundem canonem alicujus synodi graecae uno loco adducit in versione *Isidoriana,* alio in *Dionysiana* [10].

4. Diversae constitutiones pontificiae, sive pro Ecclesia universa, sive tantummodo pro aliqua Ecclesiae parte vel etiam pro aliqua persona ecclesiastica singulari editae, et praesertim quidem pontificiae *decretales.*

D. XXXVI.; § 5. dict. Grat. post c. 2. D. XXXVI.; — § Ex quibus omnibus. dict. Grat. post c. 2. D. XXXVI.; § 12. dict. Grat. post c. 2. D. XXXVI.

[1] V. g.: De hoc vide ad c. 5. D. I.; de hoc cfr. post c. 2. D. III; de hoc agitur init. D. XX.

[2] V. g. Summarium c. 1. D. I.

[3] V. g. Dist. I. § Humanum genus, = dict. Grat. init. D. I.; D. IV. § Leges, = dict. Grat. post c. 3. D. IV.; D. V. § Naturale jus, = § 1. dict. Grat. init. D. V.; D. IV. § 1. et § 4. (i. e. dict. Grat. primum et quartum in D. IV.) = dict. Grat. init. D. IV. et post c. 3. ead.; C. XXIX. qu. 2. § Quum dicitur, = dict. Grat. post c. 6. C. XXIX. qu. 2.

[4] *Friedberg* in citt. prolegg. col. XIX. sqq.

[5] Dict. Grat. init. D. I.; cann. 33. 34. 36. 37. D. I. de poenit.

[6] *Walter-Gerlach* l. c. § 68. Cfr. c. 3. § Liber Canonum. 64. D. XV.; dict. Grat. init. D. XVI.

[7] C. 14. D. XXVIII.; c. 1. D. XXXV. De qua versione cfr. *Walter-Gerlach* l. c. § 85. et *Maassen*, Geschichte der Quellen und der Literatur des canonischen Rechts. Graecii 1870, tom. I. § 87 sqq.

[8] C. 3.—7. 9. 10. 12—14. 17. D. XVIII.

[9] *Walter-Gerlach* l. c. § 67. *Maassen* l. c. § 63 sqq.

[10] Ita v. g. Concilii *Nicaeni I.* a. 325. can. 17. in c. 2. D. XLVII. adducit in versione Dionysiana et in c. 8. C. XIV. qu. 4. in Isidoriana. Item synodi *Laodicenae* in Phrygia (343—381) can. 12. in c. 4. D. XXIV. refert in versione Dionysiana et in c. 6. D. LXI. in versione Isidoriana.

Vox *decretalis* (subaudi: *epistola*) generatim denotat epistolam, aliquod decretum continentem. In specie autem sub ea voce intelligitur epistola Summi Pontificis, continens ejusdem decretum de aliqua materia ecclesiasticae *disciplinae*. Epistola Summi Pontificis, ipsius decretum de aliqua materia *fidei* continens, *epistola dogmatica* vel etiam *synodica* appellatur [1].

Illarum epistolarum, decreta circa ecclesiasticam disciplinam continentium, alias Summi Pontifices emittebant praecedente alicujus personae ecclesiasticae petitione vel interrogatione, i. e. tanquam *rescripta;* alias autem nulla praecedente hujusmodi petitione vel interrogatione, sed motu proprio. Licet jam, quod ad etymologiam pertinet, utriusque speciei epistolae pontificiae *decretales* dici possent, tamen stricte et proprie sola pontificia *rescripta* voce *decretalis* designari consueverunt. Epistola, a Summo Pontifice motu proprio emissa, *constitutio edictalis,* vel simpliciter *constitutio* appellatur [2].

Quae *decretales* pontificiae quidem proxime tantummodo ad certum aliquem Superiorem ecclesiasticum directae erant, et tantummodo ad aliquem singularem casum spectabant. Attamen, dum eas emittebant, Summi Pontifices saepe in votis habebant, ut illae decretales etiam in aliis hujusmodi casibus observarentur, et ideo volebant, ut ipsae ab iis, ad quos proxime datae fuerant, etiam cum aliis Superioribus ecclesiasticis communicarentur; id quod a Summis Pontificibus in illis decretalibus haud raro expresse cautum est [3]. Qua ratione hae decre-

---

[1] *Phillips,* Kirchenrecht. Ratisb. 1845 sqq., tom. IV. p. 629 sqq.

[2] Id elucet e glossa (cfr. infra cap. 6. art. 1. § 32 sqq.) ad dicti Grat. init. D. III. vocem *omnes,* quae de hac re ita ait: „Decretum dicitur, quod Papa statuit de consilio Cardinalium suorum ad nullius consultationem. Decretalis epistola dicitur, quam statuit Papa vel solus vel cum Cardinalibus ad consultationem alicujus.“ Item e glossa ad Papae Gregorii IX. bullam: *Rex pacificus* d. d. 5. Septemb. 1234 (qua ipsius collectio decretalium publicata est; cfr. infra part. II. sect. 2. cap. 3. § 77.), v. *constitutiones,* quae hoc respectu: „Constitutio“, inquit, „est, quam Princeps (= Papa) facit proprio motu; *decretalis epistola*, quando respondet ad consultationem.“ Cfr. *Ponsius,* Jus canonicum juxta nativam ejus faciem. Fulgin. 1794, tom. I. p. 180.; *Reiffenstuel*, Jus canon. univ. lib. I. tit. 2. nr. 10.; *Phillips* l. c. p. 629 sqq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 42 sq.; tom. II. p. 9. not. 3.

[3] Ita v. g. in decretali Papae *Siricii* (384—398) a. 385 ad Himerium, Tarraconensem in Hispania archiepiscopum data, cap. 15. (*Harduin.* Concill. Collect. ed. Paris. 1714 sq., tom. I. col. 851.), ubi dictus Papa, postquam ad quaestiones Himerii responderat, huic ita praecepit: „Nunc fraternitatis tuae animum ad servandos canones et tenenda decretalia constituta magis ac magis incitamus, ut haec, quae ad tua consulta rescripsimus, in omnium coëpiscoporum nostrorum perferri facias notionem, et non solum eorum, qui in tua sunt dioecesi [dioecesis hoc loco sensu latiori, pro ecclesiastica provincia, accipitur; [cfr. *Wiltsch*, Atlas sacer. Gotha 1843, p. 6.] constituti, sed etiam ad universos Carthaginenses, Baeticos, Lusitanos atque Gallicos, vel eos, qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, haec, quae a nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub litterarum tuarum prosecutione mittantur.“ Item in decretali Papae *Innocentii I.* (402—417) a. 415 ad Alexandrum, Antiochenum patriarcham, data, cap. 3. (*Harduin.* l. c. col. 1013.), ubi Summus Pontifex huic patriarchae mandat, uti sequitur: „Gravitas itaque tua haec ad no-

tales quodammodo valorem et usum universalem habebant; unde etiam, ut eo securius conservari et eo facilius divulgari possent, in peculiares collectiones redigi consueverunt.

Quarum constitutionum et decretalium pontificiarum in Decreto Gratiani multae adducuntur [1].

5. Loci, excerpti e diversis *libris officialibus,* qui in Ecclesia et Curia Romana, vel in aliis Ecclesiis et Curiis ecclesiasticis adhibebantur. Huc pertinent praesertim:

a) *Ordo Romanus,* qui est liber, exhibens ritus functionum sacrarum, a Summo Pontifice obeundarum [2].

b) *Liber diurnus Romanorum Pontificum,* i. e. opus, quod continet formulas pro exarandis a Cancellaria pontificia diversis instrumentis ac litteris pontificiis [3].

c) *Capitula Martini Bracarensis,* i. e. constitutiones ecclesiasticae, numero 84 (al. 85), quas Martinus, Bracarensis in Hispania (Lusitania) archiepiscopus († 580), habita indigentiarum dioeceseos et provinciae Bracarensis ratione, e canonibus diversarum synodorum, et praesertim quidem graecarum, adornavit, et quas synodus provincialis *Bracarensis II.,* a. 572 sub eodem Martino habita, approbavit. Quod opus haud raro sub inscriptione: „Capitula ex graecis synodis collecta", vel: „Collectio Canonum orientalium" adducitur [4].

d) Diversi *Libri poenitentiales (Poenitentialia),* i. e. instructiones pro confessariis circa administrationem Sacramenti Poenitentiae et in specie circa injungendam poenitentibus congruam satisfactionem [5]. E quibus operibus Gratianus in specie citat

α) Poenitentiale, quod tunc, utique perperam, *Theodoro,* Cantuariensi archiepiscopo († 690), adscribebatur, et hinc etiam *Capitula Theodori* dici solebat [6].

β) Poenitentiale *Bedae Venerabilis,* O. S. B. in Anglia monachi († 735) [7].

---

titiam coëpiscoporum, vel per synodum, si potest, vel per harum [sc. litterarum nostrarum] recitationem faciat pervenire: ut ea, quae ipse tam necessario percontatus es, et nos tam elimate respondimus, communi omnium consensu studioque serventur."

[1] Cfr. v. g. c. 8. D. XVIII.; c. 3. D. XXVI.; c. 6. D. XXVII.; c. 5. D. LXI.; c. 2.—4. D. LXXXII.

[2] *Walter-Gerlach* l. c. § 94. Cfr. c. 2. D. XXIII. et notationem (Correctt. Romm.) ad h. c. adpositam, quae incipit: „Caput hoc integrum" etc.

[3] *Walter-Gerlach* l. c. § 94. Cfr. can. 8. D. XVI. Quem librum edidit *Eugenius de Rozière,* Paris. 1869, sub titulo: „Liber diurnus ou recueil des formules usitées par la chancellerie pontificale du Ve au XIe siècle."

[4] *Walter-Gerlach* l. c. § 88; *Doujat (Doviatus)* Praenotionum canonicarum lib. III. cap. 17. (ed. Venet. 1717, p. 326 sq.) Cfr. c. 44. D. L.; c. 9. D. LV.

[5] *Walter-Gerlach* l. c. § 93.

[6] *Walter-Gerlach* l. c. § 93. Cfr. c. 3. D. XXVII.; c. 6. C.XXXII. qu. 1.; c. 117. D. IV. de cons.

[7] *Walter-Gerlach* l. c. § 93. n. 8.; *Wasserschleben,* Die Bussordnungen der abendländischen Kirche. Halle 1851, p. 220 sqq. Cfr. c. 28. D. II. de cons.

6. Loci selecti ex operibus *SS. Patrum* et aliorum Scriptorum ecclesiasticorum, uti v. g. *S. Cypriani* († 258)[1], *S. Ambrosii* († 397)[2], *S. Joannis Chrysostomi* († 407)[3], *Rufini* († 410)[4], *S. Hieronymi* († 420)[5], *S. Augustini* († 430)[6], *Prosperi Aquitani* († 455)[7], *S. Leonis Magni* († 461)[8], *S. Gregorii Magni* († 604)[9], *S. Isidori Hispal.* († 636)[10], *Rabani Mauri* († 856)[11], *Anastasii,* bibliothecarii Romani († 887)[12], et aliorum.

7. Loci desumpti e glossa SS. Bibliorum, tum ordinaria seu marginali, a *Walafrido Strabone,* abbate monasterii Augiae Divitis († 849), adornata, tum interlineari, ab *Anselmo, Laudunensi* in Gallia canonico († 1117), composita[13]. Quos tamen locos Gratianus non sub titulo glossae SS. Bibliorum adduxit, sed sub nomine illorum SS. Patrum et aliorum Scriptorum ecclesiasticorum, quorum effata ibi referri putabat[14].

§ 12. Auctoritates, quibus Gratianus dicta sua confirmat, et quidem: B. saeculares[15].

Ad auctoritates *saeculares,* quibus Gratianus dicta sua confirmat, prae caeteris[16] pertinent *constitutiones juris civilis,* et quidem

1. *romani*[17], tum illius, quod ab Imperatore *Justiniano I.* (527 u. ad 565) sancitum est atque in ejus *Institutionibus, Pandectis* seu *Digestis, Codice repetitae praelectionis* et *Novellis* continetur[18], tum illius, quod ante dictum Imperatorem in Imperio Romano viguit et in specie in Codice Imperatoris *Theodosii II.* (408—450), a. 438 publicato, refertur[19], tum etiam illius, quod rex Wisigothorum, *Alaricus II.*

---

[1] C. 10. D. XLVII.; c. 4. 5. C. XXVII. qu. 1.
[2] C. 9. D. XXXVII.; c. 10. C. XV. qu. 1.
[3] C. 4. D. LVI.; c. 42. 43. C. XXVII. qu. 2.
[4] C. 69. C. XI. qu. 3.
[5] C. 2. D. XLIX.; c. 15. D. L.; c. 5. 8. D. LVI.
[6] C. 12. D. XXXVIII.; c. 7. D. XXXIX.
[7] C. 14. D. IV. de poenit.
[8] C. 5. 6. D. LXXVI.; c. 5. C. XXIV. qu. 1.
[9] C. 1. D. XLIX.; c. 18. D. L.
[10] C. 1.—12. D. I.
[11] C. 34. D. L.; c. 61.—66. D. IV. de cons.
[12] C. 21. D. LXIII.; c. 15. C. XVI. qu. 7.
[13] Lexicon eccl. Friburg., ed. Friburg. in Brisg. 1847 sqq. v. *Glossen, biblische,* tom. IV. p. 540. sqq.; ed. II. ibid. 1882 sqq. tom. V. p. 710. sqq.
[14] C. 1. D. XXVI. (glossa ord. I. Tim. 3, 2); c. 4. D. XXVII. (gl. ord. I. Tim. 5, 12); c. 22. D. IV. de poenit. (gl. interlin. Os. 7, 2); c. 23. ead. (gl. ord. Os. 7, 2). Cfr. Biblia Sacra cum Glossa ordinaria, ed. Duac. et Antverp. 1617, tom. VI. col. 701. et 715.; tom. IV. col. 1746.
[15] *Friedberg* in citt. prolegg. col. XXXIX. sqq.
[16] Uti est v. g. *Eginhardi* seu *Einhardi* († 844) Vita Caroli Magni, cujus operis cap. 6. (*Pertz,* Monumenta Germ. hist., ed. Hannover. 1826 sqq. Script. tom. II. p. 445. sq.) ex parte refertur in c. 10. C. XXIII. qu. 8., attamen falso sub nomine *Alcuini* († 804). Cfr. *Richter* in part. I. Corporis jur. can., ed. Lips. 1839, ad cit. can. not. 26; *Friedberg,* ad eund. can. not. 50.
[17] Cfr. de eo infra *append.* cap. 1. sqq.
[18] C. 6. 7. D. XII.; c. 28.—31. C. II. qu. 6; c. 30. C. XXVII. qu. 1.
[19] C. 5. 35. 36. C. XI. qu. 1.

(484—507), in usum Romanorum, sibi subditorum, e praefato Codice Theodosiano atque ex operibus juristicis nonnullorum jurisconsultorum Romanorum saec. II. et III. post Chr., nominatim *Gaji, Julii Pauli* et *Papiniani,* addita difficilioribus capitibus sub inscriptione: *interpretatio* paraphrasi, idiomate latino illius regionis concepta, componi jussit et a. 506 in peculiari codice publicavit, qui dicitur *Lex Romana Wisigothorum, Breviarium Alaricianum, Breviarium Aniani* [1], *Corpus Theodosianum, Lex Theodosiana* vel etiam *Leges Theodosianae* [2].

2. Constitutiones *juris germanici,* et quidem praesertim *Francorum,* et in specie sic dicta *Capitularia Regum Francorum,* quae sunt decreta a regibus Francorum cum consilio et consensu episcoporum et abbatum atque procerum saecularium edita [3], nec non constitutiones Imperatorum Romano-Germanicorum, uti nominatim *Ottonis I.* (936—973) [4].

§ 13. Quibus collectionibus juris ecclesiastici Gratianus in exarando opere suo usus fuerit [5].

Neque tamen Gratianus illas auctoritates omnes ex earum fontibus hausit; immo longe plurimas earum e juris canonici collectionibus, quae tunc exstabant [6], deprompsit.

Quibus autem praecise juris ecclesiastici collectionibus Gratianus usus fuerit, utique cum omni certitudine definiri nequit, idque jam ideo, quia nobis de omnibus juris ecclesiastici collectionibus, quae illo tempore exstabant, nondum plene constat [7].

Attamen saltem cum magna verisimilitudine haec opera litteraria a Gratiano in exarando ipsius opere adhibita fuisse dici possunt.

1. *Breviatio Canonum Fulgentii Ferrandi,* quae est compendium canonum synodorum latinarum et graecarum, et harum quidem secundum versionem Isidorianam seu Hispanicam, a *Fulgentio Ferrando,* Carthaginiensis Ecclesiae diacono, primo dimidio saec. VI. adornatum [8].

---

[1] *Anianus* erat regis *Alarici II.* referendarius seu cancellarius, qui exemplaribus hujus codicis, ad comites regni transmittendis, subscriptione sua fidem facere debuit; unde codex ille etiam *Breviarium Aniani* dictus est.

[2] *Savigny* l. c. tom. II. p. 37. sqq.; *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, ed. XIV. Vindob. 1862 sq., tom. I. § 59. Quem codicem sub titulo: *Lex Romana Wisigothorum* edidit *Gustavus Haenel* Berol. 1847—1849. Cfr. c. 22. 24.—27. C. II. qu. 6. et notationem (Corr. Romm.) ad cit. c. 22. ead., quae incipit: „Hoc et sequentia capita" etc.

[3] *Walter,* Deutsche Rechtsgeschichte, ed. II. Bonnae 1857, tom. I. p. 164. sqq.; *Siegel,* Deutsche Rechtsgeschichte, ed. Berol. 1886, p. 33. sqq. Cfr. c. 3. D. XIX.; c. 34. D. LXIII.; c. 37. C. XI. qu. 1.; c. 27. C. XVII. qu. 4.

[4] C. 33. D. LXIII.

[5] *Friedberg* in citt. prolegg. col. XLII. sqq.; *Richter-Dove-Kahl,* Lehrbuch des kathol. und evangel. Kirchenrechts, ed. VIII. Lips. 1886, p. 148. not. 4.

[6] *Walter-Gerlach* l. c. § 100.

[7] Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 63. sq.

[8] *Walter-Gerlach* l. c. § 87.

2. Collectio quaedum, saec. IX. adornata, in libb. XII divisa et *Anselmo II.,* Mediolanensi archiepiscopo (888—897), dedicata, atque hinc simpliciter *Collectio Anselmo dedicata* vocari solita [1]. Quae collectio apud antiquos auctores etiam sub nomine: *Corpus Canonum* venit [2].

3. Collectio, a *Burchardo (Brocardo),* Wormatiensi in Germania episcopo, intra a. 1012 et 1022 composita et in libb. XX divisa, quae communiter *Decretum Burchardi Wormatiensis* dicitur [3].

4. Collectio, initio saec. XI. adornata, in libb. XII divisa, et ideo communiter *Collectio XII Partium* dici solita [4].

5. Collectio, ab *Anselmo,* Lucensi episcopo († 1086), exarata et in libb. XIII divisa [5].

6. Collectio, a Cardinali *Deusdedit* altero dimidio saec. XI. adornata, in libb. IV divisa et Papae *Victori III.* (1086—1087) dedicata [6].

7. Duo opera *Ivonis,* Carnotensis in Gallia episcopi († 1117), versus finem saec. XI. elucubrata, videlicet *Decretum,* in XVII partes divisum, et *Panormia,* in libb. VIII distincta [7].

8. Collectio, versus finem saec. XI. composita et in *tres* partes divisa, in quarum I. exhibentur decretales Summorum Pontificum, in II. canones synodorum et in III. effata SS. Patrum, fragmenta juris civilis et aliae auctoritates; unde ipsa *Collectio Trium Partium* appellari solet [8].

9. Collectio, a quodam Cardinali presbytero, nomine *Gregorio,* initio saec. XII. adornata et in libb. VIII divisa, quae communiter *Polycarpus* dicitur [9].

10. Collectio quaedam, initio saec. XII. exarata et in libb. XV divisa, quae, quia in codice ms. coenobii Carthusianorum in civitate hispanica *Caesaraugusta* detecta est, vulgo *Collectio Caesaraugustana* appellatur [10].

11. Duo opera, ab *Algero,* Leodiensi in Belgio canonico scholastico, initio saec. XII. elucubrata, quorum alterum inscriptum est: *De misericordia et justitia,* alterum: *Liber sententiarum* [11].

12. Celebre opus: *Quatuor Libri Sententiarum,* a *Petro Lombardo,* Parisiensi episcopo († 1164), c. a. 1140 exaratum [12], quo Gratianus

---

[1] *Walter-Gerlach* l. c. §. 100. n. 3.

[2] *Savigny* l. c. tom. II. p. 291. not. b.; tom. IV. p. 473.

[3] *Walter-Gerlach* l. c. § 100. n. 12. [4] *Walter-Gerlach* l. c. n. 13.

[5] *Walter-Gerlach* l. c. n. 17.

[6] *Walter-Gerlach* l. c. n. 23. Eam edidit a. 1869 Venetiis *Pius Martinucci,* sub titulo: „Deusdedit, Presb. Card. tit. SS. Apostolor. in Eudoxia, Collectio canonum."

[7] *Walter-Gerlach* l. c. n. 26. et 27; *Savigny* l. c. tom. II. p. 307.

[8] *Walter-Gerlach* l. c. n. 28. [9] *Walter-Gerlach* l. c. n. 35.

[10] *Walter-Gerlach* l. c. n. 31; *Doujat* l. c. lib. III. cap. 24. n. 3.

[11] *Walter-Gerlach* l. c. § 36; *Richter,* Beiträge zur Kenntniss der Quellen des canonischen Rechts. Lips. 1834, p. 7. sqq.; *Hüffer,* Beiträge zur Geschichte der Quellen des Kirchenrechts. Monast. 1862, p. 1. sqq., p. 27.

[12] Lexicon eccl. Friburg., ed. Friburg. in Brisg. 1847 sqq., tom. VI. p. 583. sqq.

certe in Causis XXVII.—XXXVI., de matrimonio agentibus, usus esse dignoscitur [1].

Supra nominatis operibus Gratianum in adornando opere suo usum fuisse, partim ipse innuit [2]; partim testatur celeber canonista, Gratiano, si non coaevus, certe suppar, nomine *Bernardus,* Papiae natus et hinc communiter *Papiensis* dici solitus, usque ad a. 1191 Papiensis praepositus, inde ab a. 1191 usque ad a. 1198 Faventinus episcopus, et inde ab a. 1198 usque ad a. 1213, quo obiit, episcopus Papiensis [3], qui Gratianum in exarando ipsius opere nominatim *Decretum Burchardi Wormatiensis* atque *Corpus Canonum (Collectionem Anselmo dedicatam)* adhibuisse refert [4]; partim demonstrat illa plane singularis congruentia auctoritatum, a Gratiano in Decreto adductarum, cum eisdem auctoritatibus, in aliqua illarum collectionum relatis [5]; quae congruentia haud raro ad ipsos etiam errores et naevos, illius collectionis proprios, se extendit [6].

Fragmenta autem *juris civilis romani* Gratianus ex ipsis ejus fontibus, qui eo tempore Bononiae omnino vulgati erant [7], hausisse dignoscitur [8]. Immo *Bernardus Papiensis* Gratianum etiam fragmenta

---

[1] *Schulte,* Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Dritter Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 53. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 32. sq. et p. 61. Econtra cfr. *Friedberg* in citt. prolegg. col. LXXIV. sq.

[2] Et quidem in dicto post c. 34. D. LXIII., ubi expresse meminit *Breviationis Canonum Fulgentii Ferrandi.*

[3] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 175 sqq. Qui Bernardus, quum Papiensis praepositus esset, *collectionem decretalium* adornavit, quam ipse *Breviarium Extravagantium* intitulavit, usus autem *Compilationem primam* appellavit. Cujus collectionis, quum esset Faventinus episcopus, *Summam* exaravit, quam *Ern. Ad. Theod. Laspeyres* Ratisbonae a. 1860 publici juris fecit sub titulo: *Bernardi Papiensis Summa Decretalium.* Nonnulli, uti nominatim *Ughelli* (Itàlia sacra, ed. Venet. 1717, tom. I. col. 1097.), ei cognomen *Balbi,* alii, uti v. g. *Jöcher* (Allgem. Gelehrten-Lexikon, ed. Lips. 1750 sq., tom. I. col. 1921.), *Justus Henning Böhmer* (Dissertatio altera de decretalium Pontiff. Romm. variis collectionibus et fortuna, §§ XIII. et XIV., in Corp. jur. can., ed. Halae Magd. 1747, tom. II. col. XXXV.) et *Helfert* (Handbuch des Kirchenrechts, ed. III. Prag. 1846, p. 41.), attamen prorsus falso, cognomen *Circa* tribuunt. Quomodo opinio de Bernardi cognomine *Circa* verisimiliter ortá sit, ea de re cfr. *Richter,* De inedita decretalium collectione Lipsiensi. Lips. 1836, p. 1.; *Laspeyres,* in Bernard. Pap. Summa Decretalium, ed. cit. Praefat. p. LV.

[4] Nimirum in sui Breviarii Extravagantium *Summa,* et quidem in ejus prooemio, ubi, memorans materiam hujus Breviarii et innuens, se eam partim ex iisdem operibus litterariis hausisse, quibus Gratianus in Decreto componendo usus fuerit, ait: „Materia sunt decretales et quaedam utilia capitula, quae in Corpore Canonum . . . et Brocardo reliquerat Gratianus, poma nova et vetera nobis servans.“ (*Bernardi Papiensis* Summa Decretalium, ed. cit. p. 5.)

[5] Cfr. v. g. c. 36. C. XXVII. qu. 2. et *Petr. Lombard.* Sent. lib. IV. dist. 30. § 3. (*Migne,* Patrolog. curs. compl. Ser. II. Paris. 1844 sqq., tom. 192. col. 918.)

[6] Cfr. *Richter,* De emendatoribus Gratiani. Lips. 1835, p. 1. sqq.

[7] Cfr. infra append. cap. 3. art. 2.

[8] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 64.

epistolarum *S. Gregorii I.* (590—604) ex earum fonte, nimirum ex *Regesto (Registro)* [1] hujus Summi Pontificis hausisse refert [2].

Recentiorum decretalium pontificiarum, nominatim Papae *Innocentii II.* (1130—1143) [3], atque canonum Conciliorum, uti generalis Concilii *Lateranensis II.* a. 1139 [4], Gratianus apographa seu copias prae manibus habuerit.

Ex eo, quod Gratianus in adornando opere suo tam diversis collectionibus juris ecclesiastici usus est, inter caetera id venit, quod in illo opere canones synodorum graecarum modo in versione latina Isidoriana seu Hispanica, modo in Dionysiana adducuntur [5], prouti nimirum in illa collectione canonum, qua Gratianus recte tunc utebatur, in hac vel illa versione exhibebantur.

§ 14. Quando et ubi Gratianus opus hoc confecerit [6].

Quod attinet *tempus,* quo opus Gratiani exaratum sit, hoc respectu omnino certum est, 1. ipsum non fuisse exaratum *ante* Concilium generale *Lateranense II.,* die 2. Aprilis 1139 inchoatum [7], neque 2. exaratum esse *post* electionem Papae *Alexandri III.* (1159—1181), die 7. Septembris 1159 factam [8].

---

[1] Sub *Regestis (Registris)* pontificiis intelliguntur libri, in quos ab Ecclesiae Romanae notariis copiae pontificiarum epistolarum, antequam hae ad determinatas personas emitterentur, relatae sunt. Cfr. *Jaffé* l. c. Praefat. p. V.

[2] Is enim in praefata sua *Summa Decretalium* l. c. de hac re ait: Materia sunt . . . quaedam utilia capitula, quae in Corpore Canonum, *registro Gregorii* et Brocardo reliquerat Gratianus" etc. Habere autem Bernardum hoc loco in mente S. Gregorium I. et non forte VII. (1073—1085), infertur ex eo, quod is dictum Registrum ante Decretum Burchardi Wormatiensis ponit, atque ex eo, quod ipse in hoc suo Breviario Extravagantium recte multas *S. Gregorii I.* epistolas adducit. Cfr. ipsum Breviarium Extravagantium in: Antiquae collectiones decretalium, ed. *Ant. Augustinus,* Ilerd. 1576, fol. 7. a, p. 9., p. 10., p. 12., fol. 16. b, fol. 17. b, fol. 21. a; etiam in: Quinque Compilationes antiquae, ed. *Aemil. Friedberg,* Lips. 1882, p. 1. sqq.

[3] Uti est v. g. ejus decretalis, a. 1138—1143 ad Ottonem, Lucensem episcopum, data (*Jaffé,* Regesta Pontiff. Romm., ed. II. Berol. 1885, tom. I. p. 908. n. 8316.), quae refertur in c. 8. C. XXXV. qu. 6.

[4] Qui referuntur v. g. in c. 2. D. XXVIII.; c. 3. D. LX.; c. 29. C. XVII. qu. 4.; c. 8. D. V. de poenit.

[5] Cfr. supra p. 14. not. 10.

[6] *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 144. sqq.; *Maassen,* Paucapalea, in citt. relatt. sess. tom. XXXI. p. 474. sqq.; *Walter-Gerlach* l. c. § 101.; *Vering,* Lehrbuch des kathol., oriental. und protest. Kirchenrechts, ed. II. Friburg. in Brisg. 1881, p. 75.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 47. sq.; *Friedberg* in citt. prolegg. col. IX.; *Idem,* Lehrbuch des kathol. und evangel. Kirchenrechts, ed. II. Lips. 1884, p. 88.; *Scherer,* Handbuch des Kirchenrechts. Graecii 1885 sqq., tom. I. p. 244. not. 8.; *Richter-Dove-Kahl,* Lehrbuch des kathol. und evangel. Kirchenrechts, ed. VIII. Lips. 1886, p. 146. sq. not. 1.

[7] *Jaffé,* Regesta Pontiff. Romm., ed. II. Lips. 1885, tom. I. p. 885.

[8] *Jaffé,* Regesta Pontiff. Romm., ed. Berol. 1851, p. 679.

Et primum quidem inde patet, quod in illo opere canones praefati Concilii Lateranensis referuntur [1].

Alterum e sequentibus elucet. *Rolandus Bandinellus,* olim in Bononiensi Universitate professor Theologiae seu magister, qui, quum certe jam die 21. Novembris 1150 Cardinalis diaconus tit. SS. Cosmae et Damiani, die 30. Mart. 1151 Cardinalis presbyter tit. S. Marci et die 16. Maji 1153 S. R. E. Cancellarius extitisset [2], die 7. Sept. 1159 Summus Pontifex electus est et nomen novum, *Alexandri III.,* assumpsit [3], opus Gratiani in *Summam* (compendium) redegit, quae in codicibus mss. gerit titulum: „*Stroma* [4] *Rolandi,* ex Decretorum corpore carptum“ [5]; quem quidem titulum ab ipso auctore accepisse dignoscitur [6]. Quae Summa a dicto magistro Rolando ante ipsius electionem in Summum Pontificem adornata esse debuit, quum secus non magistri Rolandi, sed *Papae Alexandri III.* Stroma inscripta fuisset. Opus Gratiani ipsum autem tunc, quum ejus Summa adornaretur, necessario jam extitisse, per se manifestum est.

Quo autem *anno* opus Gratiani absolutum et evulgatum fuerit, eruditi inter se multum dissentiunt.

Et alii quidem eorum, iique recentiores, praesertim ea ratione innixi, quod inde a temporibus Papae *Coelestini II.* (26. Sept. 1143 u. ad 8. Mart. 1144) [7] clausula: *Salva Sedis Apostolicae auctoritate* in pontificiis instrumentis constanter eo sensu adhibeatur, quo in opere Gratiani (C. XXV.) proponitur, quem sensum dictae clausulae cancellariam apostolicam ex opere Gratiani hausisse supponunt, opus Gratiani jam ante Pontificatum *Coelestini II.,* intra a. 1139 et 1142, confectum fuisse asserunt [8].

---

1 V. g. in c. 2. D. XXVIII. (c. 6.); in c. 3. D. LX. (c. 10.); in c. 35. D. LXIII. (c. 28.); in c. 29. C. XVII. qu. 4. (c. 15.); in c. 40. C. XXVII. qu. 1. (c. 7. et 8.); in c. 8. D. V. de poenit. (c. 22.).

2 Quod inde manifestum est, quia qua talis est bullis pontificiis, tunc temporis editis, subscriptus. Vide *Jaffé* l. c. (ed. Berol. 1851) p. 616.

3 Id quod post Papam *Joannem XII.* (956—964), qui primus, antea *Octavianus* dictus, post sui electionem in Summum Pontificem nomen novum, *Joannis XII.,* assumpserat, inde ab exeunte saec. X. omnes fere Summi Pontifices, paucis (*Hadriano VI.,* 1522—1523, et *Marcello II.,* 1555) exceptis, observaverunt. Cfr. *Phillips,* Kirchenrecht, tom. V. p. 785 sq.

4 Stroma, gr. στρῶμα (a στρώννυμι, στρώω. sterno), stratum, stragulum, tapetum, tabula. Eadem ratione *Clemens Alexandrinus* († mox post a. 217) unum operum suorum *Stromata* (Στρώματα) intitulavit. Cfr. *Fessler,* Institutiones Patrologiae, ed. Oenipont. 1850 sq., tom. I. p. 255.

5 Eam sub titulo: „Summa Magistri Rolandi“ edidit *Fridericus Thaner,* Oeniponte 1874.

6 *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 115. sq.

7 *Jaffé* l. c. (ed. Berol. 1851) p. 606. 609.

8 *Thaner,* Ueber Entstehung und Bedeutung der Formel: Salva Sedis apostolicae auctoritate in den päpstlichen Privilegien, in citt. relatt. sess. tom. LXXI. p. 829. sqq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 48.

Verum haec assertio quam parum sit firma, jam inde colligitur, quod illa, cui ipsa innititur, suppositio, nimirum cancellariam apostolicam praefatum sensum memoratae clausulae ex opere Gratiani hausisse, solido fundamento destituta est, quum, uti ipsi hujus assertionis patroni concedunt [1], cancellaria apostolica illum sensum dictae clausulae non necessario ex opere Gratiani haurire debuerit, sed eam aliunde haurire potuerit, forte ex aliquo nunc ignoto auctore, quem tum ipsa, tum Gratianus prae manibus habuerit [2].

Ex antiquioribus canonistis unus, nomine *Huguccio* († 1210), qui usque ad a. 1190, quo Ferrariensis episcopus factus est, Bononiae jus canonicum docuit [3], in sua *Summa Decreti,* 1178—1187 confecta [4], opus Gratiani eo tempore compositum esse dicit, quo *Jacobus de Porta Ravennate,* patria Bononiensis, et hinc communiter *Jacobus Bononiensis* dictus [5], jam Bononiae jus civile doceret, et *Alexander III.,* antequam Summus Pontifex factus esset, ibidem Theologiam traderet [6].

Ex hac notatione Huguccionis autem circa *annum,* quo opus Gratiani adornatum fuerit, parum certi colligi potest. Etenim *quo anno* dictus *Jacobus* Bononiae jus civile docere coeperit, non constat. Eum tamen a. 1151 Bononiae jus civile docuisse, certum est [7]. Item indubium est, eum die 11. Octobris 1187 Bononiae obiisse [8].

Neque, quo anno Papa *Alexander III.,* seu proprie *Rolandus Bandinellus,* Bononiae munus magistri Theologiae obire coeperit, certo constat. Is quidem certe jam a. 1141 Capituli cathedralis Pisani canonicus fuit [9], et qua talis utique facile magisterium Theologiae Bononiae gerere potuit [10]; num autem illud qua talis *reapse* gesserit, certo non constat. Porro ex eo, quod ipse die 21. Novembris 1150 jam Cardinalis diaconus fuit et qua talis pontificiis bullis semet sub-

---

[1] *Thaner* l. c. p. 834. not. 1.

[2] *Richter-Dove-Kahl* et *Scherer* ll. cc. supra p. 21. not. 6.

[3] *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 264. § 12.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 156. sqq.

[4] *Schulte* l. c. p. 161. sqq.

[5] *Savigny* l. c. tom. IV. p. 142. sqq.

[6] Nimirum *Huguccio* ad annum Dominicae Incarnationis MCV., formulae appellationis, a Gratiano in ipsius dicto post c. 31. C. II. qu. 6. adductae, adpositum (cfr. *Friedberg* ad cit. dict. Grat. not. 393.), notat, hunc annum (1105) non esse pro anno exarati operis Gratianei reputandum, quum inde ab ortu hujus operis usque ad illud tempus nequaquam tantum temporis effluxerit; esse enim exaratum eo tempore, quo Jacobus Bononienis jam Bononiae jus civile doceret et *Alexander III.* ante suum Pontificatum ibidem Theologiam traderet. Ipsa *Huguccionis* verba haec sunt: „Credo, hic esse falsam literam; nec credo, quod tantum temporis effluxerit, ex quo liber iste compositus est; cum fuerit compositus domino Jacobo Bononiensi jam docente in scientia legali, et Alexandro tertio Bononiae residente in cathedra magistrali in divina pagina, ante apostolatum ejus.“ (*Maassen,* Paucapalea, in citt. relatt. sess. tom. XXXI. p. 452.)

[7] Id probat sententia, ab eo tanquam judice delegato a. 1151 lata, quae refertur apud *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 47. § 9.

[8] *Savigny* l. c. p. 145.

[9] *Sarti* l. c. tom. I. part. 2. p. 6.

[10] *Phillips* l. c. tom. IV. p. 146. not. 24.; *Maassen* l. c. p. 475. not. 72.

scripsit, rationabiliter infertur, eum tunc temporis non amplius Bononiae munus magisterii theologici gessisse [1].

Ex illa notatione *Huguccionis* igitur pro re nostra ad summum id inferri potest, opus Gratiani die 21. Novembris 1150 jam exaratum fuisse, quum illa die Rolandus Bandinellus non amplius Bononiae magister Theologiae fuerit.

Ipsum *annum* confecti operis Gratianei nominat *Joannes Teutonicus,* natione Germanus, cognomine *Semeca,* juris canonici in Bononiensi Universitate professor et serius Halberstadii in Germania ecclesiae S. Stephani praepositus, circa medium saec. XIII. defunctus [2]. Is nimirum in suo apparatu glossarum ad Decretum Gratiani [3], certe jam ante Concilium generale *Lateranense IV.,* diebus 11.—30. Novembris 1215 celebratum [4], elucubrato, Decretum Gratiani, chronicorum, ut ait, fidem hac in re secutus, praecise a. 1150 in lucem editum esse refert [5].

Eundem a. 1150 exarati operis Gratianei statuit relatio super comitiis, a rege Angliae *Canuto Magno* [6] a. 1021 Vintoniae habitis, in quodam antiquo codice ms. monasterii *S. Edmundi* in Suffolkia adducta [7].

Verum alia, eaque haud minus gravia documenta antiqua [8], opus Gratiani demum a. 1151 compositum esse referunt [9].

---

[1] *Maassen,* Beiträge zur Geschichte der juristischen Literatur, in citt. relatt. sess. tom. XXIV. p. 18. not. 1.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 115.

[2] *Schulte* l. c. p. 172. sqq., potius autem in: Zeitschrift für Kirchenr. (edd. *Dove* et *Friedberg*), tom. XVI., ser. nov. tom. I. (Friburg. Brisg. et Tubing. 1881) p. 107. sqq.

[3] Cfr. infra cap. 6. art. 1. § 34.

[4] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm., ed. Berol. 1874 sq., vol. I. p. 437.

[5] Is nimirum in sua gl. (ossa) ad cit. dictum Grat. post c. 31. C. II. qu. 6. v. MCV., respectu ad notationem, ab *Huguccione* huic loco adpositam (cfr. supra p. 23. not. 6.), habito, ait: „Dicit Hug., quod hic est falsa litera, quia non sunt tot anni, quod liber iste compositus fuit. Fuit enim editus docente Jacobo Bononiensi in legibus et Alexandro in Theologia, qui fuit postea papa Alexander III. Et fuit anno Domini MCL., ut ex chronicis patet.“ (*Maassen,* Paucapalea, in citt. relatt. sess. tom. XXXI. p. 476.)

[6] Is fuit rex usque ad a. 1036, in *Dania* inde ab a. 1014, in *Anglia* inde ab a. 1017.

[7] Quae relatio (*Harduin.* tom. VI. part. 1. col. 825. sq.), in quantum huc pertinet, ita sonat: „Rex Canutus anno regni sui quinto, videlicet per centum et triginta annos ante compilationem decretorum, quae anno Domini MCL. fuerunt compilata, anno septimo pontificatus Papae Eugenii III., et ante compilationem aliorum canonum quorumcumque, cunctos regni sui praelatos proceresque ac magnates ad suum convocans parliamentum, in suo publico parliamento“ etc. (*Phillips,* in *Archiv* für kathol. Kirchenrecht, tom. XII. p. 474. sq.)

[8] Adducta apud *Maassen* l. c. p. 476. sq.

[9] Huc pertinet nominatim:

a) Antiquus codex ms. Decreti, in bibliotheca Vaticana asservatus, in quo opus Gratiani hunc gerit titulum: „Decretum Gratiani, Monachi sancti Felicis Bononiensis, ordinis sancti Benedicti, compilatum in dicto monasterio, anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo, tempore Eugenii papae tertii.“ Cfr. Praefationem (Corr. Romm.), in fronte Decreti positam sub inscriptione: „Ea, de quibus lectorem principio visum est admonere, haec sunt“, §: *De titulo.*

b) Antiquum chronicon, item bibliothecae Vaticanae proprium, quod inscriptum: „Pomoerium ecclesiae Ravennatis“, de Gratiani opere ita refert: „Anno Christi mil-

Relationes auctorum antiquorum, modo propositas, assertioni recentiorum, superius adductae, praevalere, per se evidens est. Utra autem ex his relationibus auctorum antiquorum alteri praeferenda sit, cum certitudine decidi nequit [1]. Unde circa hanc quaestionem cum erudito viro *Waltero* [2] simpliciter dicendum videtur, adornatum opus Gratiani esse anno 1150 *vel* 1151.

Bononiae autem, et quidem in monasterio SS. Felicis et Naboris, adornatum illud opus esse, antiqua documenta supra [3] allata unanimiter contestantur.

§ 15. Quem titulum Gratianus operi suo praefixerit.

Appellari opus Gratiani apud scriptores antiquos solet diversis nominibus, uti: *Decreta* [4], *Codex decretorum, Corpus decretorum, Liber decretorum, Volumen decretorum, Liber canonum, Concordantia (Concordia) discordantium canonum,* immo jam altero dimidio saec. XIII. etiam *Corpus juris canonici* [5].

---

lesimo centesimo quinquagesimo primo Gratianus Monachus, de Classa civitate Tusciae natus, Decretum composuit apud Bononiam in monasterio sancti Felicis." Cfr. cit. Praefationem (Corr. Romm.).

c) Jam supra (p. 11.) memoratum monumentum Gratiani, Bononiae in ecclesia S. Petronii olim asservatum et a. 1499 renovatum, cum hac inscriptione: „D. O. M. Gratiani Clusini Caesarei jur. et Pont. enucleatoris prope divini: qui monachus in martyrum Felicis et Naboris aede absolutiss. ibidem opus Decretorum anno gratiae M.C.LI. compilavit." (*Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 266.)

d) Notatio Gratiano coaeva, a canonista *Jos. Ant. de Riegger* in dissertatione academica de „Gratiano auctore Decreti" a. 1769 habita, § III. allegata, ab eo, ut ipse refert, in singulari quodam folio membranaceo codicis Gratianei ms., in bibl. aug. Vindobonensi exstantis, inventa, hujus tenoris verborum: „Liber Decretorum per Gracianum Clus. monachum S. Felicis civitatis Bononiensis ordinis S. Benedicti fuit compilatus in eodem monasterio anno Domini MCLI." (*Jos. Ant. Rieggeri* Opuscula ad histor. et jurisprudent. praecipue eccl. pertinentia. Friburg. Brisg. 1773, p. 270.)

e) Chronicon *Joannis de Thielrode*, monachi abbatiae S. Bavonis in civitate Gandavensi (Gent in Belgio), ab ipso versus finem saec. XIII. adornatum, ubi ad a. 1151 refertur: „Gratianus Monachus, de Guisa civitate Tusciae natus, decretum composuit hoc anno MCLI." (*Warnkönig*, Flandrische Staats- und Rechtsgeschichte. Tubing. 1835, tom. I. p. 49.; *Phillips* l. c. tom. IV. p. 146. not. 23.)

[1] Nec praesto est sufficiens ratio positionis, documenta ultimo adducta annos Dominicae Incarnationis computare secundum calculum *Pisanum*, qui calculum communem in numero annorum uno anno superat (cfr. *Brinckmeier*, Pract. Handbuch der hist. Chronologie aller Zeiten und Völker, ed. II. Berol. 1882, p. 93. sq.); quo casu relatio documentorum, supra not. adductorum, cum relatione *Joannis Teutonici* et praefati codicis ms. *Suffolkiensis* utique congrueret. Cfr. *Maassen* l. c. p. 478.

[2] *Walter-Gerlach* l. c. p. 241. [3] Pag. 24. not. 9.

[4] Qua ratione loci hujus operis apud antiquos canonistas citantur cum appositione vocis: *in decretis.* Cfr. supra p. 9.

[5] Apud *Sarti* l. c. tom. I. part. 2. append. p. 214. n. XIV. adducitur exaratum die 24. Julii (IX. Kal. August.) 1262 instrumentum donationis nonnullorum librorum, et inter eos nominatim Decreti Gratiani sub titulo: „Corpus Juris Canonici", quos libros Doctor Decretorum, nomine *Bonajuncta Peponis*, monasterio et

Quem autem illorum titulorum Gratianus ipse huic operi praefixerit, certo definiri nequit.

Sunt quidem, qui asserant, Gratianum ei titulum: *Concordantia discordantium canonum* imposuisse [1].

Qui titulus quidem utique uni e finibus, quos Gratianus hoc opere prosequitur, videlicet, canones inter se discordantes secum invicem in concordiam revocare [2], omnino congruit; et hinc impossibile dici nequit, ut eum Gratianus huic operi praefixerit.

Porro illum titulum etiam plures codices mss. hujus operis, iique antiqui, referunt [3].

Immo canonista *Rufinus*, in sua *Summa Decreti* [4], intra a. 1160 et 1170 exarata, expresse ait, Gratianum hoc opus *Concordiam discordantium canonum* inscripsisse [5].

Attamen his ex altera parte rationabiliter opponitur, quod occurrunt etiam multi, iique valde antiqui, codices mss. hujus operis, qui illum titulum non referunt; id quod pro magna, quae Gratiano ejusque operi statim ab initio exhibebatur, reverentia et aestimatione locum non haberet, si Gratianus ipse illum titulum operi suo praefixisset [6].

---

ecclesiae S. Galgani, Ordinis Cisterciensis, Vulteranae dioeceseos (in provincia Beneventana), donavit. Quod instrumentum, in quantum huc spectat, sonat, ut sequitur: „Anno MCCLXII. Indictione V. Nono Kalen. Augusti. Donatio Bonajuncte quondam Peponis Decretorum Doctoris facta Monasterio, et Ecclesiae S. Galgani Vulterrane Dioecesis Ordinis Cisterciensis, et Domino Galgano Abbati regulari predicti Monasterii.“ — „Totum Corpus Juris Civilis.“ . . . „Corpus Juris Canonici, quod est Decretorum Liber, et valet XII. libr.“ . . . „Actum in Claustro Ecclesie Rotunde S. Galgani de Monte Sepio per Alumannum Bernardini Not.“

[1] Ita nominatim *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 48.; *Idem* in *Dove*, Zeitschrift für Kirchenrecht, tom. XI. p. 305.; *Friedberg* l. c. col. IX.

[2] Cfr. dict. Grat. post c. 24. D. L.; post c. 27. C. I. qu. 7.; post c. 8. C. XXVII. qu. 2.; etiam supra p. 12.

[3] Huc pertinet inter caeteros etiam caes.-reg. bibl. palat. Vindob. codex ms. lat. nr. 2131. mbr. saec. XIII. fol., in quo hoc opus inscriptum est: *Concordantia discordantium canonum, ac primum de jure et constitutione.* Alium codicem ms., ex saec. XII., adducit *Schulte*, Iter gallicum, in citt. relatt. sess., tom. LIX. p. 367. nr. VIII., ubi Decretum Gratiani inscribitur: *Concordantia discordantium canonum ac primum de jure constitutionum et naturae.* Cfr. *Idem*, Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptis memorabilibus, tom. XXI. part. 2. p. 21.; *Friedberg* l. c. col. IX.

[4] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 121. sqq.

[5] „Universo operi“, ita verbotenus ait *Rufinus* (apud *Schulte* l. c. p. 49. not. 8. et p. 250.), „titulum praescribit discordantium canonum concordiam.“

[6] Cujusmodi codices mss. duos Vaticanos memorat *Sarti* (l. c. tom. I. part. 1. p. 275. § 25.). Porro alios hujusmodi codices mss. prae manibus habuerunt viri eruditi, quos saec. XVI. Summi Pontifices ad emendandum hoc opus deputaverant, qui vulgo *Correctores Romani* dicuntur. Id elucet ex cit. Praefatione eorum, in fronte Decreti collocata sub inscriptione: „Ea, de quibus lectorem principio“ etc. §: *De titulo;* porro ex eorundem notatione ad titulum, Decreto Gratiani in editionibus impressis praefigi solitum: „Concordia discordantium canonum, ac primum de jure divinae et humanae constitutionis“ ad voc.: *ac primum* (in editione, quae ex

Nec ille codex Decreti ms., quo *Rolandus Bandinellus* in adornanda sua Summa Decreti, id quod certo ante diem 7. Septembris 1159 locum habuit, usus est, titulum: „Concordia (Concordantia) discordantium canonum“ habuisse dignoscitur, sed potius titulum: *Decreta Gratiani* gessisse videtur. Id non solum ex inscriptione ipsius Summae: Stroma Rolandi ex *Decretorum corpore* carptum, sed etiam ex iis colligitur, quae idem Rolandus in prologo hujus Summae ad explicandum titulum Gratianei operis, ab eo hic in compendium redacti, affert, dicens: „Hoc opus a compilatore nomen habet, non quod ipse ‚decretorum auctor‘ extiterit, sed de diversis partibus ea in unum congesserit.“ [1]

E quibus verbis Rolandi manifeste elucet, in titulo, quem opus Gratiani in illo codice ms. praeferebat, necessario vocem: *decreta,* et nequaquam: *canones* positam fuisse, quum tota illa explicandi ratio Rolandi ad vocem: *decreta,* et nequaquam ad vocem: *canones* spectet; et hinc illum titulum nullatenus: „Concordantia (Concordia) discordantium canonum“ esse potuisse.

Cui accedit, quod Rolandus, etiam Summus Pontifex *(Alexander III.)* factus, Gratiani opus non voce: „Concordantia (concordia) discordantium canonum“, sed voce: *Decreta* citavit [2].

Rolandus quidem e parte sua, considerans intentionem, quam Gratianus in exarando opere illo inter caetera habuit, opus illud in contextu tractatus sui „concordiam canonum“ appellat [3]; attamen Gratianum ipsum ei hunc titulum imposuisse, ne verbo quidem innuit [4].

Quum autem *Rufinus,* qui intra a. 1160 et 1170, et hinc certo post Rolandum [5], suam Summam Decreti adornabat, a Rolando Bandinello, tunc jam Summo Pontifice, opus Gratiani „concordiam cano-

---

recens. Petri et Francisci fratrum *Pithoeorum* prodiit in tom. I. Corporis jur. can., ed. Paris. 1686 sq., fol., et alibi saepius, ad voc.: *de jure*), quae incipit: „Hoc loco in manuscriptis codicibus“ etc.

[1] Summa magistri Rolandi, ed. *Frider. Thaner,* Oenipont. 1874, p. 4.

[2] Videlicet in decretali epistola, ad Norvicensem in Anglia episcopum data (*Mansi,* Sacrorum Concill. nova et ampliss. collectio. Florent. 1759 sqq., tom. XXII. col. 288.), in qua effatum, in c. 3. C. XXXIII. qu. 1. positum, citat his verbis: „Quum in *decretis* habeatur expressum, quod, si vir dixerit, quod“ etc. Fragmentum illius decretalis refertur in collectione decretalium Papae Gregorii IX. ab a. 1234, cap. 6. de despons. impub. IV. 2.

[3] Postquam enim *Rolandus* (apud *Thaner* l. c. p. 4.; etiam apud *Schulte,* Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Erster Beitrag, in citt. relatt. sess., tom. LXIII. p. 307.) hoc respectu dixerat, Gratiano „causam scribendi fuisse, concordiam canonum demonstrare eorumque differentiam ad concordiam revocare“, tum, ea causa ductus, hoc opus ipsum „concordiam canonum“ appellat, dicens: „Materia sunt ea, de quibus agitur. Cum ergo de negotiis ecclesiarum *concordia canonum* agat, quaestiones dirimendo, concordiam canonum ponendo, dissonantiam eorundem ad concordiam revocando, eadem ejus erunt materia.“

[4] Cfr. *Thaner* l. c. Einleitung p. XXV., et econtra *Schulte,* Die Geschichte der Quellen. tom. I. p. 48. not. 8.

[5] Cfr. supra p. 21. sq.

num" dici animadvertisset, facile eam concipere opinionem potuit, Gratianum ipsum hunc titulum operi suo praefixisse, et sic verba supra memorata: „Universo operi titulum praescribit discordantium canonum concordiam" videtur protulisse.

Insuper hic notandum est, neque Gratiani discipulum, canonistam *Paucapaleam,* supra (p. 9. not. 2.) laudatum, in sua Summa Decreti, certe mox post ipsius Decreti evulgationem exarata [1], hoc opus magistri sui voce: „concordia canonum", sed voce: „decreta" citare [2]; quod certo facturus non fuisset, si ipsum Gratianum opus hoc „concordiam discordantium canonum" intitulavisse compertum habuisset.

Pro his dicendum videtur, certum esse, Gratianum opus suum „concordantiam (concordiam) discordantium canonum" *non* intitulavisse. Quem autem titulum ei praefixerit, non certo constare [3]; perquam verisimile esse, eum huic operi titulum: *Decreta* praefixisse.

Nunc opus illud communiter dicitur *Decretum Gratiani,* absque dubio habita ratione Decreti *Burchardi Wormatiensis* atque *Ivonis Carnotensis* [4].

CAPUT TERTIUM.

Originarius Decreti ambitus.

§ 16. Paleae Decreti [5].

Non tamen cum eodem, quem nunc habet, *ambitu* Decretum e manibus Gratiani prodiit.

Et primum quidem in eo nunc plures auctoritates habentur, quas in eo non Gratianus, sed alii, et demum post eum, posuerunt. Hae

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 109. sq.

[2] Is enim in hac Summa, Dist. III., ad ipsum Decreti tenorem et textum provocans, ait: „Quid canon, quid regula, quid privilegium sit, *in decretis* plene expositum est." — In C. XIII. qu. 2.: „Quae in hac quaestione dicta sunt, in tertia quaestione XVI. causae *decretorum* reperies." — In princ. C. XXVII.: „In prima *decretorum* parte." — In princ. Partis III.: „Omnibus *decretorum* causis vel negotiis decursis ad ultimam *hujus libri* ventum est partem, quae quinque est distinctionibus sive divisionibus divisa." Vide caes. reg. bibl. palat. Vindob. cod. ms. lat. nr. 2220 (4. mbr. ex saec. XIII. inc.); etiam apud *Schulte* l. c. p. 113. not. 20.

[3] Cfr. supra (p. 26. not. 6) citatam notationem (Corr. Romm.) ad praesentem titulum Decreti v. *ac primum* (in editione ex recens. fratrum *Pithoeorum* v. *de jure*), ubi de hac re ita refertur: „Hoc loco in manuscriptis codicibus magna est varietas. Nam partim nulla est hoc loco inscriptio; partim vero" etc.

[4] De quibus cfr. supra p. 19.

[5] Admonitio (Corr. Romm.) ad lectorem, in fronte Decreti posita sub inscriptione: „Ea, de quibus lectorem principio visum est admonere, haec sunt", §: *De paleis; Doujat,* Praenott, canonn. lib. IV. cap. 15.; *Bickell,* De Paleis, quae in Decreto Gratiani inveniuntur. Maroburg. 1827 (Programma solemne Universitatis Maroburgensis); *Maassen,* Paucapalea, in citt. relatt. sess. tom. XXXI. p. 482. sqq.; *Schulte,* Die Paleae im Decret Gratians, in citt. relatt. sess. tom. LXXVIII. p. 287. sqq.; *Friedberg,* in citt. prolegg. col. IX. sqq.

auctoritates sunt illae, quae inscriptionem: *Palea* gerunt. Earum aliae constituunt integros canones[1]; aliae tantummodo canonis partem efficiunt[2].

Quae auctoritates proprie non sunt nisi loci paralleli, ab interpretibus Decreti e diversis operibus, uti v. g. e Decreto Burchardi Wormatiensis, ex Ivone, Anselmo Lucensi, e collectionibus juris civilis romani et aliis[3], hausti et Decreto additi. Et primus quidem, qui hujusmodi additamenta Decreto adposuit, fuit jam laudatus Gratiani discipulus, nomine *Paucapalea*[4]. Unde hujusmodi additamentis, ab ipso in Decretum illatis, adjecta est nominis ejus abbreviatio (sigla): *Palea*[5].

Post Paucapaleam alii quoque canonistae in suo quisque exemplari Decreti ejusmodi additamenta Decreto adscribebant; unde etiam venit, quod Decreti codices mss., quo sunt antiquiores, eo pauciora, vel plane nulla hujusmodi additamenta continent, et codicum Decreti manuscriptorum recentiorum alii plura, alii pauciora ejusmodi additamenta referunt.

Quum autem additamenta, ab ipso Paucapalea in Decretum illata, voce: *Palea* signari coepissent, paulatim invaluit usus, ut etiam illa additamenta, quae ab aliis viris eruditis post Paucapaleam Decreto adjecta sunt, eadem voce: *Palea* notarentur, et tali ratione vox: *Palea*, quae primo nomen proprium erat et ad *Paucapaleam* spectabat, vim nominis appellativi obtineret ac omnia hujusmodi additamenta Decreto *post* Gratianum adposita, sive a Paucapalea, sive ab aliis adposita fuissent, designaret.

De caetero autem hac occasione notandum est, nonnullos antiquorum canonistarum inscriptionem: *Palea* jocose etiam significatione *paleae* in oppositione ad *grana* frumenti accepisse, ita, ac si ea inscriptione innueretur, auctoritates illas in relatione ad auctoritates,

---

[1] Uti v. g. c. 1. D. V.; c. 13. D. XXIII.; c. 10. C. XX. qu. 1.

[2] Ita v. g. obtinet in c. 1. D. XVII. inde a vocibus: „Neque ullum episcopum" etc.; de quo cfr. notat. (Corr. Romm.) ad cit. can. v. *Neque*. Item id obtinet in c. 52. D. L. inde a vocibus: „Quodsi iterato" etc.; cfr. notat. (Corr. Romm.) ad cit. can. v. *Quodsi iterato*.

[3] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 60.

[4] *Schulte* l. c. p. 109. sq.

[5] Id testatur canonista *Rufinus* in sua *Summa Decreti* (apud *Maassen*, Paucapalea, in citt. relatt. sess. tom. XXXI. p. 455. sq.), referens, Paucapaleam operi Gratiani quaedam decreta apposuisse, quae, licet non sint minoris momenti, quam alia ibi posita, tamen, quia a principali auctore hujus libri non sint posita, in scholis non legantur. Item canonista *Huguccio*, qui jam anno 1178 Bononiae jus canonicum docebat, in sua *Summa Decreti*, 1178—1187 adornata (*Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I., p. 156. sqq.), ubi ad auctoritatem, in c. *Illud autem*. 10. C. XX. qu. 1. positam, notat dicens: „Et vocatur Palea, a suo auctore, scilicet discipulo Gratiani, qui Paucapalea vocabatur." (Apud *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 281. § 1.) E quibus verbis simul elucet, haud probandum esse, quod dicit *Schulte* (l. c. p. 52. in nota), videri Huguccionem ignoravisse, auctorem illorum additamentorum fuisse Paucapaleam.

ab ipso Gratiano in Decretum relatas, esse exigui vel nullius momenti, uti paleas frumenti [1].

Et ab initio quidem Paleae in margine Decreti, vel etiam in ultimis foliis tanquam appendix, quandoque etiam a fronte Decreti ponebantur. Serius autem, dum nimirum nova Decreti exemplaria conficiebantur, textui Decreti in congruis locis insertae sunt [2].

Quemadmodum codices mss., ita etiam editiones Decreti aliae plures, aliae pauciores Paleas exhibent [3].

Alii vocem: *Palea,* auctoritatibus Decreti praefixam, aliter explicandum censuerunt. Et nonnulli quidem eam derivarunt a quodam quasi *Cardinali,* nomine *Paucapalea,* narrantes, hunc Cardinalem Gratiano Decretum per fraudem subtrahere et sibi tanquam auctori attribuere voluisse, atque ad hoc plagium exsequendum et celandum illa additamenta Decreto adposuisse; hanc autem fraudem deinceps detectam et illa additamenta a Gratiano voce: „Palea" designata esse, tum ratione auctoris eorum, Cardinalis *Paucapaleae,* tum etiam ratione exigui ipsorum pretii in relatione ad auctoritates, ab ipso Gratiano in Decretum insertas, quo respectu se ita haberent, uti paleae ad frumenti grana [4].

Quae narratio, uti jam per se fictionem redolet, ita etiam eo nulla fide digna esse monstratur, quod usque ad hoc tempus inter S. R. E. Cardinales inveniri nullus potuit, qui Paucapalea, in quo nomine narrationis illius cardo vertitur, diceretur [5]. Alias explicationes illius vocis, quae eam e graeco πάλιν (iterum, rursus, et sic = serius seu posterius), vel e graeco παλαιός, ά, όν (antiquus, et sic = antiquatum seu nullius pretii), vel e vocibus: *post alia* formatam esse putant, quemadmodum e vocibus: *post illa* formata sit vox: *postilla (apostilla),* germ. *Postille* [6], utpote nimis artificiosas atque etiam huic rei explicandae minus accommodatas, simpliciter commemorasse sufficiat.

§ 17. Summaria auctoritatum [7].

Plurimis auctoritatibus Decreti praefixi sunt breves indices argumenti earum, qui *summaria* vel etiam, quia olim, uti inscriptiones

---

[1] Ita *Huguccio,* in sua Summa Decreti ad c. *Duobus modis.* 51. C. XXVII. qu. 2., dicens: „Palea est, sed utilior quam granum." (Apud *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 281. § 1.) [2] *Sarti* l. c. p. 248. § 48.

[3] Ita v. g. Decretum ab *Aemilio Ludovico Richter* in parte I. Corporis jur. can. Lips. 1839 editum 164 Paleas adducit, editum autem ab *Aemilio Friedberg* in parte I. Corporis jur. can. Lips. 1879 sqq. exhibet Paleas 166.

[4] Quam narrationem primus omnium in medium protulit *Joannes Columna,* natione Italus, scriptor saec. XIV., in suo opere: „De viris illustribus, ethnicis et christianis", et ex illo *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 262. § 9. Cfr. *Denifle,* Die Universitäten des Mittelalters. Berol. 1885, p. 315. sq. not. 391. [5] *Sarti* l. c. p. 262. § 9.

[6] Lexicon eccl. Friburg. Friburg. Brisg. 1847 sqq., tom. VIII. p. 622. sq.

[7] *Maassen,* Paucapalea, in citt. relatt. sess. tom. XXXI. p. 482. sqq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 53. sqq.; *Friedberg* in citt. prolegg. col. IX.

librorum et capitum generatim[1], rubro colore scribebantur, *rubricae* auctoritatum dicuntur.

Quae summaria, quatenus auctoritatibus a Gratiano in Decretum relatis praefixa sunt, ab ipso Gratiano proveniunt. Id tum ex eo colligitur, quod illa summaria jam in antiquissimis codicibus mss. Decreti, in quibus vel nullae vel paucissimae Paleae sunt, occurrunt, et quidem plerumque rubro colore scripta, tum etiam testimonio jam laudati canonistae *Rufini* confirmatur[2].

Unde patet, perperam a nonnullis canonistis, uti v. g. a *Guilielmo Durantis* et *Joanne Andreae*[3], auctorem illorum summariorum generatim haberi *Paucapaleam.* Hic tantummodo auctoritatibus, quas ipse Decreto adposuit, i. e. suis ipsius Paleis, summaria praefixisse dicendus est. Immo neque his omnibus dicta summaria praefixa sunt; uti nominatim obtinet in Palea, in c. 10. C. XX. qu. 1. relata, quae certo a Paucapalea Decreto addita est[4], et tamen summario caret.

§ 18. Distinctio LXXIII.

In Decreti Summa, quam *Schulte* in codice ms. regiae bibliothecae Bambergensis (P. II. 26.) detexit, quamque intra a. 1160 et 1179 Parisiis adornatam esse putat et hinc *Parisiensem* appellat[5], notatur, totam praesentem Dist. LXXIII., quae incipit: *„Qualiter vero“* etc., usque ad initium praesentis Dist. LXXIV.: *„Quaeritur de his“* etc. exclusive, non a Gratiano provenire, sed a Paucapalea additam esse[6]. Quae notatio etiam antiquissimis codicibus mss. Decreti confirmatur, quippe qui illam *distinctionem* vel nullatenus habeant, vel vero designatam ceu Paleam[7].

Pro his dubitandum non est, distinctionem illam non Gratiano, sed ejus discipulo Paucapaleae esse tribuendam.

---

[1] *Wattenbach,* Das Schriftwesen im Mittelalter. Lips. 1871, p. 196. sqq.

[2] Qui in sua *Summa Decreti* (apud *Maassen*, Paucapalea, in citt. relatt. sess. tom. XXXI. p. 485.) in prooemio de Gratiano ait: „Cuilibet cap. (itulo) titulum suum rubricam, qua mentem et intellectum totius capituli aperit, . . . praescribit.“ Et ad c. 1. D. I. ait: „Nota, quod M. (agister) G. (ratianus) huic capitulo, sicut cuilibet sequenti rubricam praescribit, qua continetur summa capituli sequentis vel aliquid, quod in eo est excellentius.“

[3] Apud *Maassen* l. c. p. 482. not. 85 a. [4] Cfr. supra p. 29. not. 5.

[5] *Schulte*, Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Zweiter Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXIV. p. 114. sqq.

[6] Nimirum post can. Placuit. (ult.) D. LXXII. in illa *Summa* ita dicitur: „Quodcumque sequitur post hoc decretum usque ad illam paragraphum: ‚*quaeritur de his*‘ etc. Paucapalea apposuit.“ (Apud *Schulte* l. c. p. 133.)

[7] Huc pertinet prae caeteris codex ms. Decreti bibliothecae Capituli Metropolitari Coloniensis saec. XII. (*Friedberg* in citt. prolegg. col. XCV.), qui illam *distinctionem* prorsus non habet. Item codex Palat.-Vatic. nr. 622. (*Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 160. not. 37.), in quo illa *distinctio* pariter deest et insuper ad marginem adnotatum est: „Di: LXXIII. deficit.“ Porro in caes. reg. bibliothecae palat. Vindob. codice ms. Decreti (Cod. lat. nr. 2131.) ex saec. XIII. ad illam *distinctionem*, quae ibi per errorem nr. LXXII. signata est, adposita, a seriori tamen

§ 19. Tractatus de poenitentia, in C. XXXIII. qu. 3. positus.

Tractatus de poenitentia, in C. XXXIII. qu. 3. positus, certo a Gratiano exaratus[1], atque ab ipso etiam in dicta qu. 3. C. XXXIII. collocatus est. Id colligitur jam ex initio hujus qu. 3. C. XXXIII. et toto reliquo ejus contextu, e quo elucet, illum tractatum hoc loco Decreti jam inde ab hujus origine positum esse[2].

Porro id probant tum codices mss. Decreti, qui illum tractatum dicto loco referunt[3], tum *Summae* ejusdem Decreti, quae eum illo loco positum exhibent, uti nominatim *Stroma Rolandi*[4], Summa *Stephani,* Tornacensis episcopi, et hinc simpliciter *Stephani Tornacensis* dici soliti, intra a. 1165—1177 adornata[5], atque Summa *Joannis,* Faventiae, e familia, uti fertur, *Cavaleriorum* nati, et serius Faventini episcopi, et hinc *Faventini* cognominati († 1190)[6].

De caetero autem non est, quod opponatur *Sartio*[7] asserenti, tractatum illum a Gratiano jam ante Decretum exaratum fuisse et deinde, quum ab ipso Decretum adornaretur, huic insertum esse. Certo autem eum non ante Concilium generale Lateranense II. a. 1139 confectum fuisse, ex eo sequitur, quod in ipso canon (22.) dicti Concilii refertur, videlicet in c. 8. D. V.

---

manu, haec notatio est: „Tota Distinctio illa Palea est.“ Insuper etiam in antiquo apparatu glossarum Decreti, in codice ms. Trevirensi nr. 906. relato (apud *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptt. memorabill., tom. XXI. part. 2. p. 21.), notatur, Partem Decreti *primam* constare centum et una distinctionibus, ad eas tamen distinctionem XLVIII. — qui numerus certo per errorem pro LXXIII positus est, — proprié non pertinere. „Prima Pars“, ita ibi dicitur verbotenus, „constat centum et una distinctionibus, licet XLVIII. incompetens videatur.“

[1] *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 279. § 45; *Friedberg* l. c. col. XI. sq.

[2] Cfr. initium Causae XXXIII., initium qu. 3. ead. et init. D. I. de poenit.; porro *Maassen,* Beiträge zur Geschichte der jurist. Literatur des Mittelalters, in citt. relatt. sess. tom. XXIV. p. 26. not. 3.

[3] Uti v. g. jam laudatus codex ms. lat. nr. 2131. caes. reg. bibl. palat. Vindobon.

[4] Ed. *Fridr. Thaner* Oenip. 1874, p. 193. sq.

[5] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 133. sqq. In hac Summa *Stephanus* post explicatam Causae XXXIII. quaestionem 2., quaestione 3. ead. pro tempore intermissa, transiens ad qu. 4. ead. ait: „Intermisso interim prolixo illo tractatu de poenitentia transitum facimus ad quartam quaestionem.“ Apud *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 279.

[6] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 137. sqq. Fragmentum illius Summae, huc pertinens, refert *Maassen,* in citt. relatt. sess. tom. XXIV. p. 26. not. 3. *Simon de Bisiniano* et *Sicardus,* patria Cremonensis, et hinc simpliciter dici solitus *Cremonensis,* quidem in suis Summis Decreti illum tractatum non expresse memorant; inde tamen nequaquam inferri potest, eum tunc temporis nondum in Decreto Gratiani adfuisse, quum illi canonistae suas Summas *post* Stephanum Tornacensem et Joannem Faventinum scripserint, quorum tempore eum in Decreto Gratiani jam adfuisse, dubio caret. Cfr. *Phillips* l. c. tom. IV. p. 160.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 140. sqq., p. 143. sqq.

[7] L. c. tom. I. part. 1. p. 279. § 45. et part. 2. p. 169.

CAPUT QUARTUM.

Originaria Decreti forma.

§ 20. Divisio Decreti in tres partes.

Quod spectat ad Decreti formam, et primum quidem ad ejus divisionem in *tres partes,* haec sine dubio ab ipso Gratiano provenit. Id non solum plurimi codices mss. Decreti demonstrant, qui aperte tres illas Decreti partes distinguunt [1], verum etiam antiqui canonistae contestantur, uti nominatim *Paucapalea* [2], *Rufinus* [3], *Stephanus Tornacensis* [4], *Joannes*

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, t. I. p. 51. Nonnulli quidem codices mss. Decreti partem ejus *tertiam* non expresse nominant, eam autem nihilominus exhibent. Cfr. *Friedberg* in citt. prolegg. col. XII. et XCV.; *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptt. memorab. tom. XXI. part. 2. p. 21.

[2] In sua *Summa* Decreti (caes. reg. bibl. palat. Vindob. cod. ms. lat. n. 2220, 4. mbr. saec. XIII. inc.; etiam apud *Maassen,* Paucapalea, in citt. relatt. sess., tom. XXXI. p. 502.): „Compositurus hoc opus (sc. Magister Gratianus) a principali parte incipit, a divisione scil. juris et consuetudinis. Inde eorum species multifarie supponens singulas quasque assignat. Causam etiam constituendarum legum earumque officium subscribit. Inde numerum et ordinem conciliorum et quorum decreta quibus sint praeferenda, supponit. Tandem ad ordines ipsos et ad ecclesiasticas dignitates accedit, docens, quibus et per quos sint conferendae. Demum transit ad *causas,* quas varias et multiplices ponit, in quibus formatis quaestionibus hinc inde in confirmatione et negatione auctoritates allegat, quas velut prima fronte oppositas semper ad concordiam revocare contendit. *In extremis* de ecclesiarum dedicatione et corpore et sanguine Domini atque baptismo nec non et confirmatione pleniter tractat. Et in his suum peragit tractatum.“ Et post expositionem Causae XXXVI. partis secundae idem *Paucapalea* ibidem ait: „Omnibus decretorum causis vel negotiis decursis ad *ultimam* hujus libri ventum est partem, quae quinque est distinctionibus sive divisionibus divisa.“

[3] Item in sua *Summa* Decreti (apud *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 249.), dicens: „Restat, modum tractandi et ordinem, quo utitur M. G. (Magister Gratianus), aperire.“ — „Primo itaque de origine juris humani et origine juris divini agitur et tam hoc quam illud per species distinguitur ac inter genera et inter species et convenientia et differentia multipliciter assignatur; postea gradus et officia et dignitates distinguuntur, et quis gradus, cui, per quem conferri debeat, ubi etiam et quando et quis, cui, per quem, pro quo crimine, qualiter auferri possit, et quid ad quod officium pertineat. Similiter, quae dignitas, cui, quibus electoribus, quo conferente, quo loco, quibus praesentibus conferri debeat; et quis, a qua, ad quam conscendere possit, ostenditur. Deinde agit M. G. de *judiciis,* ostendendo, qualiter instituenda, examinanda et terminanda sint judicia, sive sint aliae actiones, sive accusationes. Ad ultimum agit de *sacramentis.* Possumus etiam distinctius modum tractandi aperire, secundum quod M. G. in *tres partes* librum suum divisit. In prima enim parte, quae per distinctiones diversas dividitur, agit de personis; in secunda, quae per causas, de judiciis sive negotiis et ibidem de rebus; in tertia de sacramentis.“

[4] Qui in sua *Summa* Decreti (apud *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 255.) ait: „Distinguitur liber iste alias secundum diligentiam lectorum (i. e. magistrorum, ipsum oretenus explicantium; cfr. infra cap. 6. art. 1. § 30.), alias secundum consuetudinem scriptorum. Lectores in tres partes distinguunt. Quod et

Faventinus[1], *Sicardus Cremonensis*[2], et *Huguccio*[3], quorum nonnulli ea occasione simul commemorant, ab illis, qui super Decreto scribant, ipsum in *partes quatuor* dividi, earumque singulas *quartam* appellari, ac *primam* earum inde ab initio operis usque ad Dist. CI. incl., *secundam* inde a C. I. usque ad C. XII. incl., *tertiam* inde a C. XIII. usque ad C. XXVI. incl. et *quartam* inde a C. XXVII. usque ad finem totius operis extendi[4].

§ 21. Subdivisio partis Decreti secundae in XXXVI causas et singularum causarum in quaestiones.

Quod porro attinet subdivisionem illarum partium, et primo quidem partis *secundae* in XXXVI causas et harum cujusque in quaestiones, haec subdivisio partis secundae pariter ab ipso Gratiano provenit. Id enim non solum insignes canonistae saec. XII. et XIII. expresse et unanimiter testantur, et quidem nominatim *Rufinus*[5], *Joannes Faventinus*[6]

Gratianus voluisse videtur. Prima pars usque ad causam symoniacorum extenditur." — „Secunda a prima causa usque ad tractatum de consecratione procedit." — „Tertia a tractatu consecrationis usque ad finem."

[1] Pariter in sua *Summa* Decreti (apud *Schulte*, Die Rechtshandschriften der Stiftsbibliotheken, in citt. relatt. sess. tom. LVII. p. 585.), dicens: „Compositoris (Gratiani) . . . diligentia librum istum in tres partes distinguit, quarum primam *ministeriis*, secundam *negotiis*, tertiam *ecclesiasticis* deputat *sacramentis*."

[2] Qui in sua *Summa* Decreti (apud *Schulte*, Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Erster Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXIII. p. 338.) hoc respectu ait: „Distinguitur liber iste in III partes. Prima est usque ad primam causam. Secunda usque ad consecrationem, tertia usque ad finem." — „Et primam quidem Gratianus ministris, secundam negotiis, tertiam ecclesiasticis deputat sacramentis. Inde est, quod primam vocant tractatum ordinandorum, secundam tractatum causarum, tertiam vero tractatum de consecratione."

[3] In sua *Summa* Decreti (apud *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 52. in not. in fin.), ubi hoc respectu: „Opus suum", inquit, „magister in tres partes distinguit: sc. in distinctiones, causas, in tractatum de consecratione."

[4] Ita nominatim *Stephanus Tornacensis* (apud *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 255.), dicens: „*Scriptorum* consuetudo librum istum in *quatuor* partes distinguit, quarum unamquamque *quartam* appellant. Et *primam* quidem a principio usque ad primam causam, quae est de symoniacis, *secundam* a prima causa usque ad tertiam decimam, quae sic incipit: ‚Dioecesani', *tertiam* usque ad XXVII., quae est de matrimonio prima, *quartam* a XXVII. usque ad finem libri ponunt." Pariter *Joannes Faventinus* (apud *Schulte*, Die Rechtshandschriften der Stiftsbibliotheken, in citt. relatt. sess. tom. LVII. p. 585.).

[5] Qui in sua *Summa* (apud *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 250.), postquam dixerat, partem Decreti primam in centum et unam sive duas distinctiones divisisse *Paucapaleam*, de divisione partis *secundae*: „Secundam", inquit, „partem non distinxit (sc. Paucapalea), quia a M. (agistro) G. (Gratiano) sufficienter distincta est per causas, [seu] themata, quaestiones."

[6] In sua *Summa* (apud *Schulte*, Die Rechtshandschriften der Stiftsbibliotheken, in citt. relat. sess. tom. LVII. p. 585.), dicens: „Compositoris autem diligentia librum istum in tres partes distinguit, quarum primam ministeriis, secundam negotiis, tertiam ecclesiasticis deputat sacramentis." — „In *secunda* parte agit in hunc

et *Sicardus Cremonensis* [1], verum etiam Gratianus eo manifeste demonstrat, quod ipse hanc Decreti partem per *causas* et *quaestiones* citat.

Cujus citationis exempla ut clare perspiciantur, notandum prius est, qua ratione Gratianus singulas *auctoritates,* ab ipso in Decretum collatas, citare soleat. Et has quidem ille nunquam voce: *canon,* sed voce: *caput,* vel *capitulum,* vel *auctoritas,* vel *illud,* et similibus atque ejusdem auctoritatis *vocibus initialibus,* nunquam earum *numero* citare consuevit [2].

Jam autem Gratianus ipse e parte Decreti *secunda* citat:

I. *causas.*

---

modum: dividit eam in XXXVI particulas, quas causas dicimus. In quibus prius de criminibus, quomodo proponi debeant et judicari, determinat, postea de statu ecclesiae et clericorum tractat. Agens de immunitate et privilegiis ecclesiae et de decimis et oblationibus ejusdem, deque praerogativa clericorum, de religiositate monachorum, de hereticis, et schismaticis, mathematicis, quomodo et quando debeant puniri. Ad ultimum de conjugiis, quae legitima sint et quae funesta, designans, quomodo conjungi aliqui et quomodo possint vel debeant separari.“

[1] Item in sua *Summa* (apud *Schulte*, Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Erster Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXIII. p. 338.), ubi, postquam de subdivisione partis primae Decreti dixerat: „Primam divisit, ut quidam ajunt, *Paucapalea* in C et I distinctiones“, de secunda: „Secundam“, inquit, „Gratianus in XXXVI *causas* et harum quamlibet in *quaestiones.*“

Stephanus Tornacensis quidem in sua *Summa* (apud *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 255.), dum subdivisionem partis Decreti primae in 101 distinctiones expresse Gratiano adscribit, partem secundam tandummodo de facto in XXXVI causas et has in quaestiones distingui refert, nulla Gratiani mentione facta, dicens: „Secunda (pars) a prima causa usque ad tractatum de consecratione procedit, quae per XXXVI causas quaestionibus suis decisas *distinguitur.*“ Attamen ex his verbis *Stephani Tornacensis* nequaquam inferendum est, eum secundae partis subdivisionem, quam omnes reliqui unanimiter Gratiano adscribunt, eidem abjudicare voluisse. Cui accedit, quod *Joannes Faventinus,* qui in sua *Summa* prorsus *Stephano Tornacensi* innititur (cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 138.), hanc subdivisionem partis secundae expresse Gratiano tribuit. Cfr. *Schulte* l. c. p. 51. not. 8.

[2] Sic v. g. in dicto sub finem c. 16. C. XVI. qu. 1. decretum synodi Triburiensis a. 895, in cit. c. 16. e parte allegatum, in c. 6. C. XIII. qu. 2. autem plene adductum, citat voce: *caput.* — In dicto ad c. 20. C. XVI. qu. 1. decretum Papae *Gelasii I.* a. 494, in c. ult. D. LXXVII. collocatum, citat voce: *capitulum,* dicens: „Sicut invenitur in capitulo illo: *Monachus novitius.*“ — Porro in § *Hanc distinctionem.* 2. dicti sui post c. 24. C. XI. qu. 3. duo decreta Papae *Joannis VIII.* (872 u. ad 882) in c. 12. C. III. qu. 4. et in c. 21. § 3. C. XVII. qu. 4. posita, nec non incerti auctoris effatum, in c. 2. C. V. qu. 2. perperam sub nomine Papae *Sylvestri I.* (314—335) relatum, citat voce: *auctoritas.* — In pr. dicti post c. 11. D. XXXI. effatum *S. Gregorii M.,* in c. 18. D. XXXII. positum, citat voce: *illud,* dicens: „Hinc et illud Gregorii: *Presbyter quidam.*“ Pariter in § *Aliquando enim.* 1. dicti sui post c. 24. C. XI. qu. 3. effatum, *S. Prospero Aquitano* adscriptum (utique falso, quum potius sit *Juliani Pomerii,* presbyteri Galli, qui versus finem saec. V. floruit; cfr. *Fessler,* Institutiones Patrolog., tom. II. p. 788. not. a; *Richter* ad c. 31. D. I. de poenit. not. 109.), et in c. 32. D. I. de poenit. relatum, citat voce: *illud.* Porro in dict. ad. c. 20. D. IV. de cons. decretum Papae *Urbani II.* (1088—1099), in c. 4. C. XXX. qu. 3. positum, simpliciter allegat his verbis: „Unde Urbanus Papa II. *Super quibus consuluit*“ etc.

Citat autem eas 1. expresse, sub nomine *causae*, atque vel cum allegatione illius causae *initialium vocum* [1], vel cum *designatione materiae* in illa causa tractatae [2].

2. Interdum Gratianus, dum causas citat, loco vocis: *causa* utitur voce: *titulus* [3].

[1] Ita v. g. in § *Hanc distinctionem*. 2. dicti sui post c. 24. C. XI. qu. 3., alludens in specie ad c. 12. C. III. qu. 4., citat causam III. dicens: „Require supra in causa: *Quidam episcopus a propria sede dejectus*." — Ibidem provocans ad c. 2. C. V. q. 2., allegat C. V. verbis: „Require supra in causa: *In infamia cujusdam episcopi*." — In § *Juxta igitur*. 3. citati dicti post c. 24. C. XI. qu. 3., alludens ad c. 29. C. XVII. qu. 4., citat C. XVII. verbis: „Ut infra in causa: *Quidam presbyter*." — Item in cit. dict. § *Illud autem*. 4., in mente habens c. 3. C. VI. qu. 2., allegat C. VI., dicens: „Require supra in causa: *Duo fornicatores et infamia notati*." — In dicto post c. 26. C. XI. qu. 3., alludens ad c. 3. C. XXIV. qu. 2., citat C. XXIV., dicens: „Infra in causa: *Quidam episcopus in haeresim lapsus*." — Porro in § *His ita respondetur*. 1. dicti sui post c. 13. C. XV. qu. 1., respiciens ad c. 14. C. VII. qu. 1., citat C. VII. his verbis: „Ut supra in causa: *Longa invaletudine gravatus episcopus*."

In exemplaribus Decreti impressis hujusmodi citationi causarum quandoque etiam *numerus* appositus est, isque numero, quem illa causa nunc gerit, congruens. Ita in § *Aliquando enim*. 1. dicti post c. 24. C. XI. qu. 3., ubi cum speciali respectu ad c. 32. D. I. de poenit. citatur C. XXXIII. his verbis: „Require infra causa XXXIII. *Maleficiis impeditus*." — Item in § *Hanc distinctionem*. 2. cit. dicti (post c. 24. C. XI. qu. 3.), ubi, respiciendo ad c. 21. C. XVII. qu. 4., allegatur C. XVII. verbis: „Require infra in causa XVII. *Quidam presbyter infirmitate gravatus*." Attamen hi numeri non a Gratiano appositi, sed demum post eum, ab editoribus Decreti, adjecti sunt. Refert enim *Sicardus Cremonensis* († 1215) in sua *Summa* Decreti, Gratianum causas non numeris, sed a principiis earum denominavisse (apud *Schulte*, Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Erster Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXIII. p. 238.) Id quod etiam antiquissimi codices mss. Decreti comprobant, in quibus illi numeri de regula desunt, et sicubi adsunt, demum a seriori manu additi et supra lineam positi sunt, uti nominatim locum habet in c. r. bibliothecae palatin. Vindobonensis codice ms. lat. n. 2131., membr. ex saec. XIII. inc. Cfr. *Friedberg* ad § 1. dict. Grat. post c. 24. C. XI. qu. 3. not. 317. et not. 322.

[2] Sic in § *Verum principia*. dicti ad c. 6. D. XXXII. citat C. I., dicens: „Sicut subsequens causa *simoniacorum* demonstrat." Item in suo dicto sub finem c. 1. D. LXII. eandem C. I. citat his verbis: „Ut infra in causa *simoniacorum*." Quam eandem causam in § *His ita respondetur*. 1. dicti post c. 1. C. XIV. qu. 1., respiciens ad c. 9. C. I. qu. 2., citat verbis: „Require in causa ejus, a quo pro ingressu monasterii pecunia exigebatur." Porro in dicto post c. un. D. CI. eandem C. I. allegat his verbis: „Causa adducatur in medium, cujus negotium et de scienter a simoniacis ordinatis, et de ignoranter a simoniacis consecratis, et de ordinationibus, quae per pecunias fiunt, contineat." — Eadem ratione in dicto post c. 19. C. VI. qu. 1., alludens in specie ad C. II. qu. 7., citat C. II., dicens: „Ut supra patuit in ea causa, ubi de accusatione minorum adversus majores disputatum est." — Item in dicto ad c. 1. C. XIII. qu. 2., alludens ad C. XVI. qu. 4., citat C. XVI. verbis: „In causa monachorum."

[3] Ita v. g. pr. dicti sui post c. 25. C. XXV. qu. 2., alludens in specie ad c. 44. C. VII. qu. 1., citat C. VII. verbis: „Sicut supra in tit. de mutatione episcoporum B. Gregorius fecisse legitur." Eadem ratione in cit. dict. § *Sed objicitur illud Symmachi*. 1., respiciens ad auctoritatem, in c. 61. C. XVI. qu. 1. relatam, allegat C. XVI. verbis: „Supra in tit. de alienatione rerum ecclesiasticarum."

3. Quandoque Gratianus plures causas, aliquatenus similem materiam habentes, complectitur in unum et hunc complexum causarum dicit *tractatum* eumque secundum ipsius communem materiam designat, dicendo illum v. g. tractatum conjugii, et causas singulas, in hoc tractatu comprehensas, determinat vel per materiam earum specialem, vel per numerum seu locum, quem illae in isto causarum complexu obtinent [1].

II. Etiam *quaestiones* causarum Gratianus ipse adducit. Id elucet jam ex ejus dictis initio causarum, collatis cum dictis ejus initio singularum quaestionum earundem causarum [2].

Nec tamen Gratianus hac occasione semper expresse *quaestiones* nominat, sed eas saepe sola designatione materiae, in eis tractatae, allegat [3].

Ex hucusque dictis manifeste patet, Gratianum ipsum partem Decreti secundam ita, uti nunc subdivisa est, in causas et quaestiones subdivisisse.

§ 22. Divisio tractatus de poenitentia, in qu. 3. C. XXXIII. positi, in septem distinctiones.

Divisio tractatus de poenitentia, in qu. 3. C. XXXIII. collocati, in septem distinctiones nequaquam a Gratiano provenit. Id elucet e codicibus Decreti mss., qui totum hunc tractatum uno tenore conscriptum, nulla prorsus facta ejus divisione, exhibent [4].

Sed neque *Paucapalea* in sua *Summa* Decreti ullatenus hujus divisionis dicti tractatus meminit, immo praefatae qu. 3. C. XXXIII.,

---

[1] Ita v. g. in dicto ad c. 20. D. IV. de cons., alludens ad c. 4. C. XXX. qu. 3., causas XXVII.—XXXV., de impedimentis matrimonii agentes, simul comprehendit easque voce: *tractatus conjugii* designat, et comprehensam in illo tractatu causam XXX., inter alia de cognatione spirituali agentem, per designationem materiae (de compaternitate) propius determinat, dicens: „Ut supra in tractatu conjugii, ubi de compatribus agitur."

Pariter in § *Quum autem vitiis subditorum.* 3. dicti sui post c. 48. C. VII. qu. 1., alludens in specie ad c. 2. C. XXIII. qu. 4., causas XXIII. et XXIV., ex professo de haeresi agentes, in unum complectitur, sub nomine: *causae haereticorum*, et C. XXIII., in hoc complexu causarum loco primo occurrentem, citat verbis: „Infra . . . in *prima causa haereticorum.*" Cfr. notat. (Corr. Romm.) ad cit. can. 48. C. VII. qu. 1. sub voce: *in prima causa* appositam his verbis: „Indicat causam 23., in qua primum de haereticis ex professo agitur."

[2] Cfr. v. g. ejus dicta init. C. I. cum ipsius dictis initio quaest. 1. sqq. ead.

[3] Ita v. g. in § *Quum autem vitiis subditorum.* 3. dicti sui post c. 48. C. VII. qu. 1., alludens ad c. 2. C. XXIII. q. 4., citat *qu. 4.* C. XXIII. his verbis: „Infra de *tolerandis* malis, in prima causa haereticorum." — Item in suo dicto ad c. 20. D. IV. de cons., respiciens ad c. 4. C. XXX. qu. 3., allegat *qu. 3.* C. XXX. verbis: „Ut supra in tractatu conjugii, ubi de compatribus agitur"; quibus verbis Gratianus intelligit *causae XXX., inter alia* de spirituali cognatione agentis, *quaestionem 3.*, quae in specie de spirituali compaternitate tractat.

[4] Cfr notat. (Corr. Romm.) ad init. D. I. de poenit., incipientem: „Gratianus ad explicandam" etc.; *Friedberg* in citt. prolegg. col. XI. sq.

illum tractatum complectentis, conspectum sine ulla ejus subdivisione exhibet; quod quidem eo majoris momenti est, quum is ibidem Causae XXXIII. subdivisionem in *quaestiones* quinque expresse commemoret[1].

Neque etiam *Rolandus Bandinellus* in sua *Summa* Decreti illam divisionem hujus tractatus ullatenus innuit[2].

Nonnulli quidem[3], innixi § *Aliquando enim.* 1. dict. Grat. post c. 24. C. XI. qu. 3., ubi Gratianus effatum *S. Prospero Aquitano,* utique perperam, adscriptum[4] et in *c. 32. D. I. de poenit.* relatum, citat dicens: „Item illud Prosperi: Facilius sibi Deum placabunt etc., *require infra causa* (XXXIII.)[5] Maleficiis impeditus, *quaest. I. de poenit.*", putaverunt, Gratianum ipsum tractatum illum ita, ut nunc divisus est, divisisse, et solummodo loco vocis: *distinctio* voce: *quaestio* usum fuisse. Attamen perperam; Gratianus enim sub voce: *quaestio,* in illo citato adhibita, non praesentem *Dist. I.* de poenit. intelligit, sed quaestionem seu thesin, vel potius discussionem quaestionis seu theseos, utrum poenitentia vere peragi possit nec ne sola contritione cordis et satisfactione secreta, absque confessione orali, statim in exordio tractatus de poenitentia propositam, ergo de poenitentia *quaestionem primam,* qua absoluta[6] aliam de poenitentia adducit quaestionem, utrum nimirum una tantum vice, an pluribus vicibus locus poenitentiae detur; quae quaestio tum in subsequenti Dist. II. de poenit. discutitur et deciditur.

§ 23. Subdivisio partis Decreti primae in distinctiones centum et unam, atque partis tertiae in distinctiones quinque.

Quod spectat ad subdivisionem partis Decreti *primae* in distinctiones centum et unam, et *tertiae* in distinctiones quinque, hanc nonnulli canonistarum antiquorum Gratiano *abjudicant,* eamque ejus discipulo *Paucapaleae* adscribunt. Ita nominatim *Rufinus*[7] et *Sicar-*

---

[1] Cfr. c. r. bibl. palat. Vindob. cit. codicem ms. lat. n. 2220. 4. membr. ex saec. XIII. inc. fol. 52.

[2] Cfr. Summa Magistri Rolandi, ed. Frider. Thaner, Oenip. 1874, p. 193. sqq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 51. not. 12.

[3] Ita nominatim *Sebast. Berardus,* Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti. Taurin. 1722—1757, tom. I. Prooem. p. XLIV.; *Pachmann,* Lehrbuch des Kirchenrechts, ed. III. Vindob. 1863 sqq., tom. I. p. 119. sq.

[4] Cfr. supra p. 35. not. 2. [5] Cfr. de hoc numero supra p. 36. not. 1.

[6] In cujus quaestionis discussione ille primum inde a c. 1.—37. ead. adducit auctoritates, quae ad illam quaestionem *affirmative* respondent, et tum, inde a § *Alii e contrario.* 1. dict. post c. 37. ead. usque ad c. 87. ead., auctoritates, quae ad eam respondent *negative,* quo facto usque ad finem Dist. I. de poenit. illas auctoritates secum invicem conciliare satagit.

[7] Qui insuper numerum distinctionum non praecise definit, sed eas centum et unam vel centum et duas esse dicit. Is hoc respectu verbotenus ait: „Sciendum est, quod M. (agister) G. (ratianus) compilationem et ea, quae hic ponit, ab aliis scriptis compilando excepit, suos tamen frequenter interponit paragraphos vel ad

dus Cremonensis, quorum alter se hac in re aliorum assertionem sequi dicit [1].

Econtra alii eam, certe e parte, ipsi Gratiano tribuunt. Ita *Stephanus Tornacensis* et *Joannes Faventinus,* qui ambo *partis primae* divisionem in 101 distinctiones expresse Gratiano adscribunt, *partem tertiam* autem solummodo generatim in quinque distinctiones dividi ajunt [2].

---

breviter epilogandum diffuse dicta, vel ad transitum faciendum ad post dicenda, vel ad novam quaestionem formandam, vel ad solutionem aliquam adhibendam. Nihilominus sciendum, quod hoc opere conscripto, quidam alius, nomine *Paucapalea,* non minorem adhibens diligentiam ad decretorum intelligentiam, quatinus certior posset fieri assignatio contrarietatum et concordantium, primam partem in centum et unam sive duas distinctiones divisit. Secundam partem non distinxit, quia a M. (agistro) G. (ratiano) sufficienter distincta est per causas, [seu] themata, quaestiones. Tertiam vero in V distinctiones divisit." (Apud *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 250.)

[1] Hic ea de re ait: „Primam (sc. Decreti partem) divisit, ut quidam ajunt, *Paucapalea* in C et I distinctiones. Secundam Gratianus in XXXVI causas et harum quamlibet in quaestiones. Eas tamen non a numeris, sed . . . a principiis denominavit. Tertiam, ut ajunt, *Paucapalea* in V distinctiones." (Apud *Schulte,* in citt. relatt. sess. tom. LXIII. p. 338.)

[2] *Stephanus Tornacensis* de hac re ait verbotenus: „Prima pars (sc. Decreti) usque ad causam symoniacorum extenditur, quam Gratianus per C et I distinctiones divisit. Secunda a prima causa usque ad tractatum de consecratione procedit, quae per XXXVI causas quaestionibus suis decisas distinguitur. Tertia a tractatu consecrationis usque ad finem, quam per V distinctiones secant." (Apud *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 255.)

Joannes Faventinus (apud *Schulte,* in citt. relatt. sess. tom. LVII. p. 585.) ea de re: „Distinguitur autem", inquit, „liber iste in duas partes, alias secundum consuetudinem scriptorum, alias secundum diligentiam compositoris atque lectorum."

„*Scriptorum* consuetudo librum istum in IV partes distinguit, quarum unamquamque *quartam* appellant." — „*Compositoris* autem diligentia librum istum in tres partes distinguit, quarum primam ministeriis, secundam negotiis, tertiam ecclesiasticis deputat sacramentis. Unde modus tractandi aperte colligitur. In prima namque parte hoc modo prosequitur: ante omnia multiplices species et divisiones jurium assignans, differentiam juris naturalis ad alia jura demonstrat; ubi de inventione et ordine et appellatione juris canonici satis evidenter explanat; postmodum per singulos ordines ecclesiasticos currens et usque ad supremum pontificatus apicem pertingens, sufficienter *tradit:* qui, in quos ordines valeant promoveri, *tractatu toto in centum dist. et una exacto.* In secunda parte agit in hunc modum: *dividit eam* in XXXVI particulas, quas causas dicimus. In quibus prius de criminibus, quomodo proponi debeant et judicari, determinat, postea de statu ecclesiae et clericorum tractat. Agens de immunitate et privilegiis ecclesiae et de decimis et oblationibus ejusdem, deque praerogativa clericorum, de religiositate monachorum, de hereticis, et schismaticis, mathematicis, quomodo et quando debeant puniri. Ad ultimum de conjugiis, quae legitima sint et quae funesta, designans, quomodo conjungi aliqui et quomodo possint vel debeant separari. Ultimam partem talis ordo percurrit: *dividitur* quippe in V distinctiones; in prima quarum agit de ecclesiarum consecratione, in secunda de sacramento Eucharistiae, in III. de feriis, in IV. de baptismate et confirmatione. In V. de jejuniis tractat, opere consummato in duobus capitulis de Spiritu sancto." (Quibus duobus capitulis de Spiritu sancto intelligit *Joannes Faventinus* cann. 39. et 40. D. V. de cons.)

Ejusdem sententiae super hac re aliquatenus etiam *Huguccio,* in sua *Summa* Decreti, fuisse videtur [1].

Illis testimoniis ergo quaestio haec certo decidi nequit. Consideremus igitur modum citandi, quem forte Gratianus ipse circa has partes Decreti observet.

Jam autem, quod partem Decreti *primam* attinet, Gratianus eam reputat pro continuo et indiviso tractatu, habente prologum [2], quem ipse dicit *initium* seu *principium* hujus operis, et illum tractatum ipsum vocat *tractatum ordinandorum, capitulum de ordinandis, tractatum de promotionibus clericorum, tractatum de electione et ordinatione clericorum* et similiter, et quum aliquem ejus locum, auctoritatem aut suum dictum citat, eum *constanter* ita citat, ut commemorato solum hoc tractatu vel ejus prologo initiales voces illius auctoritatis vel dicti sui cum additamento: *supra* vel *infra* alleget, *distinctionem* autem nequaquam indicet [3].

---

[1] Ait enim hoc respectu: „Opus suum Magister in tres partes distinguit: scilicet in distinctiones, causas, in tractatum de consecratione. Prima pars centum una distinctionibus declaratur, secunda XXXVI causis terminatur, tertia V distinctionibus terminatur.“ (Apud *Schulte* l. c. p. 52. not. 12. in fin.)

[2] Qui prologus continetur prioribus viginti distinctionibus, quae de notione, origine et speciebus juris etc. agunt. Cfr. supra p. 5.

[3] Id elucet e § *Verum principia.* dicti ad c. 6. D. XXXII., ubi Gratianus loquitur de *subsequenti causa simoniacorum,* quae est partis *secundae* causa I. Quam causam ille hoc loco dicere *subsequentem* nequaquam potuisset, si non totam partem Decreti primam pro uno et continuo tractatu reputavisset. Item id elucet e dicto Grat. post c. un. D. CI., ubi is totum illud, quod praecedit, simpliciter *tractatum de electione et ordinatione clericorum* appellat et modo se ad ordinationes simoniacorum transire ait. Porro id patet e pr. dict. post c. 11. D. XXXI., ubi Gratianus effatum *S. Gregorii M.,* in c. penult. (18.) D. XXXII. positum, absque ulla distinctionis mentione citat, dicens: „Hinc et illud Gregorii: *Presbyter quidam,* quod require infra.“ In plurimis editionibus Decreti quidem haec citatio ita exhibetur: „Quod require infra *dist. seq. cap. penult.*“ (i. e. distinctione sequenti capite penultimo). Verumtamen voces: *dist. seq. cap. penult.* nequaquam sunt Gratiani, sed sunt ab alio aliquo, sive librario, sive editore Decreti, deinceps appositae. Id elucet e codicibus Decreti mss., iisque antiquissimis, in quibus voces illae omnino desunt. Cfr. v. g. c. r. bibl. palat. Vindob. codicem ms. lat. n. 2131. (ex saec. XIII.); porro *Friedberg* ad cit. dict. Grat. post c. 11. D. XXXI. not. 107 h. Item e pr. dicti post c. 43. C. XXVII. qu. 1., ubi Gratianus, volens exponere, quod votum castitatis reddat matrimonium postea contractum plane invalidum et nullum, et quod faciat illud tantummodo illicitum, atque provocans hoc repectu ad suum dictum post c. 8. D. XXVII., citat ipsum, *distinctionis* nulla prorsus mentione facta, simpliciter, dicendo, illam expositionem in *capitulo de ordinatione clericorum* haberi. Verbotenus ea de re Gratianus ita ait: „Quod autem voventes praemissis auctoritatibus (scilicet c. 1.—40. C. XXVII. qu. 1.) jubentur ab invicem discedere, quorum vero conjugia auctoritate *Augustini* (c. 41. ead., et c. 2. D. XXVII.) et *Theodori* (c. 43. C. XXVII. qu. 1. et c. 3. D. XXVII.) solvenda non sunt, *in capitulo de ordinatione clericorum evidenter ostenditur.*“ Praeterea e pr. dicti post c. 6. C. I. qu. 7., ubi Gratianus decretum Papae *Gelasii I.,* in c. 1. D. LV. relatum, simpliciter citat his verbis: „Item: *Priscis igitur* etc. Require supra in tractatu ordinandorum.“ Eadem ratione Gratianus in dicto post c. 50. D. I. de cons. decreta Summorum Pontificum *Leonis I.,*

Quum jam, uti e locis supra (in not. 3.) allatis patet, Gratianus in citatione partis Decreti *primae* distinctionum nunquam meminerit, neque tunc, quum hoc claritatis gratia necessarium fuerit; quum porro praesens Dist. LXXIII., ut supra (p. 31.) ostensum est, non a Gratiano, sed a Paucapalea proveniat; quumque idem Paucapalea in sua *Summa* Decreti, circa medium saec. XII. adornata [1], illam subdivisionem partis Decreti primae in distinctiones — jam omnino adducat [2]: dubitari nequit, subdivisionem partis Decreti primae in 101 distinctiones, uti *Rufinus* et *Sicardus Cremonensis* referunt [3], non a *Gratiano*, sed ab ejus discipulo *Paucapalea* provenire.

Quod ad partem Decreti *tertiam*, nunc in quinque distinctiones subdivisam, pertinet, quo modo Gratianus ipse hanc partem Decreti citet, ejus rei exempla in Decreto non invenimus. Attamen supra allatis testimoniis *Rufini* et *Sicardi Cremonensis*, qui hanc subdivisionem partis Decreti *tertiae* Gratiano abjudicant eamque expresse ejus discipulo Paucapaleae adscribunt, ratione hujus rei gravissimum pondus accedit ex eo, quod codex ms. Decreti perquam antiquus, saec. XII., haud diu post Gratianum scriptus, quo *Friedberg* in adornanda sua editione Decreti [4] usus est, videlicet Capit. metropol. Colon. cod. ms. lat. nr. CXXVII., nec illam, nec ullam aliam hujus partis, quae ibi inscripta est: *Liber de Sacramentis,* subdivisionem habet [5], dum tamen Paucapalea eam in sua *Summa* Decreti, supra (p. 38. not. 1.) memorata, jam omnino exhibet [6].

Gelasii I. et *Pelagii II.*, in cann. 4. 7. D. LXXV. et can. 13. D. LXXVI. posita, citat, dicens: „Unde Leo episcopus: *Quod a patribus nostris.* Item Gelasius: *Ordinationes presbyterorum.* Item Pelagius: *Dilectionis tuae rescripta.* Require in tractatu ordinandorum.“ Pariter in dict. ad c. 20. C. XVI. qu. 1. decretum Papae Gelasii I., in can. 9. D. LXXVII. relatum, simpliciter his verbis allegat: „Sicut in tractatu de promotionibus clericorum invenitur, in capitulo illo: *Monachus novitius*“ etc. — Porro in § *His ita respondetur.* dicti sui post c. 26. C. XI. qu. 1. effatum S. Augustini, in c. 1. D. VIII. positum, citat simpliciter his verbis: „Require *in principio,* ubi differentia designatur inter jus naturae et jus constitutionis.“ Item in § *Sed sicut circa.* 1. dicti sui post c. 4. C. XV. qu. 3. ad suam disquisitionem de relatione constitutionum civilium ad negotia ecclesiastica, in Dist. X. positam (cfr. dict. Grat. init. D. X. et c. 1. ead.), provocat, simpliciter dicens: „Sicut circa hujus operis *initium* praemissum est.“

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 109. sq.

[2] Cfr. c. r. bibl. palat. Vindob. codicem ms. lat. n. 2220. (ex saec. XIII. inc.)

[3] Supra p. 38. not. 7. et p. 39. not. 1.

[4] In Corporis jur. can., Lips. 1879 sqq., parte I.

[5] *Friedberg* in citt. prolegg. col. XCV. nr. 1.

[6] Is enim ibi post expositionem Causae XXXVI. ait: „Omnibus decretorum causis vel negotiis decursis ad ultimam hujus libri ventum est partem, quae quinque est distinctionibus sive divisionibus divisa. Quarum prima de dedicatione ecclesiarum et consecratione tractat, quae ita incipit: De ecclesiarum consecratione“ etc. — „Secunda distinctio de corpore et sanguine Domini loquitur.“ — „Tertia distinctione de temporibus feriandi agitur, scil. ut dies dominici et solempnes diesque rogationum ac generalium jejuniorum ab omnibus celebrentur atque venerentur.“ —

Quae quum ita sint,, etiam *tertiae* partis Decreti subdivisio in quinque distinctiones *Paucapaleae* adscribenda esse dignoscitur [1].

§ 24. Distinctionum et quaestionum subdivisio in partes.

Illa, quae nunc in editionibus Decreti habetur, distinctionum et quaestionum subdivisio in *partes (divisiones)* [2], nullatenus a Gratiano provenit. Id jam inde elucet, quod ejusdem in codicibus Decreti mss. antiquis, uti v. g. in memorato codice msc. c. r. bibl. palat. Vindob. n. 2131. ex saec. XIII., nullum prorsus vestigium occurrit. Provenit autem illa subdivisio in praesenti sua forma a *Guidone de Baysio,* professore juris canonici in Universitate Bononiensi et cathedralis Capituli Bononiensis archidiacono, qui ideo etiam simpliciter sub nomine: *Archidiaconus* adduci solet († 1313) [3]. Et is quidem hanc divisionem primum proposuit in suo commentario Decreti, qui dicitur *Rosarium Decreti* [4]. Inde eam *Joannes Chappuis*, licentiatus juris in Universitate Parisiensi, qui versus finem saec. XV. et primo dimidio saec. XVI. floruit [5], in suam Decreti editionem, quae cura ipsius ac impensis et opera bibliopolarum *Ulrici Gering* et magistri *Bertholdi Rembolt* prodiit Parisiis 1505, assumpsit; unde in omnes sequentes editiones Decreti invecta est [6].

Attamen *Guidonem de Baysio* ea in re, certe magna ex parte, praeivit *Joannes Faventinus* in suo apparatu glossarum [7], ubi multa

„Quarta distinctio de sacramento baptismatis loquitur, scil. quo tempore generaliter sit celebrandum et quod necessitate cogente etiam a laico et a muliere dandum.“ Quibus verbis codex ille Summam Paucapaleae repente abrumpit. Alius autem codex ms. ejusdem c. r. bibliothecae (cod. lat. n. 570. ex saec. XIII. ex.) eandem Summam Paucapaleae, illo loco abruptam *(et a muliere dandum)*, continuat his verbis: „et si ab haeretico in forma ecclesiae ministretur, non reiterandum, et quod aliorum fide et professione parvuli baptizantur, sed si pro se respondere valent, alienae professiones eis non prosunt: quare etiam trina mersio in baptismo celebratur. De eo quoque, qui per linguae ignorantiam et invocatione Trinitatis delinquet, et quod unum tantum parvulum in baptismate suscipere debet. Et quod Christi baptismate apostoli baptizati fuerunt, et non tam ablutione corporis quam fide cordis baptisma consistit.“ Et post haec immediate voce: *„Post“*, litera *P* rubro colore scripta, exhibet materiam praesentis *distinctionis quintae* his verbis: „Post sacramentum baptismi de sacramento confirmationis agitur, quare scilicet baptizato tradatur; ubi ostenditur, quod jejuni ad eam venire et a jejunis, nisi necessitas cogat, debeant accipere; et sicut baptismus, ita confirmatio reiterari non debet“ etc. Cfr. dict. Grat. init. D. V. de cons.; summarr. c. 2. 5.—7. ead.

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 53.

[2] Cfr. supra § 6. p. 8.

[3] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 186. sqq.

[4] Typis prodiit opus illud inter caetera Argentorati 1472, Romae 1477, Venet. 1513, 1559, 1577 et alibi. Cfr. *Schulte* l. c. p. 187. not. 10.

[5] *Adelung,* Fortsetzung und Ergänzungen zu *Jöchers* allgem. Gelehrten-Lexicon, tom. II. col. 253.

[6] *Schulte* in citt. scriptt. memorabill. l. c. p. 85.

[7] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 138. sq.

ad praefatam subdivisionem spectantia habentur [1]. Ipse *Guido de Baysio* hac in re frequenter ad *Joannem Faventinum* provocat [2]. Immo aliquatenus eum hac in re forte etiam canonista *Joannes de Deo,* ex Lusitania oriundus, qui circa medium saec. XIII. floruit [3], praeivisse dici potest [4].

§ 25. Subdivisio dictorum Gratiani et auctoritatum (canonum) in principium et paragraphos.

Neque illa, quae nunc in editionibus Decreti adest, dictorum Gratiani et auctoritatum (canonum) subdivisio in principium (pr.) et paragraphos (§§), ab ipso Gratiano originem traxit. Id quod jam inde colligitur, quod haec subdivisio in codicibus Decreti mss. non habetur. Subdivisio illa demum successu temporis ab editoribus Decreti pro accuratiori hujus citatione introducta est. Neque in omnibus Decreti editionibus sibi omnino congruit. Ea, quae in recentioribus Decreti editionibus occurrit, dictorum Gratiani et auctoritatum (canonum) subdivisio in pr. et §§, maxime ex editione Decreti, jussu et auctoritate Papae *Gregorii XIII.* Romae a. 1582 publici juris facta, deprompta esse dignoscitur.

§ 26. Numeri auctoritatibus Decreti praefixi.

Eo minus a Gratiano proveniunt illi, qui nunc auctoritatibus Decreti praefixi sunt *numeri.* Id quod jam inde elucet, quod hi numeri etiam *Paleis,* quae tamen demum post Gratianum in Decretum venerunt, impositi sunt. Item ex eo, quod codices mss. Decreti nullos hujusmodi numeros auctoritatibus praefixos exhibent.

Initium hujus rei fecit *Carolus Molineus (du Moulin),* canonista Gallus († 1568) [5], qui auctoritatibus Decreti, *Paleis* tamen *exclusis, numeros* praefixit, et quidem in sua editione Decreti, quae prodiit Lugduni 1554, et iterum ibidem a. 1559 in 4⁰. [6]

Post hunc eam rem continuavit alius canonista Gallus, nomine *Antonius Contius (le Conte),* juris canonici in Academia Bituricensi pro-

---

[1] *Schulte* in citt. scriptt. memorabill. l. c. p. 86.

[2] Ita v. g. init. D. L.; ad c. *Si post ordinationem.* 12. ead.; ad c. *Si sacerdos.* 27. ead. (ed. Venet. 1577 fol. 63. b col. 2.; fol. 65. a col. 1.; fol. 66. b col. 2.).

[3] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 94. sqq.

[4] *Maassen,* Beiträge zur Geschichte der jurist. Literatur des Mittelalters, in citt. relatt. sess. tom. XXIV. p. 39. sq.; *Schulte* in citt. scriptt. memorabill., l. c. p. 86.

[5] De cujus actis et fatis refert *Doujat,* Praenott. canonn. lib. V. cap. 16., ed. Venet. 1717, p. 455. sq.

[6] *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptt. memorabill. p. 92. not. 4.

fessor († 1586)[1], qui Decreti auctoritatibus, una cum Paleis, *numeros* superscripsit, et quidem in sua editione Decreti, quae prodiit *Antverpiae* a. 1570 apud Christoph. Plantinum, absque glossa in 8⁰.[2]

Quae auctoritatum Decreti numeratio, a *Contio* introducta, non est quidem a defectibus immunis[3]; nihilotamen minus a viris eruditis communiter recepta et usque ad hoc tempus servata est, dum ratio, easdem auctoritates numeris signandi, ab *Antonio Augustino*, primum Ilerdensi in Hispania episcopo et deinde Tarraconensi archiepiscopo († 1586)[4], proposita, prorsus neglecta est[5].

CAPUT QUINTUM.

Praestantia Decreti ejusque influxus in jus ecclesiasticum.

§ 27. Praestantia Decreti.

Gratiani Decretum absque dubio super omnes collectiones juris ecclesiastici, quae eo tempore exstabant, plurimum eminebat. Et quidem

a) eo, quod normas juris ecclesiastici, quae eo tempore vigebant, fere plene complectebatur;

---

[1] *Doujat,* Praenotionum canon. lib. V. cap. 8. ed. cit. p. 459. sq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. III. part. 1. p. 559.

[2] Quae circumfertur Contiana Decreti editio, *Paris.* 1556 et 1570, non est alia, nisi *Antverpiensis* a. 1570, a librario Parisiensi *Jacobo du Puys (Puteano)*, cui *Contius* opus suum jam ante a. 1556 excudendum mandaverat, et qui illud in Belgium transmiserat, novo titulo instructa. De quo cfr. *Doujat* l. c. lib. IV. cap. 13. ed. cit. p. 397. et *Richter,* De emendatoribus Gratiani. Lips. 1835, p. 35.

[3] Etenim *Contius* interdum

a) gravissimas auctoritates peculiari canonis numero signare omisit easque dictis Gratiani involvit. Cfr. v. g. dict. Grat. init. D. I.; init. D. XLIX.; init. C. XIV. qu. 1.

b) Interdum dicta Gratiani nec non auctoritatum *inscriptiones* ad ipsas auctoritates traxit et una cum his canonis numero signavit. Ita v. g. init. c. 21. C. II. qu. 5.; init. c. 23. D. LXIII., ad quod cfr. notat. (Corr. Romm.) ad cit. can. v. *In synodo,* incipientem: „Initium hujus capitis videtur" etc. — Item init. c. 1. C. XXIV. qu. 2., ad quod cfr. notat. (Corr. Romm.) ad cit. can. v. *De communione privatis* etc., quae incipit: „Verba haec" etc.

c) Auctoritatum *summaria* interdum peculiari canonis numero signavit. Ita in c. 3. D. LXXIV.; ad quem cfr. notat. (Corr. Romm.) v. *Si qui,* quae incipit: „Verba hujus capitis" etc.

d) Interdum duos pluresve locos *ex eodem* auctore et opere depromptos totidem canonum numeris signavit, uti v. g. obtinet in cann. 4. 5. C. XXVII. qu. 1., et quandoque iterum locos ex diversis operibus ejusdem auctoris, immo vel e diversorum auctorum operibus haustos unico canonis numero complexus est, uti v. g. fecit in c. 6. C. XXXII. qu. 5. In reliquum de hoc cfr. *Sebast. Berardi,* Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti. August. Taurin. 1752—1757, Part. I. Prooem. p. XLVI.

[4] *Doujat* l. c. lib. VIII. cap. 5. ed. cit. p. 460. sq.; *Maassen,* Die Geschichte der Quellen, t. I. pag. XIX. sqq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, t. III. p. 723. sqq.

[5] Cfr. ejusdem *Ant. Augustini* De emendatione Gratiani Dialogg. lib. I. dialog. 18., in *Andr. Gallandii* (presb. Orat. † 1779), De vetustis canonum collectionibus et collectoribus dissertationum sylloge, ed. Venet. 1778, p. 489.

b) quod materiam methodo juristica, videlicet secundum jus civile romanum, tractat. Quod quidem hac ratione in nulla collectionum juris ecclesiastici antiquiorum praestitum esse dignoscitur.

Huc accedit,

c) quod Gratianus in Decreto etiam historicae evolutionis juris ecclesiastici rationem habuit et, quomodo singula instituta juristica, quae tunc in Ecclesia aderant, orta fuerint et quas mutationes inde ab ortu suo usque ad illud tempus subierint, proponere sategit. Qua ratione Decretum Gratiani etiam plurium antiquiorum collectionum juris ecclesiastici locum supplebat.

Praeterea excellebat

d) eo, quod Gratianus in suis dictis multas opiniones praestantissimas reposuit, quae deinde non solum a viris eruditis privatis, verum etiam ab ipsis legislatoribus ecclesiasticis acceptatae sunt [1].

Quae insignis indoles Decreti Gratianei mox evasit manifesta. Viri eruditi ipsum eximiis laudibus efferebant, „opus aureum“ immo vel „divinum Decretorum opus“ illud appellantes [2]. Tanta erat ejus aestimatio, ut, quum Cardinalis *Laborans* [3] a. 1182 edito opere, inscripto: *„Codex Compilationis“*, novam Decreti partitionem proposuisset, dividendo illud in VI *libros,* subdivisos in *partes,* opus illud penitus negligeretur [4].

§ 28. Influxus Decreti in jus ecclesiasticum.

Porro Decretum Gratiani sua methodo juristica id effecit, ut inde ab eo tempore jus ecclesiasticum, quod usque tunc Theologiae conjunctum et commixtum erat, ab hac separaretur et tanquam peculiaris et per se subsistens disciplina tractaretur; unde Gratianus merito scientiae seu disciplinae juris ecclesiastici pater dicitur [5].

Inde autem simul id consecutum est, ut illi, qui jus ecclesiasticum e Decreto Gratiani tradebant, peculiarem titulum, a titulo eorum, qui Theologiam docebant et simpliciter *magistri* appellabantur, diversum acciperent et ad instar eorum, qui jus civile docebant, *doctores,* et quidem a libro, quem exponebant, *doctores Decretorum* et *decretistae,* atque a *canone,* i. e. lege ecclesiastica, etiam *canonistae* dicerentur, in oppositione ad eos, qui *jus civile* seu *leges* explicabant atque inde *legistae,* vel etiam *domini* appellabantur [6].

[1] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts. Giessae 1860, p. 327., 330. et 332.

[2] *Sarti,* De claris archigymnasii Bononiensis professoribus, tom. I. part. 1. p. 266.; *Paulus Jos. Riegger,* De Decreto Gratiani dissertatio, ed. Vindob. 1760, § 103. p. 229.; *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 155.

[3] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 148. sq.

[4] *Phillips* l. c. p. 173. sq.; *Schulte* l. c. p. 149.

[5] *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 247. § 1.; *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 514.; *Schulte* l. c. p. 332.

[6] Cfr. supra p. 2. not. 1.; porro *Sarti* l. c. p. 247. § 1.; *Savigny* l. c. tom. III. p. 171., 305. et 416.; *Schulte* l. c. p. 199. et 214.

De caetero autem tituli *decretistarum* et *canonistarum* in Bononiensi Universitate etiam illis tribuebantur, qui juri canonico secundum Decretum Gratiani *discendo* operam dabant [1].

CAPUT SEXTUM.

Fata Decreti.

ARTICULUS PRIMUS.

Inde ab ejus ortu usque ad primam ejus editionem.

§ 29. Praetensa Decreti approbatio e parte Papae Eugenii III. (1145—1153.)

In quodam opere, uti ferebatur, perantiquo, quod intitulatum est: „Calendarium archigymnasii Bononiensis", narratur, Decretum Gratiani, brevi, postquam in publicum prodierat, a Papa *Eugenio III.* pro codice Ecclesiae universali approbatum et publicatum esse [2]. Quae narratio cohaeret cum supra (p. 30.) memorata fabula de plagio Decreti, quasi e parte Cardinalis Paucapaleae attentato.

Attamen dictum Calendarium esse prorsus spurium et recentiori demum tempore conflatum, nunc inter eruditos plene constat [3]. Unde tota illa narratio ejus de approbatione Decreti Gratiani e parte Papae *Eugenii III.* tanquam falsa est rejicienda.

§ 30. Publicae praelectiones super Decreto in Bononiensi et aliis Universitatibus habitae.

Quum Decretum Gratiani tanta praestantia excelleret, hinc, ut ipsum eo melius intelligi et eo facilius in praxi ecclesiastici fori adhiberi posset, plurimi virorum eruditorum, et primum quidem Bononiae, et deinde etiam in aliis locis [4], eidem exponendo operam navaverunt. Ipse Gratianus illud in schola monasterii SS. Felicis et Naboris explicavit. Post eum certe ejus discipulus Paucapalea ibi idem fecit [5].

---

[1] *Walter-Gerlach,* Lehrbuch des Kirchenrecsts, ed. XIV. § 104 a.

[2] *Sarti,* De claris archigymnasii Bononiensis professoribus, tom. I. part. 1. p. 262. § 9.

[3] *Florens,* De methodo atque auctoritate collectionis Gratiani, in *Gallandii,* De vetustis canonum collectionibus et collectoribus dissertationum sylloge, ed. Venet. 1778, p. 424.; *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 11. sqq.

[4] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 156. sqq.

[5] Id elucet ex ejus Summa, ubi is saepius, uti v. g. init. D. VIII., dicit: *„Audistis",* quod omnino oralem Decreti expositionem innuit. Cfr. *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 280. § 50.; p. 282. § 1.

Praeterea autem etiam Theologiae magistri in Bononiensi Universitate Decreto explicando operam impenderunt [1]. Quae quidem opera eorum tum *viva voce,* tum *calamo* peragebatur.

Et quidem opera eorum oralis, explicationi Decreti impensa, uti doctorum juris civilis Bononiensium in exponendis collectionibus juris civilis romani Justinianei collocata opera [2], constabat publicis *praelectionibus* et, quae cum his arcte cohaerebant, *repetitionibus* et *disputationibus.*

Et quod primum attinet publicas *praelectiones,* dicti magistri primum proponebant succinctum conspectum seu *summam* explanandi textus *(literae)*, tum hunc textum *(literam)* recitabant, ita ut auditores, qui exemplar Decreti non habebant, eundem textum sibi scribere possent. Postea exhibebant *speciale factum* seu *casum,* in illo textu tractatum. Deinde hunc textum per singula explicabant seu *legebant* [3]. Tum determinabant *generales normas juris,* in illo textu comprehensas, quae dicebantur *Brocarda* vel *Brocardica,* absque dubio secundum *Brocardum (Burchardum) Wormatiensem* [4].

Deinceps *locos parallelos (allegorias)* indicabant, atque etiam locos, qui *contrarii* esse videbantur, adducebant (differentias seu contrarietates notabant seu assignabant) et hanc contrarietatem institutis super ea quaestionibus solvere satagebant (solutionem dabant) [5]. Porro ad declarandas et applicandas praefatas generales juris normas (Brocardica) alios etiam casus, sive veros, sive ab ipsis confictos, proponebant; qui casus, quando e S. Scriptura hausti erant, dicebantur *Historiae* [6].

Expositio textus alicujus libri, a magistro in schola praelectionibus exhibita, dicebatur *lectura* [7].

Notandum autem hac occasione est, magistros Bononienses de regula solas auctoritates, a Gratiano in Decretum relatas, has tamen una cum earum *summariis (rubricis)* in scholis legisse [8], *Paleas* vero

---

[1] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 327.

[2] Cfr. infra append. cap. 3. art. 2.

[3] Vox: *legere* apud antiquos idem significat ac: *oretenus exponere;* unde vox: *lectura* expositionem oretenus factam, et deinde etiam expositionem seu commentarium generatim designare consuevit. Cfr. *Savigny*, Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 539.

[4] *Sarti*, De claris archigymnasii Bononiensis professoribus, tom. I. part. 1. p. 306. § 3.; *Savigny* l. c. p. 552. et p. 567.—570.

[5] *Sarti* l. c. tom. I. part. 1. p. 339.; *Savigny* l. c. p. 539. sqq.; *Schulte* l. c. tom. I. p. 212. sqq.

[6] *Maassen,* Paucapalea, in citt. relatt. sess. tom. XXXI. p. 491.; *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptt. memorabill. tom. XXI. part. 2. p. 84.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 113.

[7] *Savigny* l. c. p. 539.; porro cfr. supra not. 3.

[8] Id testatur *Rufinus* in sua *Summa* Decreti (ad c. 1. D. I.), dicens: „Nota, quod M. (agister) G. (ratianus) huic capitulo, sicut cuilibet sequenti, rubricam praescribit, qua continetur summa capituli sequentis vel aliquid, quod in eo est excellentius. Leguntur autem rubricae, quamvis non sint de auctoritate, quia quorundam capitulorum casus . . . ex rubricis intelliguntur.“ (Apud *Maassen* l. c. p. 485.)

de regula silentio praeterisse [1]. Id quod eadem de causa etiam circa totam distinctionem LXXIII. factum fuisse narratur [2].

Quae cum praelectionibus cohaerebant *repetitiones*, erant disquisitiones et expositiones alicujus textus iteratae et profundiores, quibus magister omnes, quae contra illum textum proferrentur, objectiones removere et solvere satagebat [3].

Porro eae, quae pariter ad praelectiones accedebant, *disputationes* erant eruditae controversiae, quibus aliqua juristica quaestio, praesertim ad praxin ecclesiastici fori pertinens, ab una parte impugnabatur et ab altera defendebatur [4].

Ad excipiendas illas, quae super Decreto in Bononiensi Universitate habebantur, praelectiones ex universa fere Europa ingens multitudo studiosorum, praesertim clericorum, eorumque etiam in ecclesiasticis dignitatibus constitutorum, Bononiam confluebat [5], ita ut versus finem saec. XII. quandoque simul ultra decem millia scholarium, juri civili et canonico vacantium, Bononiae adfuisse ferantur [6].

Quo inter caetera etiam id effectum est, ut Decretum Gratiani a scholaribus, post studia absoluta in patriam reversis, per universam fere Europam divulgaretur et ab iis, ad ecclesiastica officia promotis, adhiberetur et sic brevi tempore universim in praxin fori ecclesiastici induceretur [7].

---

[1] Ita refert idem *Rufinus* in sua *Summa*, dum de Paucapalea, postquam eum partes Decreti primam et tertiam in distinctiones subdivisisse narraverat, ait: „Nihilominus etiam quaedam decreta apposuit, quae, licet non sint minoris auctoritatis, quam alia hic posita, tamen, quia a principali auctore hujus libri non sunt posita, non leguntur.“ (Apud *Maassen*, Paucapalea, p. 455. Cfr. *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 250.)

[2] Ita notatur in cit. codice ms. caes. reg. bibl. palat. Vindob. (cod. lat. n. 2131.) ad cit. D. LXXIII. (quae tamen, uti jam supra innuimus, ibi per errorem signata est num. LXXII.) in margine. Item in codice ms. Palat. — Vatic. n. 622., in quo illa distinctio (LXXIII.) prorsus deest et in margine loco illius apposita est nota: „Di. LXXIII. deest et non legitur.“ (*Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 160. not. 37.) Etiam in *Summa* Decreti *Parisiensi* (cfr. supra § 18), ubi post c. Placuit. 3. D. LXXII. circa Dist. LXXIII. sunt haec notata: „Quodcumque sequitur post hoc decretum usque ad illam paragraphum: *Quaeritur de his* etc., Paucapalea apposuit, et tanquam inutile non legitur.“ (Apud *Schulte*, Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Zweiter Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXIV. p. 133.)

[3] *Savigny*, Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 270. sqq.; *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 474.

[4] *Savigny* l. c. p. 271. sqq.; *Schulte* l. c. p. 474. sq.

[5] Id quod fieri poterat, quum Summi Pontifices clericis, studio theologico vel canonistico in Universitate vacaturis, dispensationem a lege residentiae in loco beneficii, si qua obstringebantur, prompte concederent. Cfr. *Schulte* l. c. p. 458. sq.; *Denifle* l. c. p. 746. sq.

[6] *Nettebladt*, Initia historiae literariae juridicae universalis. Halae Magdeb. 1774, Part. II. p. 247. sqq.; *Glück*, Praecognita uberiora univ. jurisprudentiae eccl. positivae Germanorum. Halae 1786, p. 292.; *Schulte* l. c. p. 458. sqq.

[7] *Schulte*, Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Dritter Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 21. sqq.

Quum deinde in aliis civitatibus scholae juristicae erectae essent, etiam in eis praelectiones super Decreto Gratiani habitae sunt [1].

§ 31. Opera litteraria, e praelectionibus super Decreto habitis deinceps enata [2].

E praefatis praelectionibus super Decreto in Bononiensi Universitate habitis, quum illae deinceps scriptis mandarentur, varia opera litteraria orta sunt, et quidem

1. *Summae Decreti,* i. e. succincti conspectus Decreti, quibus plerumque quidam quasi prologus praemissus est. Hujusmodi Summas exaraverunt praesertim *Paucapalea, Rolandus Bandinellus, Omnibonus,* primum professor juris canonici Bononiae et deinde episcopus Veronensis († 1185) [3], *Rufinus, Stephanus Tornacensis, Joannes Faventinus, Simon de Bisiniano, Sicardus Cremonensis, Huguccio,* hic tamen omissis *causis* XXIII.—XXVI. incl. [4], et alii, quorum nomina sunt ignota [5].

2. *Distinctiones Decreti,* quae sunt succincti conspectus materiae juristicae Decreti, cum dictorum Gratiani et canonum ad eam spectantium allegatione eorumque, in quantum opus est, explicatione. Quandoque hujusmodi scripta etiam *Repetitiones Decreti* dicuntur [6]. Cujusmodi opus adornavit *Richardus,* natione Anglus, et hinc communiter *Richardus Anglicus* dictus, cognomento *Pauper,* Cicestrensis (Chichester) in Anglia episcopus († 1237) [7].

3. *Quaestiones Decreti.* Quae sunt uberiores discussiones atque solutiones diversarum quaestionum juristicarum in Decreto comprehensarum, earum praesertim, quae ad praxin fori ecclesiastici spectant [8].

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 214.

[2] *Schulte* l. c. p. 112. sqq.; *Idem,* Ueber eine Summa Legum des 12. Jahrhunderts, in citt. relatt. sess. tom. LVII. p. 433. sqq.; Ueber eine Summa Legum des 12. Jahrhunderts. Nachtrag, in citt. relatt. sess. tom. LXIII. p. 287. sqq.; Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Erster Beitrag, ibid. p. 301. sqq. (Stroma Rolandi); p. 317. sqq. (Summa Simonis de Bisiniano); p. 336. sqq. (Summa Sicardi Cremonensis); Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Zweiter Beitrag, in citt. relatt. sess. LXIV. p. 93. sqq. (Summa Coloniensis); p. 114. sqq. (Summa Parisiensis); p. 134. sqq. (Decreti Summa Cod. Bamberg. P. I. 11); Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Dritter Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 21. sqq. (Die Introductiones, Margaritae, Excerpta des Decrets); p. 37. sqq. (Die Quaestiones, Casus, Tractatus); p. 59. sqq. (Summae anonymae zum Decret); Die Summa Decreti Lipsiensis, in citt. relatt. sess. tom. LXVIII. p. 37. sqq.; Der Ordo judiciarius des Codex Bambergensis, in citt. relatt. sess. tom. LXX. p. 285. sqq.

[3] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 119. sqq.

[4] *Schulte* l. c. p. 157. sqq. [5] *Schulte* l. c. p. 223. sqq.

[6] *Schulte* l. c. p. 218. sq., p. 225. sq. et p. 230. sq.

[7] *Schulte* l. c. p. 183. sq.

[8] *Schulte* l. c. p. 219. sq. Hujusmodi opus ignoti auctoris, intra a. 1154 et 1179, ut videtur, adornatum, exhibetur in cod. ms. jur. n. 62. reg. bibl. priv. Stutt-

4. *Brocarda.* Cujusmodi opus, habita simul ratione collectionum decretalium, quae tunc jam exstabant, exaravit *Damasus,* quem alii *Bohemum,* alii *Hungarum* fuisse asserunt, inde ab a. 1210 usque ad a. 1215 Bononiae juris canonici professor [1]. Hoc opus *Damasi* deinceps, habita ratione collectionis decretalium Papae *Gregorii IX.,* die 5. Septembris 1234 publicatae, reformavit *Bartholomaeus,* Brixiae in Lombardia natus, et hinc *Brixiensis* cognominatus, juris canonici Bononiae circa medium saec. XIII. professor († 1258) [2]. Quod opus ab hoc viro erudito ita reformatum communiter *Brocarda Bartholomaei Brixiensis* appellatur [3].

5. *Casus* et *Historiae Decreti.* Prioris generis opus (Casus Decreti) exaravit *Benencasa,* patria *Senensis,* professor juris canonici Bononiae († 1206) [4]. Hoc opus deinde recensuit et reformavit praefatus *Bartholomaeus Brixiensis;* a quo recensum et reformatum vulgo *Casus Bartholomaei Brixiensis* dici solet [5].

Alterius generis opus (Historias Decreti) adornavit, uti videtur, certe ejus adornandi ansam dedit *Paucapalea* [6]. Porro talia opera exaraverunt jam citati *Damasus* [7], atque *Bartholomaeus Brixiensis* [8].

6. Etiam singularium materiarum, in Decreto comprehensarum, et earum praesertim, quae ad ecclesiasticam praxin pertinebant, nominatim *matrimonii* et *processus judiciarii ecclesiastici,* habita ratione tum juris romani, tum etiam, si quae jam exstabant, collectionum decretalium, ampliores et ad singula rei momenta pertingentes expositiones exaratae sunt, quae pro diversitate materiae dicebantur *summae matrimonii, ordines judiciarii* vel *specula judicialia* et similiter. Et quidem *Summam matrimonii* post plures alios, nomine ignotos, exaravit *Bernardus Papiensis,* supra (p. 20.) memoratus [9], et *Tancredus,* juris canonici in Bononiensi Universitate professor et cathedralis Capituli Bononiensis archidiaconus († intra a. 1234 et 1236) [10].

---

gart. Cfr. *Schulte,* Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Erster Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXIII. p. 303.; *Idem,* Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Dritter Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 37. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 234.

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 194. et 196.

[2] *Schulte* l. c. tom. I. p. 196. tom. II. p. 83. sq.

[3] Plures codices mss. hujus operis refert *Schulte,* Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, besonders der drei ersten, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 153. sq.

[4] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 170. sq.

[5] *Schulte* l. c. tom. II. p. 84.

[6] Videlicet in sua *Summa* Decreti, ubi frequenter exempla e S. Scriptura adducit sub nomine: *Historia.* Cfr. *Maassen,* Paucapalea, l. c p. 491.; *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, l. c. p. 84.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, t. I. p. 113.

[7] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 194.

[8] *Schulte* l. c. tom. II. p. 85.

[9] *Schulte* l. c. tom. I. p. 175. sqq. [10] *Schulte* l. c. p. 199. sqq.

De ecclesiastico *processu judiciario* tractatus adornaverunt inter caeteros *Petrus*, Blesis (Blois) in Gallia oriundus et hinc *Petrus Blesensis* dici et, quatenus a Petro Blesensi, suo patruo, Bathoniensi in Anglia archidiacono († c. a. 1200)[1], distingueretur, Petrus Blesensis *junior* cognominari solitus, et quidem c. a. 1180[2]. Porro jam memorati *Richardus Anglicus*[3] et *Damasus*[4], item *Gratia,* Aretii in Tuscia natus[5], atque *Tancredus*[6], et alii, quorum nomina sunt ignota[7].

§ 32. Glossatio Decreti ejusque glossatores generatim.

Altera (cfr. § 30.) magistrorum Theologiae Bononiensium in Decreto explicando collocata opera, quae scilicet proxime *calamo* fiebat, constabat in ejusdem *glossatione.* Nimirum, quemadmodum doctores juris civilis romani Bononienses jam inde ab initio saeculi XII. in exponendis collectionibus juris civilis romani Justinianei, videlicet *Digestis (Pandectis), Institutionibus* etc., facere consueverant[8], ita etiam magistri Theologiae Bononienses in explicando Decreto Gratiani facere coeperunt. Nempe illi in suo quisque exemplari Decreti vocibus textus obscurioribus et intellectu difficilioribus pro earum explicatione breves notulas adscribebant, cum ea intentione, ut illae notulae penes textum Decreti conservarentur et una cum eo describerentur et propagarentur. Cujusmodi breves notulae dictae sunt *glossae (glosae),* a gr. γλῶσσα (lingua), vel etiam *glossulae,* et qui hujusmodi glossas seu glossulas textui Decreti adscribebant, ii idem Decretum *glossare* seu *glossulare* dicebantur, et ipsi inde *glossatores* Decreti appellati sunt.

Quae glossae primum *inter lineas* textus Decreti ponebantur; unde dictae sunt *glossae interlineares*[9]. Serius autem *in margine* textus collocabantur; unde *glossae marginales* appellatae sunt[10]. Ex quo

---

1 *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. IV. p. 433. sqq.

2 *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 207. sq.

3 *Schulte* l. c. p. 183. 4 *Schulte* l. c. p. 195.

5 *Schulte* l. c. p. 198.; *Savigny* l. c. tom. V. p. 158. sqq.

6 *Schulte* l. c. p. 203. Duorum postremo nominatorum canonistarum, videlicet *Gratiae* et *Tancredi*, atque legistae *Pillii* ordines judicarios edidit *Frider. Bergmann* in: „Pillii, Tancredi, Gratiae libri de judiciorum ordine“, Gotting. 1842. Cfr. de eo *Schulte* l. c. p. 203. not. 15.

7 *Schulte* l. c. p. 233. sq. 8 Cfr. infra append. cap. 1. art. 3.

9 V. g. c. 5. pr. D. I.: „Consuetudo autem
norma juris *iteratis actibus* *norma juris scripta* *consuetudo praeter legem*
est *jus* quoddam *moribus* institutum, quod pro *lege* suscipitur, *cum deficit lex.*“

10 V. g. cit. c. 5. pr. D. I.:

„Consuetudo autem est jus a) quoddam moribus b) institutum, quod pro lege c) suscipitur, cum deficit lex“ d).

a) *Jus* i. e. norma juris.
b) *Moribus* i. e. iteratis actibus.
c) *Lege* i. e. norma juris scripta.
d) *Lex.* Et talis consuetudo dicitur consuetudo praeter legem.

autem dictae glossae in margine textus Decreti scribi consueverant, eae paulatim e nudis explicationibus *vocum* etiam expositiones *rerum* evaserunt [1].

Ex his simul colligitur modus, citandi glossas Decreti, qui talis est. V. g., si citanda sit glossa, supra p. 51. in not. 10. sub. lit. *d* ad voc. *lex* posita, citatur ita: gl. ad c. 5. pr. D. I. v. *lex.*

Antiqui canonistae, qui post *Bartholomaeum Brixiensem,* supra (p. 50.) memoratum, floruerunt, glossas ad singulos canones Decreti appositas computare et earum singulas ipsarum numero allegare consueverunt. Qua ratione v. g. glossam v. *lex,* supra adductam, ita citant: gl. 4. ad D. I. cap. Consuetudo autem [2].

Monendum porro hac occasione est, *Paleas* a glossatoribus de regula praetermissas fuisse; unde venit, quod nonnisi paucissimae earum glossatae sunt [3].

Complexus glossarum seu glossularum, a certo aliquo glossatore textui Decreti adscriptarum, dictus est *apparatus glossarum Decreti* vel etiam *glossa Decreti,* glossa heic collective, pro collectione glossarum seu glossularum accepta; cujus quidem denominationis absque dubio ansam dedit illa, quae tunc jam dudum in usu fuerat, *glossa SS. Bibliorum* [4].

Quia autem ab initio quilibet glossator Decreti huic suas tantummodo glossas (glossulas) adscribebat, et hinc totidem diversi apparatus glossarum (glossularum) seu totidem glossae Decreti existebant, quot erant glossatores, hinc serius, quum glossae (glossulae) e diversis Decreti apparatibus glossarum (glossularum) seligerentur et textui Decreti apponerentur, ne facile alius auctoris glossa (glossula) tribueretur alii, invaluit usus, ut singulis glossis (glossulis) ex aliquo apparatu assumtis et textui Decreti appositis simul nomen illius auctoris, vel saltem abbreviatio nominis ejus seu, uti dicitur, *sigla* ejusdem auctoris, adscriberetur [5].

---

[1] *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 556. sqq.

[2] *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptt. memorab. tom. XXI. part. 2. p. 89.

[3] *Schulte* l. c. p. 75. not. 2.

[4] Ordinaria seu marginalis, a *Walafrido Strabone,* abbate *Augiae Divitis* († 849), et *interlinearis,* ab *Anselmo,* Laudunensi in Gallia canonico († 1117), composita. Cfr. Lexicon eccl. Friburgense, ed. Friburg. Brisg. 1847 sqq., tom. IV. p. 540. sqq. art.: *Glossen, biblische;* ed. II. tom. V. p. 710. sqq.

[5] V. g. si supra adductum textum c. 5. pr. D. I. prae oculis habeamus, ita:

„Consuetudo autem est jus a) quoddam moribus b) institutum, quod pro lege c) suscipitur, cum deficit lex d)."

a) *Jus* i. e. norma juris. *Rufinus.*
b) *Moribus* i. e. iteratis actibus. *Gand. (ulphus).*
c) *Lege* i. e. norma juris scripta. *Mel. (endus).*
d) *Cum deficit lex.* Talis consuetudo dicitur consuetudo praeter legem. *Jo. de Fant. (Joannes de Faventia).*

§ 33. Glossatores Decreti speciatim [1].

Eorum autem, qui Decretum Gratiani glossaverunt, praecipui sunt

1. *Paucapalea,* Gratiani discipulus [2].

2. *Joannes Faventinus,* cujus glossae gerunt siglas: *Jo. de Fa., Jo. de Fant.,* et etiam solum *F.* vel *f.*

3. *Rufinus,* cujus glossae siglatae sunt lit. *R.*

4. Quidam glossator, sub nomine: *Cardinalis* allegari solitus, quem nonnulli putant pro Cardinali *Gratiano,* supra (p. 11.) memorato [3]; cujus glossae habent siglas: *Card., Car.,* et etiam solum *C.*

5. *Albertus,* cognomento *Beneventanus,* serius Summus Pontifex nomine *Gregorius VIII.* (21. Oct. — 17. Decemb. 1187); cujus glossae signatae sunt sigla: *Al.*

6. *Gandulphus,* qui altero dimidio saec. XII. et initio XIII. floruit, de caetero autem ignotus est [4]; ejus glossae gerunt siglas: *Gand., Ga.* et *G.*

7. *Melendus,* qui versus finem saec. XII. et initio XIII. floruit et in Bononiensi Universitate jus canonicum docuit [5]; ejus glossae vel pleno ipsius nomine, vel siglis: *Mel.* vel *M.* signatae sunt.

8. *Bazianus,* a glossatore juris civilis romani, nomine *Bassiano* [6], distinguendus, in Bononiensi Universitate juris canonici professor († 1197) [7], cujus glossae gerunt siglam: *Baz.,* et interdum, per errorem librariorum, etiam: *Bar.*

9. *Petrus,* ut videtur, natione Hispanus, florens c. a. 1180 [8]; cujus glossae signatae sunt sigla *P* vel *p.*

10. *Laurentius,* natione *Hispanus,* qui primo dimidio saec. XIII. floruit atque *Tancredi* et *Bartholomei Brixiensis* magister fuit [9]. Ejus glossae habent siglas: *Laur., Lau., la.* et *l.*

Porro huc pertinent

11. nonnulli alii, caeterum ignoti, quorum glossae signatae sunt siglis: *D., N., Ro., S., St., Ste.* et *st.* [10]

---

[1] *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 166. sqq.; *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptt. memorab. tom. XXI. part. 2. p. 34. sqq.

[2] *Maassen,* Paucapalea, in citt. relatt. sess. tom. XXXI. p. 486. sq.; *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 327. not. 4.; *Idem,* Die Glosse zum Decret Gratians, l. c. p. 31. sq. et 35. sq.

[3] Cfr. *Maassen,* Beiträge zur Geschichte der juristischen Literatur des Mittelalters, in citt. relatt. sess. tom. XXIV. p. 10. sqq. et 14. sqq.; econtra *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 145. sqq.

[4] *Schulte* l. c. p. 132. [5] *Schulte* l. c. p. 151.

[6] *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. IV. p. 289. sqq.

[7] *Schulte* l. c. p. 154. sqq.

[8] *Schulte* l. c. p. 152. sq. [9] *Schulte* l. c. p. 190. sq.

[10] *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, l. c. p. 65. sqq.

§ 34. Glossa Decreti ordinaria [1].

Joannes Teutonicus, jam (p. 24.) memoratus, ex auctorum supra nominatorum glossis (glossulis), quas eorum nominibus vel siglis notavit, porro e nonnullis *Summis* Decreti, et nominatim *Paucapaleae, Stephani Tornacensis* et *Huguccionis,* praeterea e collectionibus decretalium, quae eo tempore exstabant, et nominatim e sic dictis *Compilationibus* I., II. et III. [2], item e glossis juris civilis romani, et nominatim quidem e glossis *Bulgari, Martini Gosiae, Joannis Bassiani, Pillii* et *Azonis* [3], insuper nonnullis e suo additis, quae additamenta suo nomine: *Joannes,* vel sigla: *Jo. Teut.,* vel *Jo.* signavit, completum apparatum glossarum, seu completam glossam Decreti adornavit.

Et id quidem fecit *non* ante a. 1210 vel 1211; quia in eo apparatu citat *Compilationem* III., quae ante illud tempus exarata non fuit [4]; certo autem id fecit *ante* Concilium generale *Lateranense* IV., inde ab 11.—30. Novembris 1215 celebratum [5]; quod inde infertur, quia canonum celeberrimi hujus Concilii nullatenus meminit [6].

Apparatum glossarum Decreti, a *Joanne Teutonico* adornatum, *Bartholomaeus Brixiensis,* item supra (p. 50.) laudatus, anno 1245 vel 1246 [7] denuo recensuit et reformavit, et quidem ita, ut decretales, a *Joanne Teutonico* secundum Compilationes antiquas I., II. et III. allegatas (Extra I., II. III.), ad normam collectionis decretalium Papae *Gregorii IX.,* die 5. Septembris 1234 publicatae, allegaret, videlicet simpliciter voce: *extra* [8]; porro ita, ut eum in pluribus locis compleret atque etiam corrigeret, quin tamen ullas novas glossas ipse apponeret [9]; quas additiones suo nomine, vel pleno, vel abbreviato (Barth., B.), signavit [10].

Qui apparatus glossarum Decreti, a *Bartholomaeo Brixiensi* ita reformatus, completus et correctus, in communem usum inductus est et *glossae Decreti ordinariae* nomen obtinuit [11].

---

[1] *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptt. memorabill. tom. XXI. part. 2. p. 70. sqq.

[2] Cfr. infra part. II. sect. 1. §§ 59. 65. 66. Has ipse citat voculis: *extra* I. resp. II. et III.

[3] Cfr. infra append. cap. 3. art. 2. [4] Cfr. infra part. II. sect. 1. § 65.

[5] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm., Berol. 1874 sq., vol. I. p. 437.

[6] *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptt. memorabill. p. 76. sq.

[7] Hoc inde colligitur, quia in suo additamento gl. ad c. 27. C. XXIII. qu. 4. v. *conquestus* memorat voce: *novella,* qua tunc communitur decretales et constitutiones Papae *Innocentii IV.* designari solebant (cfr. *Schulte,* Die Decretalen zwischen den „Decretales Gregorii IX." und „Liber Sextus Bonifacii VIII." in citt. relatt. sess. tom. LV. p. 762. et 765.), constitutionem a Papa *Innocentio IV.* (1243—1254) in Concilio generali Lugdunensi I. a. 1245 editam, e constitutionibus autem et decretalibus ab eo post illud Concilium editis nullam commemorat. (*Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians l. c. p. 86. sq.)

[8] Cfr. infra part. II. sect. 2. cap. 1. § 72.

[9] *Schulte* l. c. p. 78. [10] *Schulte* l. c. 77. sqq.

[11] *Schulte* l. c. p. 89.; cfr. *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 173.

§ 35. Ulteriora opera litteraria, ad Decretum explanandum spectantia.

Etiam post absolutam glossam ordinariam plures viri eruditi exaratis peculiaribus operibus litterariis de Decreto explanando meruerunt; inter quos prae caeteris memorandi sunt

1. *Joannes de Deo,* jam supra (§ 24.) laudatus, qui, praeterquam quod Summam *Huguccionis* (cfr. § 31.) complevit, causas XXIII.—XXVI., quas ille omiserat, addendo [1], etiam plura alia opera ad Decreti explanationem pertinentia composuit, uti sunt: *Apparatus Decretorum, Breviarium Decretorum, Concordantiae Decretorum et titulorum Decretalium* et alia [2].

2. *Vincentius,* natione Gallus, natus Bellovaci (Beauvais), et hinc *Vincentius Bellovacensis* dici solitus, O. S. D. († 1264) [3], qui in suo opere, *Speculum majus* inscripto et in tres partes: Speculum *naturale, doctrinale* et *historiale* diviso, et praesertim in *Speculo doctrinali* capp. VII.—X. sat multa ad Decretum Gratiani spectantia, habita simul ratione collectionum decretalium, quae tunc exstabant, in medium adduxit [4].

3. *Guilielmus Duranti (Durantis,* non *Durandus),* natione Gallus, natus a. 1237, † 1296 [5], qui hoc respectu egregie meruit suis operibus *Breviarium* seu *Repertorium aureum* [6], et: *Speculum judiciale,* in quorum altero in specie de processu judiciario agit et, quae huc pertinent, tum e Decreto Gratiani, tum e collectionibus decretalium et jure romano assumpta congessit [7].

4. *Guido de Baysio,* pariter jam supra (§ 24.) memoratus, qui a. 1300 [8] praeclarum commentarium Decreti exaravit, dictum *Rosarium Decreti* [9]. In quod opus auctor, praeterquam quod in eo, uti supra (§ 24.) meminimus, distinctiones et quaestiones Decreti divisit

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 103.

[2] De quibus vide *Schulte* l. c. p. 95. sqq.

[3] *Quetif et Echard,* Scriptores Ordinis Praedicatorum, ed. Paris. 1719—1721, tom. I. p. 212. sqq.

[4] *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 321. sqq.

[5] *Doujat,* Praenotionum canon. lib. V. cap. 5. ed. cit. p. 438. sq.; *Savigny* l. c. tom. V. p. 571. sqq.

[6] Ed. Francof. a. 1612, fol.

[7] Ab hoc altero opere ille etiam nomen: *Speculator* obtinuit. (*Phillips* l. c. tom. IV. p. 186. sqq.) Qua occasione simul commemorandus est vir eruditus, qui ad hoc *Speculum Durantii* a. 1346 *Additiones* apposuit, *Joannes,* a patre, qui *Andreas* dicebatur, communiter *Joannes Andreae* dici solitus, Rifredi prope Mugellum in ditione Florentina natus (c. a. 1270), juris canonici in Universitatibus Patavina, Pisana et Bononiensi professor, † 1348. (*Doujat* l. c. lib. V. cap. 6. ed. cit. p. 442. sq.; *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. VI. p. 98. sqq.; *Schulte* l. c. p. 205. sqq.) Quae *Additiones* primum per se editae sunt Argentorati a. 1473; postea autem ipsi Speculo congruis locis insertae et simul cum hoc editae sunt. (*Savigny* l. c. tom. V. p. 588. sqq.; *Schulte* l. c. tom. II. p. 221. sqq.)

[8] *Maassen,* Beiträge zur Geschichte der juristischen Literatur, in citt. relatt. sess. tom. XXIV. p. 63.

[9] De ejus editionibus vide supra p. 42. not 4.

in *partes (divisiones),* quae usque nunc in editionibus Decreti exhibentur, insuper e plurimis operibus litterariis ea, quae ipsi ad Decretum explanandum apta esse videbantur, contulit [1].

5. *Joannes a Turrecremata (Torquemada),* natione Hispanus, O. S. D., Cardinalis († 1468) [2], qui non solum egregium commentarium Decreti exaravit [3], sed etiam ipsum Decretum in novum ordinem, videlicet collectioni decretalium Papae *Gregorii IX.* accommodatum, digessit, dividendo illud in 5 libros et hos subdividendo in *partes* et *titulos* [4].

ARTICULUS SECUNDUS.

Inde a prima Decreti editione usque ad editionem ejus authenticam Romanam a. 1582.

§ 36. Codices mss. Decreti et prima ejus editio.

Ab initio, uti per se intelligitur, Decretum Gratiani nonnisi per calamum et scripturam propagari potuit. Sunt vero ejus codices mss. numerosissimi [5].

---

[1] In specie autem in exarando hoc opere usus est glossario, quod a *Papia,* grammatico Lombardo, qui circa medium saec. XI. floruit (*Jöcher,* Allgem. Gelehrten-Lexikon. Lips. 1750 sq., tom. II. col. 1237.), sub titulo: *Elementarium doctrinae rudimentum* (Elementum) adornatum, et ab *Huguccione* supra (§ 31.) laudato ampliatum et *Liber derivatiorum* inscriptum est (*Sarti* l. c. tom. I. part. I. p. 301); porro operibus *Aristotelis,* quem secundum ejus opus: Πολιτικά (libb. VIII.; cfr. *Grässe,* Lehrbuch einer allgem. Literärgesch., Dresdae et Lips. 1837 sqq., tom. I. part. I. p. 431. sq.) nomine *Politici* allegat; item *Summis* Decreti, nominatim *Joannis Faventini, Damasi* et *Huguccionis;* praeterea operibus *Petri Lombardi, S. Thomae Aquin., Bernardi Papiensis, Goffredi de Trano, Bernardi Parmensis,* Papae *Innocentii IV.* (1143—1154), *Henrici de Segusia,* Cardinalis episcopi Ostiensis *(Hostiensis)* † a. 1271 (*Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 123. sqq.), et aliorum, quos collectionibus decretalium explanandis operam impendisse infra (part. II. sect. 1. sqq.) videbimus; insuper autem ex antiquioribus glossarum Decreti apparatibus, nominatim *Gandulphi, Laurentii* et *Petri* ea, quae ipsi in *glossa* Decreti *ordinaria* deesse videbantur, excerpsit et in hoc opus retulit. (Cfr. ibidem v. g. Dist. VI., ed. Venet. 1577, fol. 9. b.)

Certe opus hoc pro perfecto complemento glossae Decreti ordinariae reputatum est, ita ut inde ab illo tempore interpretes Decreti ad antiquiores glossarum Decreti apparatus non amplius recurrendum censerent. (*Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptt. memorab. l. c. p. 91; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 187. sq.)

[2] *Quétif et Echard,* Script. Ord. Praedicat., tom. I. p. 837. sqq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 322. sqq.

[3] Qui prodiit inter caetera Lugd. 1519, fol. 6 voll.; item ibid. 1555 fol. 5 voll. in IV tomm.

[4] Prodiit opus illud cura *Justi Fantanini* (canonici ecclesiae S. Mariae Majoris Romae, † 1736) Romae 1726 sub titulo: „Gratiani Decretorum Libri Quinque, secundum Gregorianos Decretalium Libros Titulosque distincti per Joan. a Turrecremata, Ord. Praedicatt., S. R. E. Episcopum Cardinalem Sabinum.“

[5] Eorum plurimos memorat *Schulte,* Die canonistischen Handschriften der Bibliotheken in Prag. Pragae 1868, p. 21. sq.; *Idem,* Die Rechtshandschriften der

Inventa arte typographica mox etiam Decretum Gratiani typis imprimi coepit. Et quidem prima Decreti editio, praeter nonnullas ejus editiones sine anno (s. a.)[1], atque etiam sine anno et loco et nomine typographi (s. a. l. et n. t.)[2], omnibus his determinationibus instructa, prodiit a. 1471 Argentorati apud Henricum Eggesteyn, fol., quam brevi tempore plurimae aliae secutae sunt, uti ibid. a. 1472 sq., Mogunt. 1472 apud Petr. Schoiffer in fol., Venet. 1474 apud Nicol. Jenson, Rom. 1474 apud Simon. Nicol. de Luca, fol., Basil. 1476 apud Johann. de Venigen, Rom. 1476 apud Georg. Laur. de Herbipoli, Basil. 1481 apud Michaelem Wenssler, et alibi[3].

Inter quas editiones, quae usque ad initium saec. XVI. prodierunt, in specie notanda est illa, quae a. 1505 prodiit Parisiis apud Ulricum Gering et Bertholdum Rembolt cura *Joannis Chappuis,* licentiati juris in Universitate Parisiensi. Quae editio, quum priores editiones glossatae omnes nudum apparatum glossarum, a Bartholomaeo Brixiensi adornatum, absque ullis additamentis referunt, jam plura additamenta dicto apparatui partim adjecta, partim inserta, exhibet, et quidem:

1. *Casus (historias)* Bartholomaei Brixiensis, atque *divisiones* Guidonis de Baysio[4]; quae additamenta glossae praemittuntur.

2. Plura additamenta, ipsi glossae, partim cum inscriptione: *Additio,* partim absque illa inserta, et quidem nominatim

a) e legistae, qui dicebatur *Quittus, Quittonus,* etiam *Quittonicinus,* et communiter per abbreviationem voce: *Cinus (Cynus)* designari solet[5], *Lectura in Digestum vetus*[6];

b) e Rosario Decreti *Guidonis de Baysio.* Ex quo proveniunt omnia illa, quae ab initio vocem: *Additio* praefixam habent et in fine

---

Stiftsbibliotheken, in citt. relatt. sess. tom. LVII. p. 575. n. 47., p. 577. n. 52., p. 606. n. 85.; *Idem,* Iter gallicum, in citt. relatt. sess. tom. LIX. p. 366. n. II., p. 367. n. VII. et VIII., p. 398. n. LVI; p. 401. n. LXIX.; p. 420. n. XCI., p. 421. n. XCIV. et XCVI., p. 427. n. CXX., CXXIII., p. 128. n. CXXVIII., p. 429. n. CXXIX., p. 443. n. CLXXV. et CLXXVI., p. 471. n. CCXXXV. Item *Aemilius Friedberg,* in citt prolegg. col. XCV. sqq.

[1] Uti est a) Gratiani Decretum cum apparatu. Venet. per Andr. de Torresanis de Asula. S. a. 4°. Porro b) Gratiani Decretum cum apparatu, emendatum per Ghijsbertum de Stoutenburch, in utroque jure doctissimum, opera et liberalitate Ade de Rotwyl Venetiis impressum. S. a. 4°. (*Hain,* Repertorium bibliographicum, ed. Stuttgart. et Paris. 1826—1828, vol. I. part. 2. p. 496. n. 7881. sq.)

[2] *Panzer,* Conspectus monumentorum typographicorum saec. XV. Norimb. 1797, p. 228. n. 40.

[3] *Panzer* l. c. p. 228. sq.; *Hain* l. c. p. 496. sqq.

[4] *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in cit. scriptt. memorabill. tom. XXI part. 2. p. 83. sq.

[5] Is fuit patria Pistoriensis (Pistoja in Tuscia) et professor juris civilis in Universitatibus Senensi, Pisana et Florentina († 1336). Cfr. *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. VI. p. 72. sqq.

[6] *Savigny* l. c. p. 91. sqq. De *Digesto Veteri* cfr. infra append. cap. 1. art. 3. § 15. Hujusmodi additamentum occurrit v. g. in gl. ad c. 6. D. XIX. v. *plures,* eique praemittitur vox: *Additio,* et subjungitur sigla: *Cy. (nus).*

vel sigla: *Arch. (idiaconus),* vel sigla auctorum, Guidone anteriorum, ab eo autem adhibitorum, nominatim: *H., Hu., Hug., sec. H.* (secundum Huguccionem), *P. (etrus), sec. P.,* vel etiam nulla sigla signata sunt [1]. Porro etiam illa, quae vocem: *Additio* ab initio praefixam non habent, attamen in fine sigla: *Archid.* signata sunt [2].

Quae additamenta glossae Decreti ordinariae ex hac editione in omnes sequentes editiones Decreti glossatas recepta sunt [3].

§ 37. Menda Decreti ejusque glossae detecta.

Ex quo Decretum Gratiani ope artis typographicae magis divulgatum et tali ratione studium ejus frequentius factum erat, paulatim cognitum est, idem Decretum praeter suam praestantiam etiam naevos et defectus habere.

Quo pertinet,

1. quod Gratianus Papae *Leonis IX.* (1048—1054) constitutionem: *Relatum est,* d. d. 20. April. 1052 [4], ad quam ipse provocat [5], referre in Decretum omisit [6]. Qui quidem defectus utique minoris momenti et, si illam magnam molem locorum a Gratiano in Decretum congestorum consideremus, facile excusandus est.

Porro autem huc pertinet,

2. quod Gratianus in dictis suis interdum asserit, quae probari non possunt [7].

---

[1] Cfr. v. g. *additionem* gl. ad c. 1. D. VI. v. *ad vesperam,* quae additio signata est sigl. *Hu.; additionem* gl. ad c. 5. D. XI. v. *consuetudine,* quae additio signata est sigl. *Hug.; additionem* gl. ad cit. can. v. *quae orientem versus,* in qua additione expresse ad Rosarium Guidonis de Baysio provocatur his verbis: „Quae habentur in Archidiac. hoc loco.“

[2] Cfr. additamentum gl. ad c. 14. C. II. qu. 7. v. *nolunt imitari,* quod non habet in fronte vocem: *Additio,* in fine autem sigl. *Arch.* habet. In reliquum de hoc cfr. *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. script. memorabill. tom. XXI. part. 2. p. 90. sq.

[3] Cfr. *Schulte* l. c. p. 90.

[4] *Jaffé,* Regesta Pontiff. Romm., ed. Berol. 1851, p. 375. n. 3246.

[5] In § *Sed non videtur* dicti sui ad c. 7. C. XIII. qu. 2.

[6] Illam constitutionem pontificiam referunt jam antiquiores canonistae, nominatim *Anselmus Lucensis* (lib. V. cap. 51.), *Ivo Carnotensis* (Decret. lib. VII. cap. 15.) et *Gregorius,* Cardinalis presbyter (Polycarp. lib. IV. cap. 34.).

[7] Huc referenda est v. g. ejus assertio, in ipsius dicto init. D. XVIII. posita, secundum quam Concilia episcoporum non possunt condere ecclesiasticas constitutiones proprie tales, sed tantummodo fideles sibi subditos monere et corrigere. Quod jam glossa ad cit. dict. Grat. v. *constituendum* reprobavit ceu falsum, dicens: „Illud non est verum, quia episcopi bene possunt condere canones episcopales et archiepiscopus provinciales.“ Porro huc pertinet ejus opinio circa confessionem oralem in Sacramento Poenitentiae, relata in ipsius dicto post c. 89. D. I. de poenit. Alias hujusmodi erroneas assertiones Gratiani refert *Richter,* De emendatoribus Gratiani. Lips. 1835, p. 15. not. 3.

3. Quod in Decreto Gratiani praeter auctoritates genuinas etiam sat multae *dubiae*[1], imo et certo *spuriae,* et inter has nominatim sic dictae *decretales Pseudo-Isidorianae* adducuntur[2].

Item huc spectat,

4. quod ibi *Capitula Martini Bracarensis* (cfr. supra § 11.) haud raro sub inscriptione: *Martinus Papa* vel: *Ex Concilio Martini Papae* adducuntur[3]; quod, quum inde a saec. VI. titulus: *Papa* soli Summo Pontifici tribui consuevisset[4], facile potuit ansam dare opinionis, ac si in illis locis Summi Pontificis *Martini I.* (649—655), vel *Martini II.* (*Marini I.,* 882—884), vel *Martini III.* (*Marini II.,* 943—946)[5] constitutiones adducerentur.

5. Insuper ibi frequenter personarum, locorum et rerum nomina falsa aut corrupta deprehensa sunt[6].

---

[1] Multarum auctoritatum, uti v. g. illarum, quae in c. 8. D. XI., in c. 16. D. XVIII. et in c. 3. D. XX. adducuntur, fons hucusque inventus non est. Alias hujusmodi auctoritates adducit *Friedberg* in citt. prolegg. col. XLI.; e quibus tamen auctoritas, in c. 4. D. XIX. posita, tollenda est, quum illa, uti jam *Richter* ad cit. can. not. 24. monuit, et ipse etiam *Friedberg* ad eund. can. not. 75. agnovit, proveniat ex epistola Papae *Stephani V.* (al. VI., 885—891) ad episcopos orientales data, quam edidit *Mansi* ad calcem generalis Concilii *Constantinopolitani* IV. a. 869, Collect. Concill. tom. XVI. col. 435. sqq.

[2] De his vide *Walter-Gerlach* l. c. § 95. sqq. Typis editae illae decretales primum sunt in *Jacobi Merlini* Collectione Concill., Colon. 1530, tom. I. fol. 1. sqq.; recentissime, cura *Pauli Hinschii,* Lips. 1863, sub tit.: „Decretales Pseudo-Isidorianae.“ Quod ad earum indolem internam spectat, cfr. hujusmodi decretalem, in c. 2. pr. §§ 1. 2. D. XXII. (*Anacletus* Papa 79—91) relatam, cum genuina decretali Papae *Gelasii I.* ab a. 495 vel 496 (*Friedberg,* ad c. 3. D. XXI. not. 96.), in c. 3. D. XXI. posita. Porro aliam hujusmodi decretalem, in c. 10. C. XXX. qu. 5. (*Euaristus* Papa 100—109) collocatam, cum *S. Gregor.* M. (590—604) Moral. in Job, lib. XIX. capp. 12. 13., Opp. ed. Maurin. Paris. 1705, tom. I. col. 613. sqq. Item aliam talem decretalem, in c. 11. ead. (*Eleutherius* Papa 177—190) positam, cum Breviar. Alaric. (seu Legis Romanae Visigothorum, a. 506.) lib. II. tit. 18. c. 1. (l. 1. Cod. Theod. de judd. II. 18) ejusque *interpretatione* (in: Lex Romana Visigothorum, ed. Gustav. Haenel, Berolin. 1847—1849, pag. 54. et 56.).

[3] Ita v. g. in c. 7. D. XXIV.; c. 1. D. XXVII.; c. 12. D. XXVIII.

[4] *Benedict. XIV.* De synod. dioec. (ed. Rom. 1755), lib. I. cap. 3. n. 4.

[5] Cfr. de his Summis Pontificibus eorumque nominibus *Hergenröther*, Handbuch der allgemeinen Kirchengeschichte, ed. III. Friburg. in Brisg. 1884—1886, tom. II. p. 1062. sq. et p. 1126. col. 2.

[6] De quibus defectibus Decreti vide *Ant. Augustini,* supra (p. 44.) memorati, opus: De emendatione Gratiani Dialogg., lib. I. dialog. 1. (in *Andr. Gallandii*, De vetustis canonum collectionibus et collectoribus dissertationum sylloge. Venet. 1778, p. 438.), qui ea de re ita loquitur: „Saepe erratum esse video in nominibus hominum, urbium provinciarum, Conciliorum aliarumque rerum. Saepe falsae sunt inscriptiones, et quae Conciliorum sunt, Pontificum Maximorum esse dicuntur, et quae sunt unius episcopi inferioris, Romano Pontifici aut Concilio generali vel provinciali tribuuntur. Ex hoc genere sunt illa, quae ex Concilio Martini Papae aut Hadriani Papae sumta esse feruntur, quae vel Martino Bracarensi et graecis Conciliis, vel Engelramno (i. e. Angilramno, episcopo Metensi) episcopo vel Hadriano ad Engelramnum inscribi debuerunt. Multa Gregorii, Ambrosii, Augustini vel Hieronymi verba esse dicuntur, quae aut nusquam exstant, aut aliena sunt. Illa quoque ipsa, quae inscriptiones

Quorum naevorum et defectuum, uti jam *Richter*[1] observavit, alios Gratianus pro humana fragilitate vel ipse commisit, vel e collectionibus juris ecclesiastici, quibus usus est, bona fide assumpsit, alios librariorum et typothetarum ignorantia vel oscitantia decursu temporis in Decretum invexit.

Atque, uti Decreti textus, ita etiam ejus *glossa* praefatis naevis et defectibus laborare dignoscebatur. Etenim partim ejus *auctores,* utut de caetero viri eruditi ac pii erant, interdum vel falsa asseruerunt, vel, quae in se vera erant, haud sat claris et praecisis verbis expresserunt[2]; partim librarii et typotheae sua ignorantia aut negligentia errores et menda in eam induxerunt.

§ 38. Prima conamina Decretum emendandi.

Dolebant viri eruditi, Gratiani opus, in se tam egregium, tot aspersum esse maculis. Hinc iis diluendis mox plures eorum manus admoverunt. Et hoc quidem, ut supra (p. 58. not. 7.) innuimus, ex parte jam ipsi glossatores Decreti praestiterunt.

Post glossatores ad hoc negotium incubuerunt nominatim:

1. certe ex parte, *S. Antoninus,* O. S. D, *Florentinus* archiepiscopus († 1459)[3], qui in suo opere: Summa theologica seu juris pontificii et caesarei Summa[4] nonnulla ad hanc rem spectantia observavit[5].

2. *Joannes Chappuis,* in Parisiensi Universitate juris licentiatus, qui altero dimidio saec. XV. et primo dimidio saec. XVI. floruit[6]. Qui quum id muneris suscepisset, ut Decreti editionem a bibliopolis Parisiensibus *Ulrico Gering* et *Bertholdo Rembolt* paratam, antequam publici juris fieret, — prodiit ipsa a. 1502 — ab operarum mendis purgaret, nonnullas lectiones, quae sibi suspectae erant, mutavit; verumtamen saepe cum successu infausto[7].

---

habent veras, non recte referuntur; saepe enim contrarias sententias referri scimus, saepe valde praecisas. Jam vero, quae ex graecis fontibus manant, ex variis interpretibus afferuntur, quasi sint aliorum scriptorum, ac saepe aliud graece, quam latine significant."

[1] De emendatoribus Gratiani, p. 6. sqq. et p. 13.

[2] Cfr. *Papae Gregorii XIII.* breve: *Quum pro munere pastorali,* d. d. 1. Jul. 1580; item cit. admonitionem (Corr. Romm.) ad lectorem, sub inscriptione: „Ea, de quibus lectorem principio visum est admonere, haec sunt", in fin.: „De notationibus in glossa."

[3] Lexicon eccl. Friburg, ed. II. Friburg. 1882 sqq., tom. II. col. 983. sqq.

[4] Part. IV. tit. 11. cap. 8. § 1.—3. (ed. Nurenberg. 1486 sq.)

[5] Cfr. *Richter* l. c. p. 14.

[6] *Adelung,* Fortsetzung und Ergänzungen zu *Christ. Gottl. Jöchers* Allgemein. Gelehrten-Lexikon, Lips. 1784 sqq., tom. II. col. 253.

[7] *Panzer* (Annales typographici. Norimb. 1793 sqq.) quidem hanc editionem Decreti non adducit. Verum ex *Chevillier* (L'origine de l'imprimerie de Paris, à Paris 1694, p. 117) eam adducit *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corpus juris canonici. Maroburg. 1825, p. 27. Cfr. *Richter* l. c. p. 17. sq.

3. *Joannes Quintinus*, patria Augustodunensis in Gallia, Ordinis Hospitalariorum S. Joannis presbyter, professor juris (antecessor) in Universitate Parisiensi († 1561)[1], qui in suo opere: *Speculum Sacerdotii*[2] nonnulla, quae in Decreto Gratiani emendatione indigerent, notavit[3].

4. *Antonius Demochares (de Mouchy)*, Theologiae in Parisiensi Universitate professor († 1574)[4], qui ad Decretum emendandum et explanandum inter caetera id praestitit, quod in locis, a Gratiano simpliciter *Augustini*, *Ambrosii* et reliquorum nomine adductis, operum titulos ac librorum et capitum numeros apposuit; porro magnam copiam variarum lectionum, tum ex antiquis Gratiani codicibus mss., tum ex auctoribus canonum collectarum, atque duplicem indicem, videlicet canonum et rerum, addidit; insuper etiam *paratitla* adnexuit, i. e. breves adnotationes in margine positas, quibus singularum sectionum textus Decreti vel ejus glossae succinctus conspectus seu summa exhibetur[5]. Idem porro etiam Decreti textum in nonnullis locis correxit[6]. Haec omnia exhibet ejus editio Decreti, Parisiis 1547 publici juris facta. Haec editio denuo prodiit Lugduni 1555; cui editioni insuper addita est Gratiani vita, recensio auctorum, in Decreto allegatorum, atque synopsis Decreti. Quae editio deinceps iterum repetita est Parisiis 1561[7].

5. *Carolus Molinaeus (du Moulin)*, patria Parisiensis, jurisconsultus et advocatus, natus a. 1500, † 1568[8]. Qui quidem non solum, ut jam supra (§ 26.) notavimus, auctoritates Decreti, exceptis *Paleis, numeris* signavit, verum etiam Decreti textum emendare atque ejus glossam explicare sategit. Hoc exhibuit in sua editione Decreti cum glossa, quae prodiit Lugd. 1554 et iterum ibid. 1559 in 4⁰, apud Hugonem a Porta. Et in explicanda quidem glossa Decreti lauda-

---

[1] *Doujat*, Praenotionum canon. lib. V. cap. 8. ed. cit. p. 454.

[2] Speculum Sacerdotii, sive Apostoli, describentis Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum mores σημείωσις, ex XXV Gratiani Distinctionibus excerpta, Decretorum Parte prima, de clericorum moribus et singulari vita. Paris. 1559.

[3] *Richter*, De emendatoribus Gratiani, p. 28. sq.

[4] *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. III. part. 1. p. 555. sq.

[5] Quae paratitla ex hac in omnes sequentes editiones Decreti assumpta sunt. Cfr. *Schulte*, Die Glosse zum Decret Gratians l. c. p. 93.; *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 71.

[6] Id colligitur ex ejus epistola, ad Papam Gregorium XIII. data, apud *Theiner*, Disquisitiones criticae, ed. Rom. 1836, Append. I. p. 23.

[7] *Richter* l. c. p. 19. sqq.; *Schulte*, Die Glosse zum Decret Gratians l. c. p. 93.; *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 71.

[8] Qui quum haeresi Calvinianae nomen dedisset et odium suum in Ecclesiam catholicam et Sedem Apostolicam dictis et scriptis manifestavisset, a. 1553 solum vertere coactus, Tubingam profectus est, ubi munus professoris juris suscepit. Anno autem 1557 in patriam rediit, ubi a. 1568, postquam in manus parochi sui adstantibus duobus testibus haeresin Calvinianam ejuraverat et fidem catholicam professus fuerat, obiit. Cfr. *Doujat* l. c. lib. V. cap. 8. ed. cit. p. 455. sq.

bilem, in Decreti textu emendando autem omnino pravam et perversam operam collocavit, quippe qui in suis adnotationibus, textui Decreti appositis, quae vulgo *Apostillae* dicuntur, tum in Sedem Apostolicam, tum in SS. Patres irreverenter et injuriose invectus sit, dum petulanter decretales Pseudo-Isidorianas „a monachis vel papis confictas" esse asseruit et *S. Augustinum* aliosque SS. Patres haud raro falsi incusare ausus est [1]. Quapropter ejus editiones Decreti, quum jam prius a *Thoma Manrico (Manrique)* O. S. D., edito Romae 1572 libro, sub titulo: „Censura in glossas et additiones jur. can. omnibus exemplaribus hactenus excusis correspondens", notatae fuissent [2], denique mandato Papae *Clementis VIII.* (1592—1605) in Indicem librorum prohibitorum relatae sunt et earum usus interdictus, donec apostillae fuerint deletae aut emendatae [3].

6. *Didacus Cavarruvias,* juris canonici in Universitate Salmanticensi professor († 1577) [4], qui pariter Decreto emendando operam, et quidem, uti ex iis, quae praestitit [5], patet, omnino aptam impendere coepit. A quo tamen labore deinde, quum *Antonium Augustinum* eidem negotio vacare audivisset, desistendum censuit [6].

7. *Antonius Contius (le Conte),* in Bituricensi Academia in Gallia juris canonici professor († 1586) [7], qui in sua editione Decreti, Antverpiae a. 1570 apud Christophorum Plantinum publici juris facta [8], textui ejus uberes notas adjecit, ubi singulis auctoritatibus *fontem,* nec non *tempus,* e quo provenissent, assignare sategit; qua occasione simul in multis auctoritatibus, praesertim illis, quae Summis Pontificibus priorum Ecclesiae saeculorum inscriptae erant, et nominatim in sic dictis decretalibus Pseudo-Isidorianis, indolem spuriam animadvertit et notavit. Insuper plura, quae jam *Demochares* emendaverat, assumpsit, et in pluribus etiam *Molinaeum,* suppresso tamen ejus nomine, correxit [9]. Porro eum omnibus auctoritatibus, quae tunc in Decreto continebantur, etiam Paleis, *numeros* praefixisse, jam supra (§ 26.) meminimus.

8. *Antonius Augustinus,* jam saepius laudatus, qui de emendatione Decreti Gratiani praeclare meruit egregia dissertatione, sub titulo: „De emendatione Gratiani dialogorum libri duo", quam anno 1582 absolvit [10].

---

[1] *Richter,* De emendatoribus Gratiani, p. 26.

[2] *Quetif* et *Echard,* Scriptores Ord. Praedicat. tom. II. p. 231.

[3] *Richter* l. c. p. 24. sqq.

[4] *Doujat,* Praenotionum canon. lib. V. cap. 8. ed. cit. p. 459.

[5] In suo opere: Variae Resolutiones, lib. IV. cap. 11., Opp. ed. Francof. 1608, tom. II. p. 290.

[6] *Richter* l. c. p. 35. sq.

[7] *Doujat* l. c. lib. V. cap. 8. ed. cit. p. 459. sq.

[8] Circa editiones ejus Parisienses a. 1556 et 1570 cfr. supra pag. 44. not. 2.

[9] *Richter* l. c. p. 29. sqq.

[10] *Doujat* l. c. lib. V. cap. 8. ed. cit. p. 460. sq.; cfr. supra p. 59. not. 6.

§ 39. Emendatio Decreti a Summis Pontificibus suscepta. Correctores Romani. Generatim.

Verum nec illorum virorum eruditorum laboribus desiderata Decreti emendatio perfecta est. Hinc ipsi Summi Pontifices ejus rei curam susceperunt. Et primus quidem ad eam rem animum advertit Papa *Pius IV.* (1559—1565), et quidem, ut videtur, eo tempore, quo ei in Concilio Tridentino a. 1563 sessione XXV. Missalis, Breviarii et Catechismi correctio et editio demandata est. Electi autem sunt ab eo, quibus emendandi Decreti Gratianei cura esset, *Marcus Antonius Columna, Hugo Buoncampagnus, Alexander Sfortia, Guilielmus Sirletus* et *Franciscus Alciatus*, S. R. E. Cardinales, et praeter hos plures alii viri eruditi. Cujus collegii virorum eruditorum dirigendi munus Cardinalibus *Sirleto* et *Alciato* demandatum fuisse videtur [1]. Mortuo Papa *Pio IV.* ipsius successor *Pius V.* (1566—1572) hanc curam assumpsit. Qui praefato collegio, e parte *Pii IV.* instituto, adscivit *Guidonem Ferrerium* et *Antonium Carafam,* S. R. E. Cardinales, et aliquot viros eruditos privatos, inter quos eminebant *Petrus Ciaconius,* Hispanus, et *Latinus Latinius,* Viterbiensis. A manibus seu secretis huic collegio fuit *Michael Thomasius.* Mortuo Papa *Pio V.* opus illud continuavit Papa *Gregorius XIII.* (1572—1585), prius Cardinalis *Hugo Buoncampagnus* dictus, et qua talis olim a Papa *Pio IV.* ipse in hoc collegium cooptatus; sub quo tandem negotium illud ad finem perductum est. Qui quidem eodem, quo Ecclesiae regimen suscepit, anno plures Cardinales et alios viros eruditos illi collegio adjunxit et summam rei *Philippo Buoncampagno,* suo e fratre nepoti, Cardinali presbytero S. Sixti recens creato, commisit.

Qui viri eruditi, a praefatis Summis Pontificibus Romae ad emendationem Decreti perficiendam deputati, simul sumti vocantur Decreti Gratianei *Correctores Romani* [2].

§ 40. Finis Correctoribus Romanis in Decreti emendatione praefixus.

Finis autem, Correctoribus Romanis in negotio emendandi Decreti praefixus, non in eo positus erat, ut illi Decretum in ea forma, qua primitus e manibus Gratiani prodierat, restituerent, sed ut ea, quae in ipso ejusve glossa erant falsa, aut corrupta, sive ipsa a Gratiano, sive ab aliis provenissent, corrigerent, et quae obscura ac intellectu difficilia erant, illa explanarent, utque tali ratione tum pro

---

[1] *Richter,* De emendatoribus Gratiani, p. 38.

[2] Eorum omnium nomina refert *Justus Fontaninus* in praefatione editi ab ipso operis *Joannis a Turrecremata* supra (p. 56. not. 4.) memorati; ex illo: *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 196.; *Richter* in prolegg. Decreti Gratianei, ab eo in parte I. Corporis jur. can., Lips. 1839 editi, p. VIII.; item *Friedberg* in citt. prolegg. col. LXXVI. sq. not. 41.

juris ecclesiastici studio, tum pro ecclesiastica praxi forensi opportunum ac tutum subsidium litterarium procurarent [1].

Quem quidem finem omnino probabit, quicunque perpenderit, effatorum, a Gratiano in Decreto adductorum, vim et valorem non a Gratiano, sed ab eorum auctoribus provenire, et hinc rei summam et usum Decreti forensem hoc respectu nequaquam ab eo pendere, qua forma illa effata a Gratiano adducta sint, sed qua a suis auctoribus originetenus prolata fuerint [2].

§ 41. Normae, quas Correctores Romani in Decreti emendatione secuti sunt.

Normae, quas Correctores Romani in emendatione Decreti sibi sequendas statuerunt, sunt, uti refert antiquum documentum, inscriptum: „Leges constitutae et observatae in Correctione Decreti D. Gratiani“ [3], tales.

---

[1] Id elucet tum e monitione eorundem Correctorum ad lectorem, quae a fronte Decreti habetur sub titulo: „Ea, de quibus lectorem principio visum est admonere, haec sunt“, ubi ipsi hac de re ajunt, ut sequitur: „Ne hujusce utilissimi et gravissimi codicis (sc. Decreti Gratiani) vacillaret auctoritas, placuit primum Pio IV. ac subinde Pio V. et Gregorio XIII., . . . ut illi corrigendo summa opera daretur, menda librariorum tollerentur, si qua etiam in re Gratianus ut homo minus vidisset, modeste notaretur, ipsaque omnino capita suis auctoribus quam diligentissime restituerentur.“ — „Qua diligentia illud factum est, ut, quum jam magnam partem suum unicuique tributum sit, ac propterea intelligi plerumque possit, quae synodorum generalium, quae Summorum Pontificum, quae provincialium conciliorum, quae Patrum decreta ac sententiae, atque inter haec, quae sanctae Romanae Sedi probata sint, quae minime, vix quisquam errare, atque incerta pro certis sequi, certa vero pro incertis suspecta habere posthac queat.“ — Item id elucet e Papae *Gregorii XIII.* litteris brevibus: „*Emendationem Decretorum,* d. d. 2. Junii 1582, pariter a fronte Decreti positis, ubi idem Papa ait, in negotio emendandi Decretum, „magnam habitam rationem fuisse operis ipsius dignitatis et publicae, eorum praesertim, qui in hoc studio versantur, utilitatis.“ Id quod etiam agnoscit *Aemilius Friedberg* in citt. prolegg. col. LXXVIII., dicens: „Vides, non id in animo habuisse correctores Romanos, ut restitueretur decretum, quale a Gratiano compositum esset, sed quale a Gratiano componi debuisset. Nolebant enim codicum auctoritate nixi critica ratione adhibita decretum refingere, sed fontes ipsos excerptorum Gratianeorum adierunt eorumque genuinum contextum restituerunt, adnotationibus adjectis, si quas ad interpraetanda verba necessarias esse arbitrabantur; neque usquam Gratiani verba a fontibus discrepantia servaverunt, nisi ubi Glossatores eis quasi fundamento adnotationis exegeticae usi erant.“

[2] *Maassen,* Beiträge zur Geschichte der juristischen Literatur des Mittelalters, in citt. relatt. sess. tom. XXIV. p. 47.; *Schulte*, Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 331.; *Friedberg* in citt. prolegg. col. LXXXIX., qui hoc respectu verbotenus ait, ut sequitur: „Non sunt vituperandi (Correctores Romani), quod genuina Scriptorum verba singulis canonibus restituenda putabant, siquidem fontium loci a Gratiano recepti ad jus constituendum idem valere, quod antea, nullo modo desierant, et quae mutata sunt ab illo, ad ipsum jus mutandum nequaquam pertinebant.“

[3] Apud *Theiner*, Disquisitiones criticae. Rom. 1836, Append. I. p. 4. sqq.; etiam apud *Friedberg* in citt. prolegg. col. LXXVII. sq.

I. Censuerunt Illustrissimi Cardinales, ut, ubicunque Gratianus propriam sententiam, non SS. Patrum testimonia proponit, lector certior reddatur, non solum illius nomine in margine hac nota descripto: „Grat.“, sed typorum diversitate, quibus verba Gratiani ab auctoritatibus SS. Patrum distinguantur.

II. Quoties Gratianus in contextu sub falso numero librorum sive capitum citat loca ex SS. Patribus, censuerunt Illustrissimi Cardinales, correctionem faciendam esse in contextu. Quodsi loca proponit omisso numero librorum sive capitum, id, quod a Gratiano praetermissum est, supplendum esse in margine.

III. Censuerunt Illustrissimi Cardinales, quoniam manifesto satis constat, Gratianum non omnia loca, quae proponit, desumpsisse ex auctoribus sacris, sed ex aliis decretorum scriptoribus, qui ipso vetustiores fuerunt, ut concordantiae omnes aliorum decretistarum, apud quos canones a Gratiano propositi habentur, in margine indicentur. Id quod perquam utile futurum esse judicarunt horum studiorum amatoribus.

IV. Censuerunt Illustrissimi Cardinales, initia canonum sive „Palearum“, sed neque ordinem a Gratiano in illis describendis propositum, nulla ratione esse immutandum, propter commentarios et allegationes Doctorum; sed tantum correctiones in margine esse annotandas.

V. Quod attinet ad eas voces, quae alioquin corrigendae et immutandae essent, nisi glossa aliquid notasset, diversae fuerunt diversis temporibus Illustrissimorum Patrum sententiae. Tandem die 16. Januarii 1570 post longam disputationem definitum fuit, quod voces omnes glossarum, in quibus videlicet a glossatore aliquid annotatum est, eae in contextu retineantur, in margine vero notentur haec verba: (vera lectio), post quae verior illa lectio describatur; idque non alia de causa, nisi ob commentarios et allegationes Doctorum.

VI. Censuerunt Illustrissimi Cardinales, notationes fieri debere in loca obscuriora Gratiani, praesertim in ea, quae in sensum a veritate et fide catholica alienum fuerunt interpretata. Quodsi notationes longiores sint, quam quae in margine describi possint, eas seorsim esse faciendas et signo aliquo lectorem ad illas remittendum, hoc modo: (vide notationes).

VII. Ubi Gratianus truncata loca, et non integra ex sacris Doctoribus proponit, si aliquid praetermisit, quod necessarium videatur, seu quod ad illustrationem illius loci faciat, censuerunt, supplendum esse ex auctoribus sacris.

VIII. Paleas nequaquam esse tollendas, sed tantum diversis typis „ab auctoritatibus sanctorum Patrum“ et a dictis Gratiani esse excudendas.

IX. Errores Gratiani a glossa et Doctoribus animadversos, nisi aliquid supplendum necessario sit, non esse amplius notandos.

X. Inscriptiones sub nomine Martini PP., quamvis fere omnes inveniantur apud Martinum, Bracarensem episcopum, in collectione sive capitulis synodorum graecarum, censuerunt immutandas non esse.

Ubi vero occurret, si eae apud Martinum Bracarensem reperiantur, in margine ita notetur: Invenitur apud Martinum Bracarensem episcopum in capitulis synodorum graecarum cap. . . .; monendum vero lectorem in notationibus, loca illa alibi inventa non fuisse, nisi in Martino Bracarensi episcopo.

XI. Singulas notationes propriis numeris et signis distinguendas, eisdemque conficiendis praefici DD. Marianum, Parisetum, Latinum ac Thomasium.

XII. Quoties Gratianus ex auctoribus sacris sensum potius expressit, quam verba ipsa, si adhibita diligenti investigatione et cura in perquirendo loco proprio alius non occurrat, annotetur in margine, Gratianum sensum, non verba expressisse.

XIII. Elaboratum semper fuit, ut loca, quae ab auctoribus sacris producuntur ex Bibliis, reducerentur, quantum fieri potest, ad editionem „vulgatam" et ab Ecclesia receptam. Visum fuit tamen omnibus ex sententia Illustrissimi Alciati, ut id aliter fiat in his auctoribus, quos certo constat secutos fuisse aliam editionem, et non vulgatam, ut in Ambrosio et aliis antiquis Patribus.

XIV. De Anselmo vero Luccensi, decretorum scriptore vetusto, cujus exemplar extat diligentissime manu scriptum apud Doctorem Hieronymum Parisetum absque nomine Anselmi, sed sub hac inscriptione: *Authentica canonum,* quoniam apud omnes constat, auctorem fuisse Anselmum Luccensem, visum fuit in privata congregatione, citationes ex Anselmo propter auctoritatem illius exemplaris hoc modo esse describendas: „Anselmus in authenticis canonum."

§ 42. Modus procedendi a Correctoribus Romanis in emendatione Decreti observatus.

Finem sibi praefixum et normas sibi statutas prae oculis habentes, Correctores Romani in hoc negotio ante omnia id observabant, ut, quae in Decreto jam a glossatoribus correcta esse videbant, intacta sinerent, et tandummodo reliqua emendare satagerent. Cujus rei gratia exemplar Decreti impressum, quod tunc in communi usu erat, cum duodecim antiquis codicibus Decreti mss., e bibliotheca Vaticana sibi subministratis, et nonnullis aliis aliunde obtentis, porro cum canonum collectionibus, quibus Gratianus in Decreto adornando usus fuisse videbatur, atque cum auctoritatum in Decreto adductarum fontibus, uti operibus SS. Patrum et aliorum Scriptorum ecclesiasticorum, canonibus Conciliorum e. s. p., tum e Vaticana, tum ex aliis plurimis bibliothecis sibi suppeditatis[1], contulerunt et *lectiones varias (variantes),*

[1] Nonnulla, non omnia, hujusmodi opera litteraria, aliunde sibi Romam transmissa, memorant ipsi Correctores in indice ab ipsis confecto, sub titulo: „Index Librorum, qui variis ex locis sunt habiti"; qui index nunc communiter a fronte Decreti collocari solet. Cfr. *Richter,* De emendatoribus Gratiani, p. 42. sq.

ea occasione inventas, notaverunt. Quas lectiones primum in privatis conventibus, sub praesidio Cardinalis *Alciati* vel, hoc impedito, sub praesidio Cardinalis *Caraffae* habitis, examinabant et, quae reliquis praeferenda esset, decidebant; deinde autem in conventibus generalibus omnes in unum conjuncti eas iterum discutiebant et finali sententia vel approbaverunt vel vero rejecerunt [1].

Porro in *correctione* textus Decreti ita procedebant, ut, ubi id absque difficultate fieri posse videbatur, lectionem, quam putabant falsam, simpliciter expungerent et ejus loco eam, quam putabant veram, ponerent. Quando autem hoc absque difficultate fieri non posse videbatur, tunc, lectione antiqua in textu retenta, eam, quam veram habebant, in peculiari notatione apponebant, quam quidem, si *brevis* erat, in margine textus, sin *longior*, sub textu illius dicti Gratianei aut canonis, praemissis voce: *Not.*, vel signo: §, vel utroque simul, collocabant, simulque lectorem ad has notationes adjectis ad illas voces in textu congruis numeris vel literis attentum reddebant [2]. Qua ratione Correctores Romani in specie

1. canonum *initia*, etsi ea emendatione indigere viderent, siverunt intacta et lectionem veram in peculiari notatione apposuerunt; quia videlicet illi canones his initiis jam dudum citari consueverant, et hinc facta eorundem initiorum mutatione confusio circa citationem horum canonum induceretur [3].

2. Idem dicti Correctores observaverunt circa illas voces textus, ad quas erat adornata *glossa;* ne scilicet ea voce e textu expuncta

---

[1] *Theiner*, Disquisitiones criticae, Append. I. p. 6.; *Richter*, De emendatoribus Gratiani, p. 39.; *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 199.

[2] Quem locum illae notationes Correctorum Romanorum non solum in editione Decreti ab his curata et Romae a. 1582 publici juris facta, verum etiam in omnibus posterioribus editionibus Decreti *glossatis* obtinent. In editionibus Decreti *non glossatis* autem notationes eorundem Correctorum *breviores* simul cum aliorum virorum eruditorum adnotationibus in peculiaribus notis in infima parte paginarum vel columnarum collocatae sunt. *Longiores* illae notationes eorum in his editionibus item sub textu illius dicti Gratianei aut canonis, ad quod aut quem pertinent, positae, et in editionibus recentioribus insuper de regula vocibus: *Corr. Romm.*, vel signo: §, vel utroque simul signatae, exhibentur. Excipiuntur hoc respectu editiones Decreti *Richteriana* Lips. 1839 et *Friedbergiana* ibid. 1879, in quibus praefatae notationes Correctorum *longiores* pro omnibus dictis Gratiani et canonibus, quae et qui in illa pagina occurrunt, simul in inferiori parte illius paginae positae et vocibus: *Notationes Correctorum* inscriptae sunt. Quod attinet in specie notationes *breviores*, cfr. v. g. notat. Corr. Romm. ad dicti Grat. init. D. I. vocem: *in Evangelio;* ad c. 1. ead. vocem: *per agrum*; item ad c. 4. ead. vocem: *tantummodo.* Quod autem ad notationes eorundem Correctorum *longiores* pertinet, cfr. v. g. notat. ad inscriptionem Decreti, et quidem ad voces: *ac primum* (in editione ex recensione *Petri* et *Francisci* fratrum *Pithoeorum,* Paris. 1687, Lips. 1695, ibid. 1705 et alibi, ad vocem: *de jure*); porro ad c. 4. D. I. voces: *Mos est;* ad c. 7. ead. vocem: *successio;* ad init. qu. 5. C. II.; ad § 3. dict. Grat. post c. 48. C. VII. qu. 1. voces: *in prima causa.*

[3] Vide hoc respectu notat. Corr. Romm. ad c. 23. D. LXIII. vocem: *in synodo*; porro ad inscript. c. 32. ead. vocem: *constitutio.*

fundamentum glossae subtraheretur [1]. Quem agendi modum ipsi emendationi textus Decreti non obfuisse, manifestum est, quum genuina lectio in peculiari notatione monstrata sit.

Eundem illum modum, sc. animadversiones suas in peculiaribus notationibus proponendi, Correctores Romani

3. tunc observaverunt, quando Decreti textum non *corrigere,* sed solummodo *explanare,* i. e. *assertionem* in eo propositam declarare, vel plane refutare satagebant; quippe quum hoc negotium de regula nonnisi longiori animadversione absolvi posset. Quo quidem in negotio illi maxime usi sunt operibus *S. Thomae Aquinatis, S. Bonaventurae, Joannis a Turrecremata* ac praesertim canonibus et decretis Concilii *Tridentini* [2].

4. Porro Correctores Romani, quum aliquem canonem e pluribus locis ejusdem operis, a se invicem magis minusve remotis, compositum viderent, id in textu ejusdem canonis congrua adnotatione, v. g. *et infra; et supra; et paucis interjectis; et post nonnulla; et post multa* et simili, indicare sategerunt [3].

Simili modo Correctores Romani in emendatione et explanatione *glossae ordinariae* Decreti procedebant. Cui glossae hujus rei gratia item ad marginem sub asteriscis vel aliis signis opportunas notationes apposuerunt, praesertim e praefatis aliisque operibus litterariis haustas [4].

§ 43. Valor eorum, quae Correctores Romani in emendatione Decreti praestiterunt.

Magna cum cura et solertia Correctores Romanos in negotio emendationis Decreti processisse, e notationibus eorum accurate pensatis elucet [5].

Eosdem porro in multis canonibus genuinas inscriptiones restituisse negari nequit [6]. Eos non omnia, quae hac in re desiderabantur, praestitisse, non mirabitur, qui perpenderit, eo tempore nondum SS. Patrum aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum, Conciliorum et

[1] Cfr. notat. Corr. Romm. ad c. 1. D. XLI. vocem: *intemperans,* ad quam vocem glossa hoc notavit: „Sc. nolens conformare se aliis". Porro ad c. 6. D. XCVI. voces: *Quum ad verum;* ad c. 5. D. XI. vocem: *ex dictis;* ad c. 30. C. XXIII. qu. 4. vocem: *Guilisarius.*

[2] Cfr. v. g. notat. Corr. Rom. ad dict. Grat. post c. 89. D. I. de poenit., voces: *lectoris judicio.*

[3] Cfr. v. g. c. 2. D. XII. ante § *Non novum.* 1.; c. 5. D. XVII. ante § *Si vero.* 2.; c. 8. C. XXII. qu. 2.

[4] Cfr. notat. marg. ad gl. dict. Grat. init. D. I. v. *Humanum genus;* ad gl. ibid. v. *naturali;* ad gl. ibid. v. *vult;* ad gl. c. 9. D. XIX. v. *concilio;* ad gl. c. 2. D. XXIII. v. *non per conditionem.* Porro cfr. jam saepe memoratam admonitionem eorundem Correctorum Romanorum ad lectorem sub inscriptione: „Ea, de quibus lectorem" etc. § *De notationibus in glossa.*

[5] Cfr. v. g. notat. ad c. 1. D. XXXI. v. *uxoria;* ad c. 3. C. VIII. qu. 1. v. *Episcoporum;* ad c. 8. ead. v. *evangelizandi;* ad c. 11. ead. v. *Episcopos,* et v. *opprimatur;* ad c. 18. ead. v. *Domini;* ad c. 21. ead. v. *acolythi;* ad c. un. qu. 4. ead. v. *Symmachi.*

[6] Cfr. v. g. notat. ad c. 5. D. XI. v. *Ex dictis;* ad c. 6. C. XXI. qu. 5. v. *Constantiae;* ad c. 20. C. XXIV. qu. 1., incip.: *Antea et hoc* etc.; ad c. 16. D. XXVII. qu. 2., incip.; *Caput hoc* etc. Porro cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 73.

decretalium Summorum Pontificum accuratas editiones adfuisse, nec etiam omnes juris canonici collectiones, quibus Gratianus usus fuerat, tunc temporis notas fuisse[1]; immo hodieque post tam multorum virorum eruditorum curas plurima in Decreto contineri effata, quorum auctores demonstrari nequeunt[2].

Legalem tamen valorem, talem videlicet, ut ab eis recedere non liceat, illa, quae dicti Correctores in emendatione Decreti praestiterunt, nequaquam habent, sed tantummodo *doctrinalem,* qui videlicet omnino pendet a rationibus, quibus ipsa superstructa sunt[3].

ARTICULUS TERTIUS.

Inde ab editione Decreti Gratiani Romana authentica a. 1582 usque ad praesens.

§ 44. Editio Decreti Gratiani Romana authentica a. 1582.

Quum negotium emendationis Decreti pluribus vicibus, partim Summi Pontificis, partim aliquorum e Correctoribus obitu aliisque obstaculis interruptum fuisset[4], ipsum tandem anno 1580 fere absolu-

[1] Cfr. *Friedberg* in citt. prolegg. col. LXXXIX. sq.

[2] *Richter*, De emendatoribus Gratiani, p. 21. sq. *Friedberg* in citt. prolegg. col. XLI. Durius quam justius de iis, quae dicti Correctores praestiterunt, judicare dignoscitur *Schulte*, Die Glosse zum Decret Gratians, in cit. scriptt. memorabb., tom. XXI. part. 2. p. 94.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 73. sq. ;

[3] *Doujat,* Praenott. canonn., lib. IV. cap. 13. n. 3. (ed. Venet. 1717, p. 399.) Papa *Benedictus XIV.,* De serv. Dei beatif. et beat. canoniz., lib. IV. part. 2. cap. 17. n. 10. (Opp. ed. Venet. 1767, tom. IV. p. 365.), qui commemoratis litteris brevibus Papae *Gregorii XIII.: Quum pro munere pastorali,* d. d. 1. Julii 1580, et: *Emendationem Decretorum,* d. d. 2. Junii 1582, editioni Decreti Romanae a. 1582 a Correctoribus Romanis paratae praefixis, provocans etiam ad *Emmanuelem Schelstrate,* bibliothecae Vaticanae praefectum († 1692), atque ad Cardinalem *Robertum Bellarminum* († 1621), nec non ad *Petri* et *Francisci* fratrum *Pithoeorum* conamina, Decretum emendandi, saec. XVII. suscepta, hoc respectu ait, ut sequitur: „Praefixae denique sunt Decreto Gratiani emendato Apostolicae litterae Gregorii XIII., quibus testatur, libros juris canonici [i. e. eos, qui constituunt Corpus juris canonici], et ideo etiam Decretum Gratiani, fuisse suo mandato recognitos, correctos et expurgatos, nec quidquam iis addendum, detrahendum de iis, in iisve commutandum aut invertendum, sancitis poenis adversus eos, qui non parerent. Attamen cum his minime refragantibus docti viri multa adhuc post Gregorianam correctionem emendanda censeant in opere Gratiani, uti videri potest apud *Doujatium* in Praenott. canonn. lib. IV. cap. 13. n. 3., apud *Schelstraten* in Antiquitate illustrata, dissert. 2. cap. 13. n. 238., apud Cardinalem *Bellarminum* de Scriptor. Ecclesiast., ne quid dicam de fratribus *Pithoeis,* qui universum opus diligentissime ad ipsos usque apices expendentes singula loca recognoverunt, et primigeniis auctoribus restituere conati sunt: poterit unusquisque facili negotio deprehendere, praecedentes operis correctiones, pontificia auctoritate vallatas, jure suo non obsistere ulteriori Decreti correctioni, ejusdem Sanctae Sedis judicio debito cum obsequio submittendae." Quam sententiam Papa *Benedictus XIV.* nequaquam proferre potuisset, si emendationibus Correctorum Romanorum legalem auctoritatem inesse putavisset.

[4] *Richter* l. c. p. 43. sqq.

tum est. Tum Papa *Gregorius XIII.* litteris brevibus: *Quum pro munere pastorali*, d. d. 1. Julii 1580, textum Decreti, a Correctoribus adornatum [1], approbavit, ita ut eum ullatenus mutare nemini liceret, et insuper Populo Romano, in cujus officina typographica idem Decretum imprimendum erat, privilegium concessit, vi cujus intra proximum decennium nulli alii typographo absque permissione ejusdem Populi Romani vel ejus deputatorum illam impressionem suscipere liceret.

Impressum autem Decretum una cum glossa est Romae in aedibus Populi Romani a. 1582 uno tomo in fol. sub titulo: „Decretum Gratiani emendatum et notationibus illustratum una cum glossis, Gregorii XIII. P. M. jussu editum.“ Quae editio item aliis litteris brevibus pontificiis: *Emendationem Decretorum,* d. d. 2. Junii 1582 (a fronte Decreti collocari solitis), denuo approbata est ita, ut textum Decreti in ea exhibitum mutare, aliquid ei addere vel demere nemini liceat. Haec editio Decreti simpliciter dicitur editio Decreti authentica Romana. Quae editio, nunc valde rara, habetur in c. r. bibliotheca palatina Vindobonensi.

Quod *litterarum characteres* hujus editionis attinet, aliis auctoritates a Gratiano in Decretum relatae, aliis Paleae, aliis dicta Gratiani et aliis notationes Correctorum Romanorum exhibentur [2].

In praefato brevi Papae *Gregorii XIII.: Quum pro munere pastorali,* videtur quidem innui, ac si idem Summus Pontifex praeter supra dictam, *glossatam,* adhuc aliam, *absque glossa,* Decreti editionem a dictis Correctoribus curari voluerit. Verum hujusmodi editionis Decreti, solum ejus textum exhibentis, quae eadem, ac prior illa, auctoritate Papae Gregorii XIII. Romae prodierit, nullum exstat vestigium. Unde videtur Papa Gregorius XIII. ab hujusmodi consilio, si quod primitus ceperat, decursu temporis ob aliquam gravem causam recessisse [3].

---

[1] Una cum textu reliquarum partium Corporis juris canonici, pariter ab iis recenso.

[2] A fronte hujus editionis post titulum referuntur primo supra memoratum breve Papae *Gregorii XIII.: Quum pro munere pastorali;* tum duo conspectus Decreti, alter prosaico, alter metrico sermone adornatus; porro index alphabeticus omnium canonum Decreti et alius alphabeticus index rerum notabilium, quae tractantur in glossis et notationibus Decreti; consignatio errorum typi, a lectore corrigendorum; Correctorum monitio ad lectorem („Ea, de quibus lectorem principio visum est admonere“); index librorum, qui pro juvando emendationis negotio e variis locis extra Romam sunt obtenti, et tandem Papae *Gregorii XIII.* breve: *Emendationem Decretorum,* item supra citatum.

Appendicis instar huic editioni Decreti adjunguntur: Canones poenitentiales; sic dicti Canones Apostolorum, ex versione *Gregorii Haloandri* (Hofmann), jurisconsulti Germani, † 1531 (*Jöcher,* Allgem. Gelehrten-Lexikon, tom. II. col. 1336.); index materiarum Decreti, a *Martino,* O. S. D., Papae poenitentiario, serius archiepiscopo Gnesnensi nominato († 1278), exaratus et communiter *Tabula Martiniana* dictus, atque repertorium dictionum notabilium, quae in hac tabula continentur.

[3] *Richter,* De emendatoribus Gratiani, p. 48.

§ 45. Ulteriora Decretum emendandi conamina.

Quum etiam post Correctorum Romanorum curas haud pauca in Decreto Gratiani deprehenderentur, quae correctione indigebant, hinc alii viri eruditi illis corrigendis curam et operam impenderunt. Inter quos prae caeteris memorandi sunt

1. *Antonius Augustinus,* jam supra laudatus [1], qui, quum tempore evulgatae editionis Decreti Romanae, a. 1582, suam „De emendatione Gratiani“ dissertationem jam absolutam haberet, eidem dissertationi, dicta editione Romana accurate collata, congruas *additiones* apposuit, quibus aucta dissertatio illa prima vice typis prodiit Tarraconae a. 1587, et deinceps alibi saepius [2].

2. *Franciscus Florens (Florent),* juris canonici in Academia Aurelianensi professor († 1650) [3], qui ad hunc finem exaravit dissertationem, inscriptam: „De methodo atque auctoritate collectionis Gratiani.“ [4]

3. *Stephanus Baluzius*, eruditus Gallus († 1718), qui praefato operi Antonii Augustini, ab ipso Paris. 1672 edito, adjunxit „Notas ad Gratianum“; quae tamen decreto S. Congr. Indicis, d. d. 19. Junii 1674, in Indicem librorum prohibitorum relatae sunt [5].

4. *Carolus Sebastianus Berardus,* natione Italus, in Universitate Taurinensi juris canonici professor († c. a. 1766) [6]. Qui quidem omnino morem gerens prohibitioni, a Papa *Gregorio XIII.* supra adductis litteris brevibus: *Quum pro munere pastorali,* et: *Emendationem Decretorum* factae, a mutatione textus Decreti, in editione Romana ab a. 1582 propositi, sedulo abstinuit et pro ejusdem textus correctione peculiare opus exaravit sub titulo: *„Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti“* [7], quo praesertim inscriptiones singularum auctoritatum, utrum genuinae an spuriae sint, expendit et inscriptiones genuinas restituere satagit. Quod opus quamquam non sit ab omnibus naevis liberum [8], tamen pro indagandis fontibus auctoritatum Decreti perquam utile dici debet.

5. *Paulus Josephus Riegger,* juris canonici in Universitate Vindobonensi professor († 1775) [9], qui ad praefatum finem exaravit dis-

---

[1] Cfr. supra p. 62.

[2] Inter caetera apud *Gallandium,* De vetustis canonum collectionibus etc., Venet. 1778, p. 437. sqq. De aliis ejus editionibus cfr. *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 194. not. 31.

[3] *Doujat,* Praenott. canonn. lib. V. cap. 9. (ed. Venet. 1717, p. 473. sq.).

[4] Apud *Gallandium* l. c. p. 423. sqq.

[5] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. III. part. 1. p. 623.

[6] *Lucii Ferraris* Prompta Bibl. canon., ed. *J. P. Migne,* Paris. 1861 sqq., tom. VIII. col. 583.

[7] Quod prodiit Augustae Taurin. 1752—1757, et iterum Venet. 1783. 3 partt., 4 tomm. in 4⁰.

[8] Cfr. *Ponsius,* Jus canonicum etc., tom. I. p. 226. sq.

[9] *Schulte* l. c. part. 1. p. 208. sqq.

sertationem, inscriptam: „De Decreto Gratiani" [1], quam deinceps ejus filius *Josephus Antonius*, juris publici (Staatsrecht) in Pragensi Universitate professor († 1795) [2], emendavit et inscriptam: „De Gratiani collectione canonum illiusque methodo et mendis" a. 1774 typis evulgavit [3].

6. *Jodocus le Plat,* juris canonici in Universitate Lovaniensi professor († 1810) [4], qui pro Decreti emendatione, omnino tamen praefato operi *Caroli Sebast. Berardi* innixus, dissertationem exaravit sub titulo: „De spuriis in Gratiano Canonibus", quae typis prodiit Lovani 1777.

7. *Joannes Fridericus Schulte,* juris canonici et germanici olim in Pragensi, nunc in Bonnensi Universitate professor [5], qui hoc respectu cum amplissima eruditione multos libros et plurimos tractatus singulares elucubravit [6]. In quorum tamen operum, inde ab a. 1870 editorum, usu propter enormem, quam hic auctor inde ab illo tempore subiit, ipsorum juris canonici principiorum vicissitudinem [7], praesertim illi, qui studium juris canonici demum auspicantur, summam cautionem adhibere debent.

§ 46. Novae criticae editiones Decreti.

Dum canonistae supra nominati de emendatione Decreti Gratiani eruditis disquisitionibus meruerunt, alii hoc respectu novas criticas editiones ejusdem Decreti parando merere sategerunt.

Huc pertinent

1. *Petrus* et *Franciscus,* gemini fratres *Pithoei (Pithou),* natione Galli [8], qui textum Decreti eruditis, utique autem saepe etiam gallicanismo conspersis, notationibus instruxerunt [9]. Quem textum Decreti, ab iis adornatum, *Claudius le Peletier,* negotiorum publicorum regni Galliae administer († 1711) [10], typis imprimi et evulgari curavit [11].

[1] Quae prodiit Vindobonae 1760.

[2] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. III. p. 1. 261. sqq.

[3] In suis „Oblectamentis Historiae et Juris ecclesiastici". Ulmae 1776.

[4] Biographie universelle. Bruxelles 1854 ss., tom. XXIV. p. 234; Nouvelle biographie générale. Paris 1859 ss., tom. XXX. col. 849 ss.

[5] Ejus vitam, ab ipso perscriptam, vide in ipsius citato opere: Die Geschichte der Quellen, tom. III. part. 1. p. 435. sqq.

[6] Quos ipse enumeravit l. c. p. 436. sqq.

[7] Cfr. Literarischer Handweiser (ed. *Franciscus Hülskamp*) annuar. XVIII. (a. 1879) n. 275. col. 647. sqq.; *Laurin,* Schulte's Kirchenrechtswissensch. einst und jetzt, ed. II. Vindob. 1875; *Idem,* Der Cölibat der Geistlichen. Vindob. 1880, p. 187. sqq.

[8] Nati die 1. Novembris 1539; quorum alter, *Petrus,* obiit a. 1596, alter, *Franciscus,* a. 1621. (*Schulte* l. c. part. 1. p. 564. sqq.; *Jöcher* l. c. tom. III. col. 1600. sqq.)

[9] Cfr. de his notationibus *Benedict. XIV.*, De servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione, lib. IV. part. 2. cap. 17. n. 10. (Opp. ed. Venet. 1767, tom. IV. p. 365.); *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 205.

[10] *Schulte* l. c. tom. I. p. 74.

[11] Tomo I. Corporis jur. can., cum notis Petri et Francisci fratrum Pithoeorum, ipsius cura editi Paris. 1687, 2 tomm. in fol. Quae editio deinde repetita est Lips. 1695, 1705 et Taurin. 1746.

2. *Justus Henning Böhmer*, juris canonici in Universitate Halensi professor († 1749)[1]. Qui item Decretum Gratiani, utique cum magna propensione in Protestantismum, eruditis notis instruxit, textum ejus autem, a textu editionis authenticae Romanae a. 1582 frequenter et irrationabiliter recedendo[2], pro sua opinione adornavit atque ita adornatum typis evulgavit[3].

3. *Aemilius Ludovicus Richter*, juris canonici primum in Maroburgensi, deinde in Berolinensi Universitate professor († 1864)[4]. Is Decretum Gratiani, textu editionis authenticae Romanae accurate servato, egregiis notis historicis et criticis auxit et typis edidit[5]. Quae editio inter omnes editiones Decreti absque glossa, quae post authenticam Romanam a. 1582 in publicum prodierunt, pro praxi fori ecclesiastici maxime commendari meretur[6].

4. *Aemilius Friedberg*, juris canonici in Universitate Lipsiensi professor[7]. Qui Decretum Gratiani, pluribus et antiquissimis ejus codicibus mss. et multis aliis operibus litterariis huc spectantibus accuratissime collatis, praeclaris notis criticis et historicis ornavit insuperque ei egregia prolegomena praemissit ipsumque publici juris fecit[8]. Qui tamen in hac editione imprimis textum Decreti *originarium*, uti hic e manibus Gratiani prodierat, exhibere sategit[9], et utique etiam lectiones variantes editionis authenticae Romanae a. 1582, attamen solummodo in notis, infra textum positis, adduxit.

Quae editio proinde usibus historico-criticis summopere, usibus practicis ecclesiastici fori autem minus servire dicenda est[10].

CAPUT SEPTIMUM.

Character et valor Decreti.

§ 47. Character Decreti originarius.

Decretum Gratiani, uti e manibus Gratiani prodierat, non erat nisi opus eruditi privati, et hinc opus privatum. Et proinde singula

---

1 *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. III. part. 2. et 3., p. 92. sqq.

2 Cfr. *Aemil. Ludov. Richter*, in praefat. ad Decretum Gratiani, ab eo in parte I. Corporis jur. can., Lips. 1839 evulgati, editum, p. V.

3 Tom. I. Corporis jur. can., ab ipso Halae 1747 2 tomm. in 4⁰ editi.

4 *Schulte* l. c. p. 210. sqq.

5 Part. I. Corporis juris can., ab eo Lips. 1839 2 partt. in 4⁰ evulgati.

6 Pro ejus usu notandum est, in ipsius indice canonum alphabetico *Paleas* aliis quam reliquas auctoritates litterarum characteribus impressas esse, atque conjunctionem: *quum*, apud antiquos etiam voce: *cum* reddi solitam, constanter voce: *quum* exhiberi.

7 *Schulte* l. c. p. 238. sq.

8 Part. I. Corporis jur. can., ab ipso editi Lips. 1879 sqq. 2 partt. in 4⁰.

9 Uti ipse professus est in citt. prolegg. col. XCV.

10 Aliae editiones Decreti Gratiani inferius (part. III. cap. 3. art. 1.), ubi de editionibus totius Corporis jur. can. sermo est, adducuntur.

effata, in eo relata, respectu juristico non nisi tantum valebant, quantum ex se seu e suo auctore valoris juristici habebant, seu quantum valebant, antequam in Decretum Gratiani relata erant. Etenim Gratianus, qui in Ecclesia nulla potestate legislativa gaudebat, opus suum ulla auctoritate legali donare et effatis in illud congestis aliquid valoris legalis conferre vel ad id, quod forte jam e sua origine habebant, addere nullatenus poterat [1].

Proinde, si Decretum Gratiani habendum sit pro collectione juris ecclesiastici publica seu legali seu authentica seu pro codice, et quidem universali, cujus videlicet ea vis est, ut omnia effata, quae continet, a quocumque illa originetenus provenerint, valorem ecclesiasticae legis, et quidem universalis habeant: necesse omnino est, Decretum Gratiani hunc characterem *deinceps* a competente potestaste legislativa Ecclesiae, sive expresse, sive tacite obtinuerit, i. e. ad dignitatem codicis ecclesiastici universalis vel ab aliquo Summo Pontifice aut Concilio generali, vel per universalem Ecclesiae consuetudinem elevatum fuerit.

§ 48. Praetensus character Decreti deinceps obtentus.

Erant quidem, qui assererent, et partim adhuc sunt, qui asserant, Decretum Gratiani *deinceps* characterem codicis ecclesiastici universalis assecutum esse. Et secundum nonnullos eorum hoc factum est

1. per *expressam* ipsius Decreti pro codice ecclesiastico universali approbationem e parte Summi Pontificis *Eugenii III.* (1145—1153). Qui quidem canonistae circa hanc rem innituntur supra (p. 46.) memorato „Calendario archigymnasii Bononiensis“, in quo narratur, Decretum brevi, postquam absolutum fuisset, et quidem mox, postquam ejus plagium, a Cardinali Paucapalea, ut fertur, attentatum, coram Papa Eugenio III. detectum esset, ab hoc, cognita ipsius praestantia, pro codice ecclesiastico universali approbatum et publicatum esse.

Verum, quemadmodum dictum „Calendarium archigymnasii Bononiensis“ suppositum et spurium est [2], ita etiam illa assertio, huic superstructa, nullius momenti esse dignoscitur.

Aliud autem de expressa Decreti Gratianei pro codice ecclesiastico universali approbatione, sive a Papa *Eugenio III.* aliove Summo Pontifice, sive ab aliquo Concilio generali facta, nullum omnino vestigium exstat; uti plurimi, iique clarissimi viri eruditi unanimiter contestantur [3].

---

[1] Cfr. *Schulte*, Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 331.

[2] Cfr. supra p. 46.

[3] Ita *Florens*, De methodo atque auctoritate collectionis Gratiani, apud *Gallandium*, De vetustis canonum collectionibus etc. p. 424.; *Reiffenstuel*, Jus canon. univ. Prooem. § V. n. 72.; *Benedictus XIV.*, De servorum Dei beatif. et beatorum canonizat., lib. IV. part. 2. cap. 17. n. 10. (Opp. ed. Venet. 1767, tom. IV. p. 365.); *Sarti*, De claris archigymnasii Bononiensis professoribus, tom. I. part. 1. p. 262. § 9.; *Ponsius*, Jus canonicum etc., tom. I. p. 102.

Alii illum characterem codicis ecclesiastici universalis Decreto Gratiani deinceps accessisse asserunt

2. per *tacitam* ipsius e parte Summorum Pontificum et Conciliorum generalium approbationem, hoc respectu allegantes:

a) quod Summi Pontifices *Pius IV.*, *Pius V.* et *Gregorius XIII.* Decretum Gratiani emendandum et typis imprimendum mandaverunt.

Hoc utique revera factum est [1]. Attamen per hoc dicti Summi Pontifices tantummodo correctum et purum Decreti textum restitui et evulgari et tali ratione viris, studio juris canonici vacantibus vel in praxi ecclesiastici fori constitutis, de apto et tuto cognoscendi juris canonici subsidio litterario providere voluerunt, id quod nominatim Papa *Gregorius XIII.* jam memoratis litteris brevibus: *Emendationem Decretorum,* d. d. 2. Junii 1582, expresse enuntiavit; de caetero autem pristinum Decreti characterem intactum reliquerunt. Sane, si dicti Summi Pontifices ea re Decretum Gratiani ad dignitatem codicis ecclesiastici universalis evehere voluissent, id, utpote rem summi momenti, claris et perspicuis verbis expressuri fuissent [2].

b) Praeterea pro illa assertione allegant, quod Papa *Gregorius XIII.* litteris brevibus: *Quum pro munere pastorali,* d. d. 1. Julii 1580, Decretum Gratiani collectionibus decretalium Summorum Pontificum *Gregorii IX.*, *Bonifacii VIII.* et *Clementis V.*, certo *publicis* seu *authenticis*, junxit et simul cum illis *juri canonico*, i. e. juri ecclesiastico universali seu Ecclesiam universam obstringenti (cfr. supra § 2.), accensuit [3].

Etiam hoc quidem verum est. Attamen nec inde Decreto Gratiani character codicis ecclesiastici universalis rationabiliter vindicari potest. Etenim praefatis litteris brevibus eodem modo ac Decretum Gratiani, etiam collectiones viginti Extravagantium Joannis XXII. et

[1] Cfr. supra p. 63. sqq.

[2] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des katholischen Kirchenrechts, p. 329.

[3] Certe Papa *Gregorius XIII.* ibi singulas collectiones illas una cum Decreto Gratiani primum singillatim enumerat et deinde simul comprehendit et voce: „hoc juris canonici corpus“ designat, inter caetera dicens: „Quum autem ipsum Decretum absque glossis a praefatis a nobis deputatis jam totum emendatum et correctum ac nonnullis annotationibus illustratum existat, ipsiusque major pars . . . una cum dictis Decretalibus felicis recordationis Gregorii IX. praedecessoris nostri jam impressis recognita et approbata sit, reliquum vero ejusdem Decreti una cum annotationibus praedictis tam absque glossis, quam ipsum totum cum glossis, Sextumque et Clementinas simul et Extravagantes . . . recognoscenda omnia et approbanda in officina Populi Romani . . . imprimi et impressa divulgari jusserimus, ac ut ad majorem Christifidelium . . . commoditatem hoc *Juris Canonici Corpus* fideliter et incorrupte juxta exemplar hic Romae impressum a catholicis typographis . . . imprimi possit: Nos opportune providere volentes, ut hoc *Jus Canonicum* sic expurgatum ad omnes ubique Christifideles sartum tectum perveniat, ac ne cuiquam liceat eidem operi quicquam addere, vel immutare, aut invertere, . . . sed prout in hac nostra Urbe Roma nunc impressum fuit, semper et perpetuo integrum et incorruptum conservetur: Motu proprio“ etc.

Communium cum praedictis legalibus seu authenticis decretalium collectionibus Summorum Pontificum Gregorii IX., Bonifacii VIII. et Clementis V. junguntur et cum eis juri canonico accensentur; quae tamen collectiones Extravagantium hoc non obstante tantummodo privatae juris ecclesiastici collectiones sunt[1]. Poterat utique Summus Pontifex praefatis litteris brevibus Decretum Gratiani, utut collectionem juris ecclesiastici privatam, illis collectionibus publicis jungere et simul cum eis juri canonico accensere, quatenus, uti illae collectiones e toto, ita et ipsum, licet quidem non e toto, sed tamen e magna parte, *jus canonicum,* i. e. leges ecclesiasticas universales, videlicet constitutiones Summorum Pontificum et Conciliorum generalium, easque pro Ecclesia universa editas, continet[2].

c) Insuper pro illa assertione in medium adducunt, quod Summi Pontifices saepius auctoritates, in Decreto Gratiani comprehensas, citaverunt.

Verum quidem est, Summos Pontifices et Concilia generalia saepius auctoritates in Decreto relatas citavisse.

Attamen illi eas in multis casibus ita citavisse dignoscuntur, ut incertum sit, utrum eas ex Decreto ipso citaverint, an vero ex earum fontibus, uti actis et decretis Conciliorum, Regestis pontificiis etc., quos fontes illi facile prae manibus habere potuerunt[3].

Ex hujusmodi igitur citatione auctoritatum, quae in Decreto positae sunt, in favorem illius assertionis rationabiliter nihil inferri potest.

In nonnullis quidem casibus Summi Pontifices et Concilia generalia

---

[1] Cfr. infra part. II. sect. 6. cap. 2. art. 3.

[2] *Reiffenstuel,* Jus. canon. univ., Prooem. § V. n. 71.; *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 351.

[3] Id valet v. g. de synodi *Toletanae* IX. a. 655 cap. 5., relato in c. 74. C. XII. qu. 2., quod tanquam *„constitutionem canonicam“* Papa *Innocentius III.* (1198—1216) citat in decretali epistola, ad Eliensem in Anglia episcopum data (Comp. III. cap. 3. de his, quae conceduntur ab episcopo, III. 11., in: *Ant. Augustini* Antiquae collectiones decretall., ed. Ilerd. 1576, fol. 186. b), et post eum Papa *Gregorius IX.* cap. 9. X. de his quae fiunt a praelat. III. 10. — Item de synodi *Tolet.* IV. a. 633 cap. 37., relato in c. 30. C. XVI. qu. 7., quod voce: *„in sacris canonibus“* Papa *Clemens III.* (1187—1191) citat in decretali epistola, ad quendam episcopum directa (Comp. II. cap. 2. de jure patron. III. 24., apud *Ant. Augustinum* l. c. fol. 110. b), et deinde Papa *Gregorius IX.* cap. 25. X. de jure patron. III. 38. — Porro de auctoritatibus, synod. *Tolet.* IV. a. 633 cap. 33., epistola Papae *Gelasii I.,* atque synod. *Hispal.* II. a. 619 cap. 2., relatis in c. 4.—6. C. XVI. qu. 3., ad quas voce: *„canones“* Papa *Urbanus III.* (1185—1187) respicit in decretali epistola, ad duos Priores Ord. S. Augustini in Anglia missa (Comp. I. cap. 5. de parochiis, III. 25., apud *Ant. Augustinum* l. c. fol. 47. b), et deinde Papa *Gregorius IX.* cap. 4. X. de paroch. III. 29. — Pariter de constitutione Papae *Gregorii VII.* (1073—1085), in synodo Romana a. 1078 edita, relata in c. 103. C. XI. qu. 3., quam dictione: *„est cautum in jure“* Papa *Innocentius III.* citat in constitutione pro universis Crucesignatis edita (Comp. III. cap. 7. de sent. excomm. V. 21.; apud *Ant. Augustinum* l. c. fol. 226. a), et post eum Papa *Gregorius IX.* cap. 34. X. de sent. excomm. V. 49. Cfr. *Reiffenstuel* l. c. n. 67. 72.; *Schmalzgrueber*, Jus eccl. univ., tom. I. Prooem. n. 265.

auctoritates, in Decreto relatas, certo ex ipso *Decreto,* utpote sub usitata circa Decretum formula: *in decretis*[1], citavisse dignoscuntur[2].

Sed neque ex hujusmodi citatione auctoritatum Decreti e parte Summorum Pontificum vel Conciliorum generalium facta Decreto *toti quanto* seu tanquam collectioni character codicis ecclesiastici universalis jure asseri potest; ex illa citatione tantummodo ipsis auctoritatibus, tali ratione e Decreto citatis, valor legis ecclesiasticae universalis accessisse dici potest[3].

3. Tandem alii Decretum Gratiani per universalem Ecclesiae consuetudinem characterem codicis ecclesiastici universalis assecutum esse asserunt, et pro hac assertione firmanda ad ejus universalem usum tum in scholis, tum in foro ecclesiastico provocant, simul monentes, eadem ratione etiam collectiones juris civilis romani Justinianei, videlicet Jnstitutiones, Pandectas, Codicem et Novellas[4], in Germania vim et efficaciam juris communis obtinuisse[5].

Attamen neque per universalem Ecclesiae consuetudinem Decretum Gratiani characterem codicis ecclesiastici universalis sortitum esse existimari potest, et quidem ideo, quia hujusmodi universalis consuetudo Ecclesiae circa Decretum Gratiani totum quantum, seu quatenus illud collectio est, non exsistit, nec unquam exstitit.

Legi quidem seu exponi Decretum Gratiani in Bononiensi et postea etiam in aliis Universitatibus Europae consuevit[6]. Attamen per hoc idem Decretum tantummodo a schola, et hinc solummodo qua liber scholasticus seu didacticus, nequaquam autem ab Ecclesia, eaque universa, et tanquam ecclesiasticus *codex* receptum esse dici potest.

Porro quidem ipsum Decretum etiam in ecclesiasticis curiis et tribunalibus, idque communiter, adhiberi consuevit, quum scholares, juris canonici studiosi, e Bononiensi aliisque Universitatibus in patriam reversi, et in curiis ac tribunalibus ecclesiasticis constituti, eodem Decreto, utpote jam e scholis sibi noto et in se perquam opportuno, in administrandis negotiis et decidendis causis ecclesiasticis libenter uterentur.

---

[1] Cfr. supra p. 9. et p. 28.

[2] Ita v. g. Papa *Alexander III.* (1159—1181) in decretali epistola, ad Norvicensem (Norwich) in Anglia episcopum directa (Comp. I. cap. 8. de despons. impub. IV. 2.; apud *Ant. Augustinum,* Antiquae collectiones decretall., ed. Ilerd. 1576, fol. 61. a), et post eum Papa *Gregorius IX.* (1227—1241) cap. 6. X. de despons. impub. IV. 2., auctoritatem, in c. 3. C. XXXIII. qu. 1. relatam, citant his verbis: „quum in *decretis* habeatur expressum“. Similiter Concilium generale *Viennense* (1311 et 1312), uti refertur *cap. un. de jurejur. in Clem.* II. 9. (cfr. infra part. II. sect. 5. cap. 1.), auctoritatem, in c. 33. D. LXIII. relatam, citat his verbis: „Secundum formam *in decretis,* quae incipit: *Tibi Domino.*“

[3] *Reiffenstuel,* Jus canon. univ., Prooem. n. 67. 72.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 68. sq.; tom. II. p. 65.

[4] Cfr. infra append. cap. 1. art. 3.

[5] *Pachmann,* Lehrbuch des Kirchenrechts, ed. III. Vindob. 1863—1866, tom. I. p. 145. sqq.

[6] Cfr. supra p. 46. sqq.

Attamen neque per hoc Decreto toti quanto seu qua collectioni character codicis ecclesiastici universalis accessisse jure dici potest, et quidem jam ideo, quod illi officiales et judices ecclesiastici, dum effata e Decreto hauriebant, ea ad ipsorum fontes seu auctores reducebant et ex his ac nequaquam ex eo, quod in Decreto collocata sunt, eorum valorem juristicum determinabant [1].

Receptio autem praedictarum collectionum juris civilis romani Justinianei in Germania pro collectionibus juris civilis legalibus seu publicis heic urgeri nequit. Nam dictae collectiones juris civilis romani in Germania non solum ab officialibus et judicibus in praxi forensi de facto adhibitae, sed etiam ab ipsis *Imperatoribus* romano-germanicis, qui se successores antiquorum Imperatorum romanorum, Constantini, Valentiniani, Justiniani et reliquorum, putabant, et nominatim a *Friderico I.* (1152—1190) et *Maximiliano I.* (1493—1519), expresse pro collectionibus juris civilis publicis seu legalibus agnitae et approbatae sunt [2]; cujusmodi agnitio et approbatio e parte alicujus Summi Pontificis aut Concilii generalis Decreto Gratiani toti quanto nunquam contigit.

Ex singulis *auctoritatibus* in Decreto relatis utique successu temporis sat multae valore legis ecclesiasticae universalis donatae sunt, et quidem partim a Summis Pontificibus et Conciliis generalibus, sive expresse, videlicet per eorum constitutiones, sive tacite, nimirum per illarum auctoritatum allegationem et applicationem [3], partim per universalem Ecclesiae *consuetudinem* [4].

---

[1] *Reiffenstuel*, Jus canon. univ., l. c. n. 67.; *Ponsius*, Jus canonicum etc., tom. I. p. 103. sqq.

[2] *Böcking*, Pandekten des röm. Privatrechts, ed. II. Bonnae 1853, tom. 1. p. 114. § 24. not. 76.; *Mackeldey*, Lehrbuch des röm. Rechts, ed. XIV. Vindob. 1862 sq., tom. I. p. 97. § 93.; *Siegel*, Deutsche Rechtsgeschichte. Berol. 1886, p. 88. sqq., p. 100. sqq.; cfr. infra append. cap. 3. art. 2. § 27.

[3] Id factum est v. g. de auctoritate, in c. 13. C. XXXV. qu. 2. relata, primum a Papa *Alexandro III.* per decretalem, in Comp. I. cap. 2. de consangu. et affin. IV. 14. (apud *Ant. Augustinum,* Antiquae collectiones decretall., ed. Ilerd. 1576, fol. 65. b) insertam, et postea a Papa *Gregorio IX.* cap. 1. X. eod. IV. 14. — Item de auctoritate, in c. 2. C. XXVIII. qu. 2. posita, primum a Papa *Innocentio III.* per decretalem epistolam, in Comp. III. c. 1. de divort. IV. 14. (apud *Ant. Augustinum* l. c. fol. 210. b) relatam, et deinde a Papa *Gregorio IX.* c. 7. X. eod. IV. 19. — Pariter de auctoritate, in c. 53. C. XII. qu. 2. collocata (c. 45. synod. *Agath.* in Gallia a. 506; apud *Harduin.* tom. II. col. 1003.), a Papa Pio IX. litteris brevibus: *De majori Ecclesiae*, d. d. 3. April. 1860, quibus concessa episcopis Austriae facultas est, intra certos limites bona ecclesiastica alienandi. — Praeterea de auctoritate, in c. 33. D. LXIII. collocata, a Concilio generali Viennensi a. 1311 et 1312 per constitutionem, in cap. un. de jurejur. in Clem. II. 9. relatam.

[4] Hac ratione valorem legis ecclesiasticae universalis ob sufficientam, qua innititur, rationem internam obtinuit v. g. fragmentum decretalis Pseudo-Isidorianae, in c. 3. C. III. qu. 1. relatum, quo enuntiatur, injuste spoliatum, a spoliatore suo in judicio conventum, non teneri huic respondere, donec ipsi illa, quibus spoliatus est, restituantur. Cfr. *Ponsius* l. c. tom. I. p. 105. sqq., p. 201. sq. Quae de-

Id quod etiam de pluribus *dictis Gratiani* factum est [1].

Decretum Gratiani autem totum quantum seu qua collectio charactere codicis ecclesiastici universalis munitum hucusque ab Ecclesia non est.

Hoc etiam viri eruditi, maxima in foro Ecclesiae auctoritate gaudentes, contestantur. Inter quos prae caeteris memorandus est *Anacletus Reiffenstuel*, O. S. Fr., juris canonici in Academia Frisingensi professor († 1703), jam saepe laudatus, qui insuper pro confirmatione hujus suae sententiae decisionem supremi tribunalis romani, dicti *Rota Romana* [2], allegat [3].

Item *Prosper Lambertini*, archiepiscopus Bononiensis, deinde Summus Pontifex nomine *Benedictus XIV.* (1740—1758), qui quidem huic rei testimonium perhibet primum in suo superius memorato opere: „*De Servorum Dei beatificatione et beatorum canonizatione*“ [4], ubi hoc respectu ait, Gratiani Decretum nequaquam fuisse a Papa Eugenio III. approbatum, ejusque correctionem etiam post Correctores Romanos esse a Sede Apostolica intra limites debitae huic reverentiae permissam, et solummodo mutationem aut inversionem textus ejus, a dictis Correctoribus concinnati, a Sede Apostolica prohiberi. Quod is

---

cretalis Pseudo-Isidoriana, e l. 3. Cod. Theod. de vi publica et privata. IX. 10. (cfr. infra append. cap. I. art. 2.) et *Breviar. Alaric.* lib. IX. tit. 7. cap. 2. (Lex Romana Visigoth., ed. *Gust. Haenel,* Berol. 1847—1849, p. 182.) composita, in quantum huc pertinet, refertur apud *Hinschium*, Decretales Pseudo-Isidorianae. Lips. 1863, p. 694.

[1] Cfr. *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, pp. 330. et 332.

[2] De qua vide *Bangen*, Die römische Curie. Monasterii 1854, p. 292. sqq. Decisio illa refertur in collectione decisionum dictae Rotae Romanae, ab hujus Decano *Francisco Pegna* († 1612) curata et Lugduni 1648 edita, sub n. 480.

[3] Verbotenus ea de re citatus *Reiffenstuel* (Jus can. univ. Prooem. n. 72.), respiciens ad eos, qui Decretum Gratiani pro collectione juris ecclesiastici publica seu authentica a Sede Apostolica approbatum fuisse asserunt, ait, ut sequitur: „Respondeo, optandum fore, ut pariter attulissent exemplar dictae approbationis, quatenus hac ratione constare posset, an illud approbatum fuisset quoad omnia et singula tanquam vim legis habentia, vel solum quoad aliqua. Interim, quia de tali approbatione, an, quo annno ac die et quomodo fuerit facta, certi nihil invenire licuit, et quidem neque in Bullario Romano, neque in aliis Libris de hac materia tractantibus, . . . nudae horum Doctorum assertioni in contrarium opponitur et pro majori datae nostrae responsionis comprobatione affertur Decisio Rotae, apud Pennam, Decis. 480., ubi inter alia sic habetur: Nec refert, illos Canones recenseri in Decreto a Gratiano compilato; quia, cum Gratianus non publica authoritate infinita quaeque illa Canonum ecclesiasticorum, et Legum etiam saecularium Capitula in suum Librum contulerit, nec legis condendae authoritatem habuerit, nec ab aliquo Romano Pontifice Liber ille (NB.) tanquam authenticus et legalis approbatus fuerit: inde fit, quod quilibet Canon, inibi relatus, ex eo tantum, quod ibi referatur, non habeat majorem authoritatem, quam in proprio loco consistens de sui natura esset habiturus. Nec Gregorius XIII. Gratiani Librum tanquam Legalem authentizavit, cum solum emendari jusserit, et emendationes sine additionibus aut detractionibus mandaverit observari. Hactenus citata Decisio Rotae.“

[4] Lib. IV. part. 2. cap. 17. n. 10. (Opp. ed. Venet. 1767, tom. IV. p. 365.)

dicere nequaquam potuisset, si ipsi Decreto characterem codicis ecclesiastici universalis inesse putavisset.

Porro idem, jam Summus Pontifex factus, hoc enuntiavit in suis litteris: *Redditae nobis,* d. d. 5. Decembr. 1774 [1], ad archiepiscopum S. Dominici in insula Hispaniola (St. Domingo) in India occidentali, utique non pontificia, sed privata solum viri eruditi auctoritate datis [2], § 9., ubi circa Gratiani Decretum hoc respectu ait: „Non hic agitur de Gratiani Decreto, quod, utpote privata auctoritate confectum, tantam vim habet, quantam textus, in eodem adducti, ex se ipsi habere noscuntur."

Item in suo opere, inscripto: *De synodo dioecesana,* quod, dum archiepiscopus Bononiensis erat, inchoavit et deinde, Summus Pontifex factus, utique autem privata tantum viri eruditi auctoritate, continuavit et absolvit [3] ac Romae 1748 typis edidit, atque deinde recensum et auctum et augustissimae Imperatrici *Mariae Theresiae* (1740 u. ad 1780) dedicatum et a. 1755 Romae denuo typis impressum evulgavit, in quo [4] ratione Decreti hoc respectu: „Gratiani Decretum", inquit, „quantumvis pluries Romanorum Pontificum cura emendatum fuisse non ignoretur, vim ac pondus legis [5] non habet, quin immo inter omnes receptum est, quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani Collectione insertum foret."

Cui sententiae Papae *Benedicti XIV.*, licet privata solummodo auctoritate prolatae, certe quilibet tuto acquiescere potest [6].

---

[1] Bullar. Rom., ed. Luxemburg. 1727 sqq., tom. XVI. p. 260. sqq.

[2] Id elucet e principio earundem litterarum (l. c. p. 260.), ubi Papa *Benedictus XIV.* dicto archiepiscopo declarat, se, licet alias summopere occupatus sit, tamen propositae ab eo quaestioni respondere velle, dicens: „Quod quidem praesentibus Nostris Litteris facimus, non tamen ex auctoritate Apostolicae Sedis, quam, meritis licet imparibus, obtinemus, sed meram sustinentes personam Doctoris privati, cujus vitae aetas fere omnis in Sacrorum Canonum studiis, quamvis non magno fortasse fructu, exacta est. Neque enim visa Nobis est ea quaestio Pontificiae Decisionis Oraculo indigere, quemadmodum ex inferius dicendis Fraternitas Tua probe poterit intelligere."

[3] Cfr. praefationem hujus operis. [4] Lib. VII. cap. 15. n. 6.

[5] I. e. collectionis juris publicae seu legalis.

[6] Ejusdem sententiae de Gratiani Decreto sunt e recentioribus: *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 162. sq. et 206. sq.; *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 329. sq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 68. sq.; *Idem,* Lehrbuch des kathol. und protest. Kirchenrechts, ed. IV. Giessae 1886, p. 23. sq.; *Walter-Gerlach,* Lehrbuch des Kirchenrechts, ed. XIV. Bonnae 1871, p. 299. not. 2.; *Vering,* Lehrbuch des kathol., oriental. und protest. Kirchenrechts, ed. II. Friburg. in Brisg. 1881, p. 76.; *Friedberg,* Lehrbuch des kathol. und evangel. Kirchenrechts, ed. II. Lips. 1884, p. 89.; *Scherer,* Handbuch des Kirchenrechts. Graecii 1885 sq., tom. I. p. 245.; *Richter-Dove-Kahl,* Lehrbuch des kathol. und evangel. Kirchenrechts, ed. VIII. Lips. 1886, p. 274. not. 1.; *Lämmer,* Institutionen des kathol. Kirchenrechts. Friburg. in Brisg. 1886, p. 31.; *Philipp Hergenröther,* Lehrbuch des kathol. Kirchenrechts. Friburg. in Brisg. 1888, p. 151. sq.

§ 49. Valor Decreti generatim.

Quum igitur Decretum Gratiani totum quantum seu qua collectio usque nunc idem, quod originetenus fuit, videlicet opus privatum sit, sequitur inde, ea, quae in ipso continentur, generatim nonnisi tantum valere, quantum e suo auctore valent et quantum valebant, antequam in ipsum Decretum inserta erant, uti hoc jam Papa *Benedictus XIV.* [1] expresse enuntiavit.

Attamen *nunc* hoc respectu prae oculis habendum est, quod, quemadmodum plura effata, in Decreto relata, quae originetenus tantummodo valorem legis ecclesiasticae particularis, vel omnino nullum legalem valorem habebant, cursu temporis valorem legis ecclesiasticae universalis obtinuerunt [2], ita etiam haud paucas auctoritates, in Decreto relatas, eo, quem originetenus habuerunt, valore legali esse penitus destitutas seu abrogatas [3].

Pari ratione etiam haud paucae assertiones Gratiani (dicta Gratiani) deinceps reprobatae sunt [4].

Quibus attentis, nunc ratione valoris eorum, quae in Decreto Gratiani comprehenduntur, dicendum est, illa *in se et per se,* quatenus nimirum cursu temporis nec majorem valorem assecuta, nec etiam eo, quem originetenus habuerant, valore destituta sunt, nonnisi eum valorem habere, quem e suo fonte seu a suo auctore habent et quem habebant, antequam in Decretum Gratiani relata erant.

§ 50. Valor eorum, quae in Decreto continentur, per singula.

Quod jam ad singula, quae in Decreto Gratiani continentur, pertinet,

A. *dicta Gratiani* nonnisi valorem dictorum viri eruditi privati seu doctrinalem valorem habent, qui nimirum omnino pendet ab argumentis seu rationibus, quibus ipsa innituntur [5].

---

[1] De synod. dioec. lib. VII. cap. 15. n. 6. (supra p. 80.).

[2] Cfr. supra p. 78. sq.

[3] Huc pertinet v. g. auctoritas, in c. 19. D. II. de cons. relata, quae fidelibus praecipit, ut saltem ter in anno ad sacram Communionem accedant; quae est abrogata per Concilii generalis Lateranensis IV. a. 1215 can. 21. (cap. 12. X. de poenit. et remiss. V. 38.). Item auctoritas, in c. 2. § 8. C. XXXV. qu. 5. adducta, quae matrimonii impedimentum, e consanguinitate et affinitate proveniens, usque ad gradum *septimum* incl. extendit: quae auctoritas est mutata per Concilii generalis Lateranensis IV. can. 50. (cap. 8. X. de consangu. et affin. IV. 14.), qui dictum impedimentum matrimonii ad gradum *quartum* restrinxit.

[4] Cfr. dict. Grat. post c. 89. D. I. de poenit., Concil. generalis Lateran. IV. can. 21. (cap. 12. X. de poenit. et remiss. V. 38.) atque Concil. Trident. sess. XIV. de poenitentia, cap. 5. et cann. 6.—8.; porro notat. Corr. Romm. ad cit. dict. Grat. v. *lectoris judicio.*

[5] *Reiffenstuel,* Jus canon. univ., Prooem. n. 79.—82.; *Schulte,* Die Lehre von den Quellen, p. 332.

B. Singulae *auctoritates,* a *Gratiano* in Decretum relatae, nonnisi illum valorem habent, qui eis ex ipsarum *fonte* competit, scilicet valorem ecclesiasticae legis universalis vel particularis, aut omnino nullum legalem valorem, prouti nempe a Summo Pontifice vel Concilio generali, sive pro Ecclesia universa sive tantummodo pro aliqua Ecclesiae parte, vel solummodo ab aliquo Concilio particulari vel aliquo episcopo singulari pro territorio ecclesiastico ei respective subdito emissae fuerunt [1], aut vero ab aliquo viro, nulla potestate legislativa in Ecclesia munito, provenerunt.

Hac ratione in specie

I. *canones Conciliorum* generalium valorem universalem vel particularem habent, pro eo ac pro Ecclesia universa vel tantummodo pro aliqua Ecclesia particulari editi fuerunt [2].

II. Idem omnino dicendum est de *constitutionibus* ac *decretalibus* Summorum Pontificum [3].

III. Decreta synodorum particularium vel episcoporum singularium, uti per se patet, pro ea tantummodo Ecclesiae parte, quae illi synodo vel singulari episcopo subdita erat et pro qua illa decreta condita fuerunt, vim legis habere dicenda sunt.

IV. Quae autem in Decreto Gratiani adducuntur effata virorum, qui nulla ecclesiastica potestate legislativa gaudebant, haec per se in foro Ecclesiae nullum valorem legalem habere existimanda sunt. Et hinc in specie

1. effata *spuria,* quae in Decreto Gratiani adducuntur, et praesertim decretales *Pseudo-Isidorianae,* per se nullum valorem legalem habent, licet illis haud raro insignis valor doctrinalis insit [4].

2. Idem dicendum est etiam de effatis illorum *Scriptorum ecclesiasticorum,* qui nulla jurisdictione ecclesiastica instructi erant; quorum effata, licet forte pro modo eruditionis et pietatis eorum [5] valorem doctrinalem habeant, in se et per se ullo legali valore in foro Ecclesiae non gaudent [6].

3. Immo vel ipsa *SS. Patrum* effata, in quantum ad ecclesiasticam disciplinam spectant [7], in se et per se, nisi eorum auctores tanquam episcopi vel Summi Pontifices ecclesiastica potestate legislativa instructi

---

[1] *Reiffenstuel,* Jus canon. univ., Prooem. n. 75.; *Ponsius,* Jus canonicum etc., tom. I. p. 118. sqq.; p. 158. sqq.; p. 179. sqq.

[2] *Ponsius* l. c. tom. I. p. 118. sqq.

[3] Dict. Grat. init. D. XIX. et c. 1. sqq. ead.; pr. Dict. Grat. init. D. XX. *Ponsius* l. c. p. 181. sqq.

[4] Cfr. v. g. decretalem Pseudo-Isidorianam, sub inscriptione Papae *Anacleti* (79—91?) in can. 2. D. XXII. relatam, et genuinam constitutionem Papae *Gelasii I.* a. 495 vel 496, in can 3. D. XXI. collocatam.

[5] Cfr. Sap. 1, 3—5.

[6] *Ponsius* l. c. tom. I. p. 192. sqq.

[7] Spectantia ad *res fidei et morum* intra certos limites constituunt fontem cognoscendae revelationis Christianae. Cfr. *Fessler,* Institt. Patrologiae, tom. I. p. 50. sqq.

essent, valore legali non gaudent [1]. Attamen eadem effata propter suorum auctorum insignem eruditionem atque pietatem, qua animati, ab omni sinistro affectu, mentem obscurante et amorem veritatis imminuente [2], immunes erant et tantummodo, quod verum et justum erat, quaerebant, insignem valorem doctrinalem habent, ita ut, ubi positiva lex ecclesiastica non adest, tuto normae instar acceptari et observari possint [3].

4. Item relata in Decreto Gratiani *fragmenta juris civilis*, sive romani, sive germanici, in se et per se, quod ad res et causas mere ecclesiasticas pertinet, nullum valorem legalem habere dicenda sunt [4].

Idem, quod de auctoritatibus, a *Gratiano* in Decretum relatis, dictum est, valet

C. etiam de *Paleis,* et quidem ideo, quia valor auctoritatum, in Decreto comprehensarum, non a Gratiano, sed ab earum primitivo *fonte* repetendus est [5].

Attamen, quum Papa *Gregorius IX.* (1227—1241) sua collectione decretalium, die 5. Septembris 1234 publicata, omnes priores constitutiones ecclesiasticas ad Ecclesiam universam spectantes seu ad jus ecclesiasticum generale vel commune pertinentes [6], quae nec in hac collectione, nec in Decreto Gratiani comprehensae erant, earum valore penitus privaverit seu eas abrogaverit [7], hinc valet illud tantummodo de *illis* constitutiones ecclesiasticas universales continentibus Paleis, quae certe tunc in Decreto Gratiani insertae erant, quum Papa *Gregorius IX.* dictam collectionem decretalium publicaret, nimirum die 5. Septembris 1234, nequaquam autem de illis Paleis, quae forte serius demum Decreto appositae sunt.

Praefato temporis momento autem in Decreto Gratiani certe omnes illae Paleae adfuisse existimandae sunt, quas *Joannes Teutonicus* suo supra (§ 34.) memorato apparatu glossarum Decreti complexus fuerat; illarum enim auctoritatum Decreti, quae in hoc opere comprehensae erant, propter magnam hujus operis aestimationem nemo deinceps ullam e Decreto Gratiani eliminare ausus fuerit [8].

D. *Summariis* canonum item, uti dictis Gratiani, nonnisi doctrinalis valor tribuendus est, quum illa omnino a viris eruditis privatis, nimirum Gratiano, Paucapalea et aliis, proveniant [9].

---

[1] Cfr. Dict. Grat. init. D. XX. [2] Sap. 1, 3—5.

[3] Cfr. rescriptum Papae *Leonis IV.*, a. 850 ad episcopos Britanniae datum, quod refertur in c. 1. D. XX.

[4] Dict. Grat. init. D. X. et c. 1. ead.; *Reiffenstuel,* Jus. canon. univ., Prooem. n. 78.; *Schmalzgrueber*, Jus eccl. univ., Prooem. n. 265.; *Ponsius*, Jus canonicum etc., tom. I. p. 172. sqq.; p. 197. sqq.

[5] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen, p. 331. [6] Cfr. supra § 2.

[7] Cfr. infra part. II. sect. 2. cap. 4. § 81.

[8] *Schulte,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptt. memorabill. tom. XXI. part. 2. p. 74. et p. 75. not. 1. 2.; *Idem,* Die Paleae im Decret Gratians, in citt. relatt. sess. tom. LXXVIII. p. 305. et 309.

[9] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 53.; *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV., p. 424.

E. Etiam *emendationibus* et *notationibus* Correctorum Romanorum nonnisi doctrinalem valorem inesse, jam supra (§ 43.) meminimus. Unde etiam nunc, uti ipse Papa *Benedictus XIV.* asseruit [1], nemo prohibetur, quominus *probet,* locum aliquem, licet a Correctoribus Romanis emendatus fuerit, tamen esse spurium aut corruptum. Solummodo mutatio aut inversio textus, a Correctoribus Romanis adornati, a Sede Apostolica prohibetur [2].

F. Item *glossae Decreti,* uti ex ejus origine sequitur, auctoritas legalis nulla competit. Attamen magna auctoritas doctrinalis ei inest, et quidem tum ob insignem, qua ejus auctores pollebant, eruditionem theologicam et juristicam, tum etiam ideo, quia illi origini ipsius Decreti fere coaevi erant, et hinc gravissimi testes sunt super sensu, quo singuli loci Decreti jam ab initio accepti fuerint [3].

Propter quam insignem auctoritatem glossae doctrinalem multae ejus sententiae deinceps non solum a canonistis adoptatae, sed etiam a Sede Apostolica acceptatae et valore legis ecclesiasticae universalis donatae sunt [4].

CAPUT OCTAVUM.

Usus Decreti, subsidia litteraria ad illud interpretandum et utilitas studii ipsius.

§ 51. Usus Decreti.

Ex hucusque dictis, quod usum Decreti attinet, sequitur

1. locos Decreti, quum *juristice,* i. e. respectu ad illorum valorem juristicum habito, citantur, non posse citari simpliciter per *canonem* et *distinctionem,* resp. *causam* et *quaestionem* [5], sed accurate in eis citandis designari debere auctorem, a quo, seu fontem, e quo proveniunt, i. e. opus, e quo hausti sunt [6].

---

[1] De Serv. Dei beatific. et beatorum canoniz., lib. IV. part. 2. cap. 17. n. 10. (Opp. ed. Venet. 1767, tom. IV. p. 365.). [2] Cfr. supra p. 79. sq.

[3] Cfr. gl. ad dict. Grat. init. qu. 2. C. VIII. v. *patrocinia;* item ad c. un. ead. v. *patrocinia.*

[4] *Reiffenstuel,* Jus canon. univ., Prooem. n. 146.—152.; *Schulte,* Die Lehre von den Quellen, p. 361.; *Idem,* Die Glosse zum Decret Gratians, in citt. scriptt. memorabill. tom. XXI. part. 2. p. 95. sq.

[5] Qui talem modum in citandis locis Decreti observet, hunc *Ponsius,* Jus canon. etc., tom. I. p. 104., recte similem esse dicit ei, qui nummos aureos, argenteos ac aeneos aut etiam plumbeos, eo quod eos ex eodem nummorum acervo accepit, unius omnes pretii esse existimet et unum pro altero sine discrimine exhibeat et eroget.

[6] Sic v. g.: Ita *S. Isidorus Hispalensis* dicit Etymolog. lib. V. cap. 2., uti refertur in c. 1. D. I.; ita Summus Pontifex *S. Gregorius I.* praecepit episcopis Numidiae in epistola a. 591 ad eos data, uti adducitur in c. 8. D. XII.; ita statuit Concilium generale Lateranense II. a. 1139 cann. 7. et 8., uti refertur in c. 40. C. XXVII. qu. 1.; ita dicit Gratianus post c. 8. D. XXVII. Cfr. *Ponsius* l. c. p. 103. sqq.

Tantummodo tunc, quum illi loci Decreti absque ullo respectu ad eorum valorem juristicum citandi sunt, simpliciter per canonem et distinctionem vel causam et quaestionem citari possunt [1].

Porro inde sequitur,

2. posse illos locos stricte etiam ex eorum fontibus, uti v. g. e Bullario Romano, Regestis Summorum Pontificum, collectionibus Conciliorum, operibus SS. Patrum e. s. p., citari, recte ideo, quia Decretum Gratiani non est nisi opus privatum, quo quae continentur, tantum valent, quantum e suo fonte valent. Attamen, quoniam Summi Pontifices *Pius IV.*, *Pius V.* et *Gregorius XIII.* emendatione et editione Decreti Correctoribus Romanis demandata id efficere intenderunt, ut correctus et purus ejusdem Decreti textus exhiberetur, et nominatim genuinae inscriptiones auctoritatum ibi adductarum restituerentur: patet, ei, qui pro jure suo evincendo locos Decreti secundum textum ejus e mandato Apostolicae Sedis a Correctoribus Romanis concinnatum et jussu Papae Gregorii XIII. Romae a. 1582 editum allegat, praesto esse praesumtionem, locum ita allegatum esse genuinum et integrum; quae praesumtio illi tamdiu praesto est, donec pars adversa plene probaverit, locum ita allegatum nihilominus esse spurium vel corruptum [2].

§ 52. Subsidia litteraria ad Decretum Gratiani interpretandum.

Inter subsidia litteraria ad interpretationem Decreti hoc loco praesertim sequentia notanda sunt [3].

I. *Opera introductoria*, et inter haec nominatim

1. *Sebastiani Berardi* opus: Gratiani Canones genuini ab apocryphis discreti, ed. August. Taurin. 1752—1757, et Venet. 1783, 3 partt. (4 tomm.) in 4⁰. [4]

---

[1] V. g. loci supra allegati ita: cfr. (vel: vide) c. 1. D. I.; c. 8. D. XII.; c. 40. C. XXVII. qu. 1.; Dict. Grat. post. c. 8. D. XXVII.

[2] *Schmalzgrueber*, Jus eccl. univ., Prooem. n. 265.; *Schulte*, Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 331.

[3] Alia et nominatim *Lexica* juris canonici atque opera, enucleationi *abbreviationum*, tum in codicibus mss., tum in antiquioribus editionibus Decreti occurrentium, inserventia, inferius (part. III. cap. 3. art. 2.), ubi de universo Corpore juris canonici sermo est, in medium adducuntur.

[4] Pro faciliori usu hujus operis notandum est, divisum illud esse in *tres* partes, in quarum *prima* tractantur illi canones Decreti, qui continent decreta Conciliorum, generalium et particularium; in *secunda* parte, quae subdivisa in duos tomos est, expenduntur canones illi, qui continent constitutiones et decretales epistolas Summorum Pontificum; in *tertia* parte discutiuntur illi canones, qui desumpti sunt ex operibus SS. Patrum aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum et aliunde.

Porro in singulis partibus materia ordine chronologico disposita est, et canones ex uno eodemque fonte derivati simul continuo contextu tractantur atque ad marginem illius tractatus una cum distinctione, resp. causa et quaestione indicantur.

Insuper ad calcem partis *tertiae* adjectus est index omnium canonum Decreti, concinnatus servato distinctionum, causarum et quaestionum ordine, quem hae in

2. *Clementis Becker*, S. J., professoris juris canonici in seminario episcopali Monasteriensi († 1791)[1], Decretum Gratiani abbreviatum, cum designatione fontium, unde singula desumpsit, notisque chronologicis, criticis et historicis. Monast. 1781.

II. *Opera exegetica*, et inter haec praesertim

1. *Guidonis de Baysio (Archidiaconi)* Rosarium Decreti. Venet. 1513, 1559, 1577, 1580, 1601, in fol.; Lugd. 1549, 1558, in fol.

2. *Joannis a Turrecremata (Torquemada)*, Cardinalis episcopi Sabinensis († 1468)[2], Commentarius in Decretum Gratiani, ed. Lugd. 1519, 6 voll. in fol., ibid. 1555 ap. Blas. Guidon, 5 voll. in IV tomm. in fol.; ibid. 1555 apud Claud. Serv.; Venet. 1578[3].

3. *Augustini Barbosae*, Ugentini in regno Neapolitano episcopi († 1649)[4], Commentarius Decreti, in ejusdem Collectaneis Doctorum in jus pontificium universum, editis Venet. 1716 sqq., tom. V. et tom. VI. p. 143. sqq. (Additamenta).

4. *Francisci Florentis* († 1650) „Varii tractatus ad nonnullas Decreti Gratianei Causas", in ejusdem operibus juridicis, ed. Paris. 1679, tom. II.

5. *Joannis Dartis*, professoris juris canonici in Universitate Parisiensi († 1651)[5], „Commentarii in universum Gratiani Decretum", in ejusdem operibus canonicis, ed. Paris. 1656, part. I.

6. *Ludovici de Hericourt*, advocati parlamenti Parisiensis († brevi post a. 1719)[6], „Analyse du Decret de Gratian", in ejus opere: Les lois ecclésiastiques de France, ed. Paris. 1736 sqq., tom. I. p. 1. sqq.

7. *Bernhardi Zegeri van Espen*, professoris juris canonici in Universitate Lovaniensi († 1728)[7], „Brevis commentarius ad Decretum Gratiani", in ejusdem operibus, ed. Venet. 1769, tom. III. p. 143.—268.; qui tamen commentarius propter auctoris magnam in Gallicanismum et Jansenismum propensionem cum multa cautione est adhibendus[8].

Decreto tenent, et ad singulos canones indicatur pars vel ejus tomus una cum pagina, ubi de illo canone tractatur.

[1] *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. III. part. 1. p. 232.

[2] *Schulte* l. c. tom. II. p. 322. sq. [3] *Schulte* l. c. p. 323. not. 1.

[4] *Schulte* l. c. tom. III. part. 1. p. 746. sq.

[5] *Doujat*, Praenott. canonn. lib. V. cap. 9. (ed. cit. p. 474.)

[6] Grosses vollständiges Universal-Lexicon *(Zedleri)*. Halae et Lips. 1732 sqq., tom. XII. col. 1688.

[7] Lexicon eccl. Friburg., ed. Friburg. Brisg. 1847 sqq., tom. III. p. 711. sq.; ed. II. ibid. 1882 sqq., tom. IV. col. 904.

[8] De nonnullis rarioribus commentariis in Decretum, uti sunt: *Laurentii de Pinu* († 1397) Lectura super Decretum, *Dominici a S. Geminiano* (qui floruit saec. XV.) Super Distinctionibus Decreti, *Joannis Grassi* (florentis circa med. saec. XV.) Lectura in Decretum, *Mathiae Iwanni de Prussia* (florent. altero dimidio saec. XV.) Lectura in Decretum, *Joannis Ant. de S. Gregorio*, Ecclesiae metropolit. Mediolanensis Praepositi, serius Cardinalis episcopi Sabinensis († 1509), Commentaria super Decretorum volumina, atque Commentarius super primam partem Decreti Gratiani *Roderici (Rodriguez) de Cunha*, archiepiscopi Bracarensis († 1643), vide *Schulte*,

§ 53. Utilitas studii Decreti Gratiani.

Ex hucusque dictis elucet, Decretum Gratiani, licet tantummodo opus privatum sit, tamen respectu scientifico, et in specie pro cognoscendo jure canonico, quod circa medium saec. XII. in Ecclesia viguit, et, quum huic juri jus canonicum posteriorum saeculorum omnino innitatur, quippe quod illud aut confirmet, aut compleat, aut mutet vel abroget, etiam pro cognoscendo jure canonico posteriorum saeculorum et nostri etiam aevi, summi esse momenti, et hinc diligens ipsius Decreti studium iis, qui ad amplam et solidam juris canonici cognitionem pervenire volunt, summopere esse commendandum [1].

Die Geschichte der Quellen, tom. II. pp. 263., 295. sq., 302. sq., 317. et 340., atque tom. III. part. 1. p. 741. Porro, uti ex *Julii Nigri* (S. J., † 1720), De scriptoribus Florentinis, ed. Ferrar. 1722, refert *Jöcher*, Allgem. Gelehrten-Lexikon. Lips. 1750 sq., tom. II. col. 2277., etiam *Lapus Tactus* (Tuctus), O. S. B. monasterii S. Miniati prope Florentiam abbas saec. XIV. (*Schulte* l. c. tom. II. p. 238. sq.), tractatum in Decretum Gratiani exaravit.

[1] Quo respectu *Ponsius*, Jus canonicum etc., tom. I. p. 94. sq. de Gratiani Decreto ait: „Est autem (sc. Decretum Gratiani) . . . una ex partibus componentibus hodiernum Corpus juris canonici; imo dici recte potest, eam, sicut ordine et tempore, ita etiam dignitate et praestantia esse primam, quod majori, quam in ulla alia illic copia collecti inveniantur Canones, qui per plures aetates ad morum constituendam firmandamve disciplinam inventi, et ad nos traducti sanctissimam vivendi formam in se continent. Unde non utile tantummodo, verum etiam necessarium ei, qui ad laudem perfecti Canonistae pervenire sibi proposuit, existimari debet studium Decreti.“ Atque *Schulte* (Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts p. 322.), de studio Decreti Gratianei hanc fert sententiam: „Wie das *System* und die *Erörterungen* des Decrets eine wichtige *Quelle der Dogmengeschichte des Kirchenrechts bilden*, so liefert das im Decrete gesammelte Material uns eine sehr reichliche Fundgrube für die Geschichte des Kirchenrechts überhaupt, welche manche der älteren Sammlungen und Quellen insoweit vollständig ersetzt, als es uns im einzelnen Fall nur auf den geschichtlichen Entwicklungsgang eines Institutes, eines Rechtssatzes ankommt. In dieser Richtung kann sein Studium nicht dringend genug empfohlen werden.“

PARS SECUNDA.

COLLECTIONES DECRETALIUM.

SECTIO PRIMA.

Collectiones decretalium, post Decretum Gratiani usque ad Pontificatum Gregorii IX. (1227—1241) excl. adornatae.

§ 54. Hujusmodi collectiones decretalium generatim.

Post editum Decretum Gratiani iterum novae constitutiones ecclesiasticae et imprimis pontificiae decretales [1] prodierunt. Et pontificiae decretales quidem praesertim inde ab altero dimidio saec. XII., et nominatim inde a temporibus Papae *Alexandri III.* (1159—1181), frequentissime emittebantur, ita ut inde ab illo tempore uberrimum fontem juris canonici constituerent. Quae constitutiones ecclesiasticae omnes, quia in Decreto Gratiani, quod tunc pro completa juris canonici vigentis collectione habebatur et hinc etiam *Corpus juris canonici* dicebatur [2], non comprehendebantur, sed *extra* illud *vagabantur, extravagantes* appellari consueverunt [3].

Quae extravagantes primum Decreto tanquam appendix apponebantur; quum autem paulatim numerosae exstitissent, enata necessitas est, eas seorsim in unum colligendi seu, uti olim dici solebat, *compilandi* [4].

---

[1] Cfr. supra p. 15. sq. [2] Cfr. supra p. 25.

[3] *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 209.; *Maassen,* Beiträge zur Geschichte der juristischen Literatur des Mittelalters, in citt. relatt. sess. tom. XXIV. p. 14.; *Schulte,* Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Zweiter Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXIV. p. 105. not. 1.

[4] *Schulte,* Beitrag zur Geschichte des canonischen Rechts von Gratian bis auf Bernhard von Pavia, in citt. relatt. sess. tom. LXXII. p. 481. sqq. Voces: *compilare* et *compilatio* sinistrum illum, quem nunc plerumque habent, significatum, nimirum res ex alienis operibus describere et in unum congestas tanquam suas venditare, olim non habebat, sed simpliciter id, quod nunc voces: *colligere* et *collectio* denotant, significabant. Ipse Papa *Gregorius IX.* (1227—1241) in bulla: *Rex paci-*

Qua ratione mox partim studio privatorum virorum eruditorum, partim cura ipsorum Summorum Pontificum plures illarum extravagantium collectiones, maxime ad instar collectionum juris civilis romani, nominatim *Digestorum (Pandectarum)* et *Codicis* Imperatoris *Justiniani I.* (527—565)[1], compositae sunt. Quae, quamquam praeter *decretales* etiam alias auctoritates, uti v. g. constitutiones Summorum Pontificum motu proprio editas, canones synodorum generalium et particularium, locos S. Scripturae, effata SS. Patrum et aliorum Scriptorum ecclesiasticorum, continebant, tamen, quia *potissimum* decretales comprehendebant, a parte potiori *collectiones* seu *compilationes decretalium* appellatae sunt.

Inter quas praesertim *quinque* celebres exstiterunt, et quidem eo, quod a professoribus juris canonici in Universitate Bononiensi una cum Decreto Gratiani tum in scholis *lectae*, tum etiam *glossatae* sunt; cujusmodi aestimatio caeteris decretalium collectionibus haud contigit. Quo simul factum est, ut illae quinque decretalium collectiones seu compilationes, uti olim Decretum Gratiani[2], a numerosis scholaribus, ex Universitate Bononiensi in patriam reversis, fere per universam Europam divulgarentur et ab eis, quum ipsi in ecclesiasticis officiis et tribunalibus constituti essent, adhiberentur, et sic in foro Ecclesiae in communem usum inducerentur, e contra reliquae decretalium collectiones in foro ecclesiastico prorsus negligerentur. Unde illae quinque decretalium collectiones simpliciter *compilationes* dicebantur et tanquam compilatio *prima, secunda* e. s. p. distinguebantur. Ejus circumstantiae, quod in Universitate Bononiensi in scholis legebantur, habita ratione illae quinque compilationes etiam *libri* vel *volumina*[3] dictae et singillatim tanquam *liber primus* vel *volumen primum* e. s. p. designatae sunt[4].

Porro inde ab eo tempore, quo praefatae compilationes decretalium in Bononiensi Universitate legi coeperant, illi, qui juri canonico ex iis docendo vel discendo operam dabant, *decretalistae* appellari consueverunt, quemadmodum olim a Decreto Gratiani, quo in eo negotio utebantur, juris canonici doctores et studiosi *decretistae* appellabantur[5].

---

ficus, d. d. 5. Sept. 1234, qua suam decretalium collectionem publicavit, eandem hanc collectionem *compilationem* appellavit. Cfr. *Doujat*, Praenott. canonn. lib. IV. cap. 17. § 5. (ed. Venet. 1717, p. 405. sq.).

[1] Cfr. infra append. cap. 1. art. 3. § 15. et 17.

[2] Cfr. supra p. 48.

[3] *Savigny*, Geschichte des römischen Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 265.

[4] *Doujat*, Praenott. canonn. lib. IV. cap. 16. § 3.; *Phillipps*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 219.

[5] *Savigny* l. c. p. 182. et p. 516.; *Schenkl*, Institutt. Jur. eccl., ed. XI. Ratisbon. 1853, tom. I. p. 116. § 93.

§ 55. Appendix Concilii Lateranensis [1].

E praefatis decretalium collectionibus, post Decretum Gratiani compositis, primo loco nominanda est illa, quae dicitur *Appendix Concilii Lateranensis,* sc. generalis III., a. 1179 celebrati.

Quae collectio constat e 50 *partibus,* quae divisae sunt in *capita,* summatim 537.

Prima illarum partium solummodo canones praefati Concilii Lateranensis III., et quidem eodem ordine, quo conditi sunt, continet; unde reliquae 49 partes quasi *appendix* illius Concilii esse videntur; quapropter ipsa collectio tota quanta *Appendix Concilii Lateranensis* appellata est [2].

Partes inde a II.—XLIV. continent *nunc,* praeter nonnullos canones synodorum, maxime decretales Summorum Pontificum, et quidem praesertim *Alexandri III.* (1159—1181), porro plurium hujus praedecessorum, uti nominatim *Hadriani IV.* (1154—1199), *Eugenii III.* (1145—1153), *Innocentii II.* (1130—1143), *Honorii II.* (1124—1130), *Paschalis II.* (1099—1118), *S. Gregorii VII.* (1073—1085), *Eugenii II.* (824—827), *Leonis III.* (795—816), *S. Gregorii I.* (590—604), *Hormisdae* (514—523) et *Gelasii* (492—496), nec non ejus successorum *Lucii III.* (1181—1185), *Urbani III.* (1185—1187), *Gregorii VIII.* (1187) et *Clementis III.* (1187—1191) [3].

Partes inde a XLV.—L. continent, praeter multas decretales *Alexandri III.* et *Lucii III.,* septem decretales *Urbani III.,* duas *Gregorii VIII.* et unam *Clementis III.*

Singulae partes, exceptis I., XLIX. et L., inscriptionem seu *rubricam* [4] praefixam habent, quae ipsarum materiam designat. Sic v. g. pars XLIII. inscribitur: *de sepulturis* [5].

---

[1] *Theiner,* Disquisitiones criticae, ed. Rom. 1836, p. 4. sqq.; *Schulte,* Beitrag zur Geschichte des canonischen Rechts von Gratian bis auf Bernhard von Pavia, in citt. relatt. sess. tom. LXXII. p. 486. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen des canonischen Rechts, tom. I. p. 77.

[2] Qui titulus hujus collectionis quandoque circumscribitur verbis: *„post Concilium Lateranense"*; v. g.: „vide post Concil. Lateran. part. III. cap. 18.", i. e. vide Appendicem Concil. Lateran. part. III. cap. 18. Cfr. *Emman. Gonzalez de Tellez,* Commentaria perpetua in singulos textus quinque Librorum Decretall. Gregorii IX., in lib. III. tit. 28. cap. 1. n. 1., ed. Lugd. 1673, tom. III. p. 534.

[3] E qua materia, in hanc collectionem congesta, certo elucet, auctorem ejus Decretum Gratiani non solum continuare, sed etiam, in quantum ei lacunas habere videbatur, complere voluisse.

[4] Cur dicantur *rubricae,* ea de re cfr. supra p. 30. sq.

[5] Quae rubricae hae sunt: 2. De simonia, et ne merces pro ecclesiae consecratione recipiatur, vel pro moniacatione (i. e. monachatione), vel pro sacramentis ecclesiae, vel pro licentia docendi: neve praelati vices suas ad causas terminandas vel regimen ecclesiasticum sub annuo pretio committant, neve subditos talliis (i. e. exactionibus) vexent vel poena pecuniaria mulctent. 3. De dolo et contumacia et calumnia alterius partium punienda. 4. De decimis praestandis. 5. De conjugatis et sponsis, monasterium ingressis vel ingredi volentibus. 6. De sponsalibus et ma-

Etiam singula *capita*, paucis exceptis, inscriptionem habent, qua auctor effati in eo relati, vel etiam is, ad quem hoc proxime directum fuit, vel uterque simul designatur [1].

Non tamen omnes illae inscriptiones sunt genuinae; plures earum spuriae sunt [2].

---

trimonio contrahendo vel jam contracto. 7. De potestate judicum delegatorum et de variis litteris, diversis temporibus impetratis. 8. De testibus cogendis vel non. 9. De secundis nuptiis. 10. De appellationibus. 11. Ut actor respondeat ei, quem convenit. 12. De eo, qui consanguineam uxoris suae, vel sponsam patris sui, vel consanguineam sponsae propriae cognovit. 13. De religiosis viris, decimas ex privilegio non praestantibus et de privilegio abutentibus. 14. De illis, qui incidunt in canonem datae (i. e. latae) sententiae, vel incidere videntur, cum non incidant; et qui propter absolutionem sint ad Sedem apostolicam mittendi. 15. De jure patronatus et clericorum institutionibus. 16. De usuris. 17. De juramentis servandis. 18. De clericis, matrimonio copulatis, vel aliis, fornicarias habentibus. 19. De ordinatione filiorum sacerdotum et eisdem in ecclesiis paternis non tolerandis. 20. De Judaeis, et ne Christiani mancipia eorum fiant. 21. De monachis et monialibus sine probatione susceptis, item in probatione positis, recedere volentibus. 22. De spoliatis restituendis vel non. 23. De juramento calumniae. 24. De excessibus episcoporum contra suos archidiaconos, et archidiaconorum contra suos episcopos. 25. Quibus et quando et in quam aetatem conferatur ecclesiasticum beneficium, et ad quem spectet ecclesiarum reparatio. 26. De depositione clericorum et dispositione circa eosdem. 27. Ne clericus vel monachus saecularibus se negotiis immisceat, et de regula religiosorum. 28. De pactionibus licitis et illicitis in rebus ecclesiasticis. 29. De alienatione rerum ecclesiae et de earundem recuperatione. 30. Uni plura beneficia ecclesiastica non committenda, nec unum inter plures dividendum, et de in beneficio sibi assignato non residentibus. 31. De excommunicatis. 32. De conjungendis filiis, ante vel post compaternitatem genitis. 33. Qui filii sint legitimi, et de exactione dotium post divortium, et ad quem pertineat hujus causae cognitio. 34. De raptoribus et ecclesiarum violatoribus, et quando post peractam poenitentiam sit neganda sepultura ecclesiastica, nisi satisdent de damno restituendo. 35. De poenitentia. 36. De sententiis et interlocutionibus. 37. De leprosis. 38. De praescriptionibus. 39. De vicariis monachorum et aliorum. 40. De electionibus et electi potestate. 41. De interpretatione verborum et rescriptorum. 42. De exceptionibus. 43. De sepulturis et defunctorum voluntatibus. 44. De praeeminentia Londoniensis et Eboracensis, et de privilegiis generaliter vel specialiter indultis, et de eorum abusu et confirmationibus. 45. De sponsalibus secundo. 46. De potestate judicum. 47. De jure patronatus. 48. De pactionibus secundo.“ (Apud. *Harduin.*, Concill. collect., tom. VI. part. 2. col. 1693. sqq., *secunda* vice occurrentibus. Nimirum hujus collectionis Conciliorum tom. VI. pars 2. incipit a col. 1621. et ab hac usque ad col. 1999. procedit; post quam consequenter poni debuit col. 2000., attamen posita per errorem est col. 1100, et post hanc numeratio consequenter currit, videlicet col. 1101., col. 1102. e. s. p., ita ut coll. 1621. sqq. denuo recurrant. Quas columnas, denuo recurrentes, hic et alibi indicamus numero millenario *majuscula forma* exhibito.)

[1] Qua ratione v. g. part. X. cap. 1. inscriptum est: *Alexander III. Exoniensi episcopo et decano Lincolniensi.*

[2] Ita v. g. inscriptio cap. 5. part. XXXVIII., quod proprie decretalem Papae *Alexandri III.* continet atque ita inscriptum est: „Item gloriosus Clemens in Libro Stromatum.“ Cfr. *Ant. Augustini* notationem ad Comp. I. cap. 7. de praescript. II., 18., in *ejusdem* Antiquae collectiones decretalium, ed. Ilerd. 1576, fol. 292. b; ed. Paris. 1609, pag. 530.

Decretales, quae de pluribus materiis tractabant, pro diversitate materiae in plura fragmenta divisae et singula hujusmodi fragmenta seorsim in peculiaribus *capitibus* competentium partium collocata sunt. Verumtamen illud caput, quod continet decretalis ita divisae initium, qua caput principale exhibetur, et reliqua capita, quae ulteriora fragmenta illius decretalis comprehendunt, tanquam *partes* illius capitis designantur [1].

Insuper ex auctoritatibus, relatis in singulis capitibus, ea, quae ad materiam illius partis haud stricte pertinere putabantur, omissa sunt; quae omissio in textu capitis voculis: *et infra, et j.*, vel *etc.* innuitur [2].

Inter decretales, quae in hac collectione referuntur, plures sunt, quae sibi quoad tenorem valde similes, vel etiam prorsus aequales sunt [3]; imo interdum eadem decretalis ejusdem Summi Pontificis in pluribus capitibus simul refertur [4].

Quandoque etiam decretales *spuriae* ibi referuntur [5].

Originetenus haec collectio tantummodo priores 44 partes cum decretalibus Summorum Pontificum usque ad *Lucium III.* (1181—1185) incl. complectebatur; partes inde a XLV.—L., cum decretalibus Summorum Pontificum, *Lucii III.* successorum usque ad *Clementem III.* (1187—1191), ei serius demum additae sunt [6]. Qua occasione simul etiam in illas priores 44 partes nonnullae decretales Summorum Pontificum, *Lucii III.* successorum, nominatim *Urbani III., Gregorii VIII.* et *Clementis III.,* insertae sunt.

Quatenus jam hunc posteriorem ambitum et hanc posteriorem formam habet Appendix Concilii Lateranensis, *recensionis secundae* dicitur; quatenus autem illum priorem ambitum et illam priorem formam gerit, *recensionis primae* appellatur.

Adornata collectio illa ab aliquo *Anglo* esse videtur; quia praesertim illas decretales refert, quae ad episcopos Angliae datae fuerunt. De caetero autem ejus auctor ignotus est.

---

[1] Qua ratione v. g. part. XVIII. cap. 9., inscriptum: *Idem* (i. e. *Alexander III.*) *Vigorniensi (Worcester) episcopo*, ita designatur: Pars Capituli: *Meminimus;* quod Capitulum (caput) *Meminimus* est partis VI. cap. 9. et refert initium integrae illius decretalis, quae a voce: *Meminimus* incipit et a Papa *Alexandro III.* ad Vigorniensem in Anglia episcopum data fuit.

[2] Cfr. v. g. part. IV. cap. 58.; part. VIII. capp. 3. et 21.

[3] Cfr. v. g. part. V. cap. 5. cum part. VI. cap. 9.

[4] Cfr. v. g. part. VI. (apud *Harduin.* l. c. col. 1730. falso: VII.) capp. 4. 23.

[5] Cfr. v. g. part. VI. cap. 27. et *Aemil. Ludov. Richter* ad c. 18. C. XXVII. qu. 2. not. 61.

[6] Hoc etiam inde elucet, quod aliquae illarum partium XLV. sqq. easdem, quae jam in prioribus partibus, II.—XLIV., occurrunt, rubricas gerunt, cum additamento: *secundo.* Ita v. g. pars XLV. inscripta est: *de sponsalibus secundo;* pars XLVIII.: *de pactionibus secundo.* Quae rubricae simpliciter jam partibus VI. et XXVIII. praefixae sunt.

Quod spectat ad *tempus,* quo adornata haec collectio est, recensio ejus *prima* sub Pontificatu *Lucii III.* orta esse videtur, quia tantummodo hujus et nullius posteriorum Summorum Pontificum decretales exhibet. Recensio *altera* certe non est absoluta *ante* a. 1187; quia continet decretales Papae *Clementis III.,* qui demum dicto a. 1187 Ecclesiae praeesse coepit. Attamen certe sub Pontificatu *Clementis III.* absoluta est, quia nullius posteriorum Summorum Pontificum decretales continet. Et quidem *primis* annis Pontificatus *Clementis III.* adornata esse videtur, quia tantummodo *duas* e numerosis et gravissimis decretalibus dicti Summi Pontificis refert [1]; quod explicari non posset, si ipsa demum posterioribus annis Pontificatus *Clementis III.* adornata fuisset [2].

§ 56. Collectio Bambergensis [3].

Quae collectio ideo sic appellatur, quia in codice ms. bibliothecae reg. *Bambergensis* (Cod. ms. P. I. 11.) detecta est, nimirum a professore juris *Friderico Schulte.* Divisa est in 54 titulos, qui subdividuntur in capita, universim 446, et continet praesertim decretales Papae *Alexandri III.,* et praeterea nonnullas decretales ipsius praedecessorum et quattuor decretales ejus successoris *Lucii III.,* et in fine in 25 capp. refert canones Concilii generalis Lateranensis III., quibus insuper tanquam cap. 26. additum est aliud caput, haustum e Decreto Burchardi Wormatiensis lib. XIX. cap. 85., quod praecipit de non comedendo sanguine et suffocato.

Adornata collectio haec sub Pontificatu *Lucii III.* esse videtur, quia nullius posterioris Summi Pontificis constitutiones refert. A quo tamen adornata fuerit, ignotum est. In ea adornanda auctor Appendice Concilii Lateranensis *primae recensionis* usus est.

Impressa collectio ista hucusque non est.

Voluisse auctorem hujus collectionis Decretum Gratiani non solum continuare, sed etiam complere, inde elucet, quod is Papae *Leonis IX.* constitutionem: *Relatum est,* d. d. 20. April. 1052 [4], quam Gratianus

---

[1] Nimirum part. L. cap. 67. et part. XV. cap. 26., quarum prior die 22. Mart. 1188 data esse fertur, alterius autem dies datae certo determinari nequit. Cfr. *Jaffé,* Regesta Pontiff. Romm., ed. Berol. 1851, p. 872. n. 10058. et p. 882. n. 10227.

[2] Impressa habetur passim in omnibus amplioribus collectionibus Conciliorum, nominatim in *Harduini* tom. VI. part. 2. col. 1693. sqq. (cfr. supra p. 91. in not.); et in *Mansi* tom. XXII. col. 248. sqq.

[3] *Schulte,* Zur Geschichte der Literatur über das Decret Gratians. Zweiter Beitrag, in citt. relatt. sess. tom. LXIV. p. 138. sqq.; *Idem,* Beitrag zur Geschichte des canon. Rechts von Gratian bis auf Bernhard von Pavia, in citt. relatt. sess. tom. LXXII. p. 494. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen und Literatur des canon. Rechts, tom. I. p. 77.; *Friedberg,* In Corp. jur. can., ed. Lips. 1879 sqq., part. II. prolegg. col. XLVIII. not. 1.

[4] *Jaffé* l. c. p. 375. n. 3246.

in Decretum referre omiserat [1], in hanc collectionem recepit ibique in tit. XXVII. cap. 5. collocavit [2].

§ 57. Collectio Lipsiensis [3].

Collectio ista inde nomen habet, quia in codice ms. (n. 975.) bibliothecae Universitatis *Lipsiensis* detecta est, videlicet a professore juris *Aemilio Ludovico Richter*. Divisa est in 65 titulos, peculiaribus *rubricis* [4] instructos, qui subdivisi sunt in capita, summatim 632, et

---

[1] Cfr. supra p. 58.

[2] Cfr. *Friedberg* ad c. 2. X. de sepult. III. 28. not. 1.

[3] *Richter*, De inedita decretalium collectione Lipsiensi. Lips. 1836; *Schulte*, Beitrag zur Geschichte des canon. Rechts von Gratian bis auf Bernhard von Pavia, in citt. relatt. sess. tom. LXXII. p. 491. sqq.; *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 78.

[4] Quae rubricae sunt, ut sequiter: 1. De simonia, et ne merces pro ecclesiae consecratione requiratur vel pro monachatione ecclesiae vel pro sacramentis ecclesiae, et quod apostolica Sedes absque simonia possit investire de prima vacante in ecclesia. 2. Ne praelati vices suas sub annuo pretio aliis committant ad causas terminandas, vel sub annuo pretio presbyteri ad ecclesiarum regimen statuantur, licet ecclesia sub annuo censu dari possit. 3. Ne aliquid exigatur pro licentia docendi. 4. Ne clerici illicitis exactionibus vel talleis vexentur; ne clerici vel laici pecuniaria mulctentur. 5. De pactionibus licitis vel illicitis in rebus ecclesiae. 6. Clericum sine auctoritate episcopi non posse constituere ecclesiam suam censuariam, vel ecclesiam occupare, vel in alium transferre ad evitandam controversiam. 7. De illis, qui incidunt in canonem datae sententiae, vel incidere videntur, cum non incidant; et qui sunt ad Sedem apostolicam transmittendi pro absolutione. 8. De raptoribus et violatoribus ecclesiarum quandoque etiam post sententiam negandam sepulturam ecclesiasticam (neganda sepultura ecclesiastica?), nisi satisdent de damno sarciendo. 9. De usuris. 10. De poena pro enormi crimine injungenda. 11. De depositione clericorum et dispensatione circa eosdem. 12. De excessibus episcoporum contra suos archiepiscopos et archidiaconorum contra suos episcopos. 13. De excessibus et privilegiis hospitalariorum. 14. Ne clericus vel monachus saecularibus negotiis se immisceat, neve monachus sine licentia abbatis sui in saeculo permaneat. 15. De ordine et spiritualitate quorundam regularium. 16. De monachis in probatione (probationem?) susceptis et in probatione positis recedere volentibus. 17. De juramentis servandis. 18. Quibus temporibus clerici ordinari debeant. 19. Quibus et quando et in quam aetatem ecclesiae sunt committendae, et ad quem spectat eorum reparatio. 20. De peculio clericorum. 21. Ut plurima beneficia non sunt committenda, nec unum inter plures dividendum. 22. De decimis dandis et non commutandis. 23. De decimis a monachis praestandis vel non praestandis et de pensionibus ecclesiarum sibi debitis non augendis. 24. De presbytero, qui sine unda baptismi decessit. 25. De vana quadam superstitione tollenda. 26. De errore quodam tollendo. 27. De venatoribus et sagittariis et clerico percussore. 28. De sortilegis. 29. De scripturis apocryphis. 30. De diebus feriatis. 31. De electione et electi potestate et episcopi renuntiatione et sacramento ab electo praestando. 32. De officio et potestate praelati et judicis ordinarii. 33. De officio archidiaconi, archipresbyteri, primicerii, sacristae et custodis. 34. Ut domus religiosae episcopo sint subjectae, et de divisionibus parochiarum. 35. De officio et potestate judicum delegatorum. 36. De cognitione multarum (mutuarum?) petitionum coram eodem judice. 37. De jurejurando propter calumniam et juramento purgationis. 38. De purgatione canonica et vulgari. 39. De restitutione spoliatorum et de novatione. 40. De dolo et contu-

continet, praeter canones generalis Concilii *Lateranensis III.,* qui, ordine materiali dispositi, in 28 capitibus praemissi sunt titulo I., et praeter nonnullos canones aliorum Conciliorum, praesertim decretales Papae *Alexandri III.*, insuper autem nonnullas decretales ejus praedecessorum atque ejus successoris *Lucii III.*

Adornata est vel ultimis annis Pontificatus *Lucii III.,* vel primis annis Pontificatus successoris ejus, *Urbani III.* Et quidem ab aliquo *Gallo* adornata esse videtur, quia praesertim decretales, ad episcopos Galliae directas, continet. De caetero autem ejus auctor ignotus est. In ea adornanda auctor collectionem Bambergensem, supra memoratam, adhibuit.

Etiam eum Decretum Gratiani non solum continuare, sed etiam, in quantum erat incompletum, complere voluisse, inter caetera inde colligitur, quod is citatam constitutionem Papae *Leonis IX.*: *Relatum est,* d. d. 20. April. 1052, in suam collectionem retulit ibique in tit. XXIII. cap. 28. posuit [1].

§ 58. Collectio Casselana [2].

Collectio haec nomen inde habet, quod in codice ms. bibliothecae, olim aulicae, nunc provincialis, *Hasso-Casselanae* (Cod. ms. Jur. in fol.

---

macia alterius partis punienda. 41. Missum in possessionem causa rei servandae post annum possidere. 42. De accusationibus. 43. De testibus et attestationibus et publicis instrumentis. 44. Laicus accusare non potest clericum. 45. De testibus cogendis vel non cogendis. 46. De praescriptione. 47. De appellationibus. 48. De foro rei sequendo. 49. De novis statutis. 50. De principe custodiendo et judicum puritate. 51. De confirmatione utili et inutili et rescriptis suspectis et rescripti interpretatione et executionis dilatione. 52. De jure patronatus in ecclesiis clericis concessis a laicis. 53. Depositi. 54. De vitandis haereticis et eorum receptione. 55. De Judaeis, et ne Christiani eorum mancipia fiant, et ne quis subministret ligneamina Sarracenis. 56. De praeeminentia Lundonensis et Eboracensis. 57. De controversia Turonensis cum Dolensi. 58. De sponsis conjugatis, monasterium ingressis vel ingredi volentibus. 59. De matrimonio contrahendo vel jam contracto et sponsalibus. 60. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae, vel sponsam patris sui, vel consanguineam sponsae propriae. 61. De conjungendis leprosis. 62. De filiis conjungendis, ante compaternitatem vel post genitis. 63. Qui filii sint legitimi et de dote post divortium restituenda, et ad quem haec pertineat cognitio. 64. De clericis matrimonialiter copulatis et aliis, qui fornicarias habent. 65. De secundis nuptiis.“ (Quinque Compilationes antiquae, ed. *Aemil. Friedberg,* Lips. 1882, p. 190. sqq.)

[1] Impressa est collectio haec, attamen solummodo e parte, nimirum quoad illa capita, quae in nulla alia collectione decretalium impressa occurrunt, in opere: Quinquae Compilationes antiquae, ed. *Aemil. Friedberg,* Lips. 1882, p. 189. sqq.

[2] *Just. Henning Böhmer,* Dissertatio altera de decretalium Pontiff. Romm. variis collectionibus, §§ XIII. et XVIII., in Corp. jur. can., ab ipso ed. Halae Magdeb. 1747, tom. II. Prolegg. p. XXIII. sqq.; *Schulte,* Beitrag zur Geschichte des canon. Rechts von Gratian bis auf Bernhard von Pavia, in citt. relatt. sess. tom. LXXII. p. 493. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 78.

n. 15.) inventa est, nimirum a professore juris in Universitate Halensi *Justo Henning Böhmer*.

Divisa est, pariter ac Lipsiensis, in 65 titulos, peculiaribus *rubricis*[1] insignitos, qui subdivisi sunt in capita, universim 479.

[1] Illae rubricae sunt tales: 1. De electione Summi Pontificis. 2. Ne Judaei Christianos habeant servientes. 3. Ne laici aliquid a clericis invitis extorqueant. 4. Ne milites torneamenta exerceant. 5. Ne treugae infringantur. 6. Ne clerici bona per ecclesiam acquisita in alios transferant, sed penes eandem remaneant. 7. Ut clerici in causis saecularibus advocati non fiant. 8. Ne quis excommunicetur vel suspendatur, nisi ammonitione praemissa, nec a praelato suo religiosi appellent. 9. De usurariis, ne quis eorum oblata accipiat, nec christianam sepulturam habeant. 10. Pro regimine scholarum nihil a magistris exigatur, sed ab episcopis aliisque praelatis beneficium sibi competens provideatur. 11. Ne clerici in domibus suis mulierculas teneant. 12. Ut monachi peculium non habeant. 13. De simonia, et ne merces pro ecclesiae consecratione promittatur, vel pro monachatione, vel pro sacramentis ecclesiae. 14. Ne praelati vices suas sub annuo pretio aliis committant, et ad causas terminandas vel sub annuo pretio presbyteri ad ecclesiarum regimen statuantur, licet ecclesia annuo censu dari possit. 15. Ne aliquid exigatur pro licentia docendi. 16. Ne clerici illicitis vexationibus vexentur, et ne clerici vel laici poena pecuniaria mulctentur. 17. De pactionibus licitis et illicitis in rebus ecclesiae. 18. Sine auctoritate episcopi non posse constituere ecclesiam suam censualem, vel aliam occupare, vel in alium transferre ad evitandam controversiam. 19. De illis, qui incidunt in canonem datae sententiae, vel incidere videntur, cum non incidant, vel qui sint ad Sedem apostolicam transmittendi propter absolutionem. 20. Raptoribus et violatoribus ecclesiarum quandoque etiam post poenitentiam negandam sepulturam, nisi satisdent de damno sarciendo. 21. De depositione clericorum et de dispensando circa eosdem. 22. De excessibus episcoporum contra suos archiepiscopos. 23. De excessibus et privilegiis hospitalium. 24. Ne clericus vel monachus saecularibus se immisceat, neve monachus sine licentia abbatis promoveatur. 25. De ordine et spiritualitate quorundam regularium. 26. De monachis sine probatione susceptis et in probatione recedere volentibus. 27. De rebus ecclesiae alienandis vel non alienandis. 28. De juramentis servandis. 29. Quibus temporibus clerici debeant ordinari. 30. Quibus et quando et intra quam aetatem ecclesiae committendae sint, et ad quem earum spectet reparatio. 31. Uni plura ecclesiastica beneficia non sunt committenda, nec unum inter plures dividendum. 32. Portionem ecclesiae, auctoritate episcopi vicario assignatam, non esse ab eo auferendam. 33. De ordinatione filiorum sacerdotum et de eisdem in ecclesiis paternis (non tolerandis?). 34. De decimis dandis non tolerandis (tollendis?). 35. De decimis a monachis praestandis vel non praestandis et de pensionibus ecclesiarum sibi debitis et non agendis (augendis?). 36. De parochianis sepeliendis vel non sepeliendis. 37. De presbytero, qui sine unda baptismatis decessit. 38. De vana quadam festivatione tollenda. 39. Contra quorundam haeresim. 40. De electione et electi potestate et episcopi renuntiatione et sacramento ab electo praestando. 41. De officio et potestate praelati et judicis ordinarii. 42. De potestate et officio judicum delegatorum. 43. De cognitione mutuarum petitionum sub eodem judice. 44. De jurando propter calumniam et juramento purgationis. 45. De restitutione spoliatorum et novatione. 46. De dolo et contumacia alterius partium punienda. 47. Missum in possessione (possessionem?) causa servandae rei post annum possidere. 48. De testibus et attestationibus et publicis instrumentis. 49. De testibus cogendis vel non cogendis. 50. De praescriptione. 51. De appellationibus. 52. De confirmatione utili et inutili, et rescriptum suspectum, et rescriptorum interpretatione et exceptionis (exsecutionis?) dilatione. 53. De jure patronatus et ecclesiis a laicis concessis. 54. De Judaeis. 55. De praeeminentia Lundonensis et Eboracensis. 56. De controversia Turonensis ecclesiae cum Dolensi. 57. De

Priores duodecim tituli capitibus 40 referunt canones Concilii generalis *Lateranensis III.* a. 1179, secundum ipsorum materiam dispositos. Unde venit, quod collectio haec in praefato codice ms. ita intitulata est: „Decretales Alexandri III. in Concilio Lateranensi III. generali a. 1179 celebrato editae".

Reliqui tituli 53 continent praesertim decretales Papae *Alexandri III.*, porro plures decretales ipsius praedecessorum atque ejus successorum *Lucii III.* et *Urbani III.*

Adornata est sub Pontificatu *Urbani III.*, vel *Gregorii VIII.*, vel *Clementis III.*, et quidem, ut videtur, ab aliquo *Anglo*, quia praecipue illas decretales refert, quae ad episcopos Angliae datae sunt. De cetero autem auctor ejus ignotus est. In ea adornanda auctor collectione *Bambergensi* supra (§ 56.) memorata usus est. Etiam eum, uti auctores *Appendicis Concilii Lateranensis*, atque *Collectionis Bambergensis* et *Lipsiensis*, voluisse Decretum Gratiani non solum continuare, sed etiam complere, inde elucet, quod is cit. constitutionem Papae *Leonis IX.*: *Relatum est*, in hanc collectionem suam recepit; ubi eam in tit. XXXVI. cap. 5. collocavit [1].

§ 59. Breviarium Extravagantium Bernardi Papiensis. Compilatio prima [2].

Bernardus Papiensis [3], quum praepositus Capituli cathedralis Papiensis esset, videns, eas, quae tunc exstabant, decretalium et aliarum constitutionum ecclesiasticarum, post Decretum Gratiani editarum, collectiones non esse completas, neque etiam satis apto ordine dispositas, et insuper considerans, in Decreto Gratiani multas constitutiones et

---

sponsis conjugatis monasterium ingressis vel ingredi volentibus. 58. De matrimonio contrahendo vel jam contracto et sponsalibus. 59. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsam patris sui vel sponsae propriae consanguineam. 60. De conjugatis leprosis. 61. De filiis conjungendis, post compaternitatem vel ante genitis. 62. Qui filii sint legitimi et de dote post divortium restituenda. 63. De clericis matrimonialiter copulatis et aliis, fornicarias habentibus. 64. De secundis nuptiis. 65. De matrimonio servorum. (Corpus jur. can., ed. *Just. Henning Böhmer*, Halae Magdeb. 1747, tom. II. Append. II. col. 185. sqq.)

[1] De relatione hujus collectionis ad collectiones decretalium supra adductas vide *Schulte*, Beitrag zur Geschichte des canon. Rechts von Gratian bis auf Bernhard von Pavia, in citt. relatt. sess. tom. LXXII. p. 497. sqq. — Impressa est collectio haec in Corp. jur. can., ed. *Just. Hennig Böhmer*, Halae Magd. 1747, tom. II. Append. II. col. 185. sqq.

[2] *Theiner*, Disquisitiones criticae, p. 1. sqq.; *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 207. sqq.; *Bernardi Papiensis* Summa decretalium, ed. *Ern. Ad. Theod. Laspeyres*, Ratisb. 1860, Praefat. p. XIII. sqq.; *Laurin*, in: Archiv für kathol. Kirchenrecht *(Moy* et *Vering)*, tom. XII. p. 337. sqq.; *Schulte*, Die Geschichte der Quellen und Literatur des canon. Rechts, tom. I. p. 78. sqq.; *Aemilius Friedberg*, in: Quinque Compilationes antiquae. Lips. 1882, prolegg. p. VI. sqq.

[3] Cfr. de eo supra p. 20.

alias auctoritates ecclesiasticas, ante dictum Decretum editas, quae adhucdum in foro Ecclesiae usui forent, desiderari: novam juris canonici collectionem, quae Decretum Gratiani non solum usque ad illud tempus continuaret, sed etiam, quatenus haberet lacunas, compleret, adornandam suscepit. Quam collectionem Bernardus, quum adhuc Papiensis praepositus esset, — anno 1198 e Papiensi praeposito Faventinus episcopus factus est, — absolvit et, quia in ea decretales pontificias et alias auctoritates ecclesiasticas non semper integras, uti originetenus editae fuerant, sed saepe multum abbreviatas exhibuit, *Breviarium Extravagantium* appellavit; quae tamen deinde, quum a professoribus juris canonici in Universitate Bononiensi in scholis legi atque etiam glossari coepisset, et quidem prima ex omnibus decretalium collectionibus, post Decretum Gratiani adornatis, *Compilatio prima (liber primus, volumen primum)* dici consuevit.

Divisit Bernardus hanc collectionem in *quinque libros,* hos subdivisit in *titulos,* summatim 152 [1], et titulos in *capita,* universim 912 [2].

In *libro I.* Bernardus illas auctoritates posuit, quae ad personas, ecclesiastica jurisdictione instructas, pertinent, in *libro II.* eas, quae ad ecclesiasticum processum judicialem civilem, in *libro III.* illas, quae ad clericos et regulares eorumque bona, in *libro IV.* eas, quae ad matrimonium, et in *libro V.* illas, quae ad ecclesiastica crimina et ad ecclesiasticum processum judicialem criminalem spectant. Quae distinctio *librorum* hujus collectionis tali versu memoriali exprimi solet:

Judex, judicium, clerus, connubia, crimen [3].

Inscriptiones autem seu rubricas his libris Bernardus non praefixit.

Tituli peculiaribus *rubricis* insigniti sunt [4].

---

[1] Et quidem librum I. in titt. 35, non 34, uti nonnulli ponunt, qui titulum: *de syndico,* post tit. 29. *(de procuratoribus)* collocatum, per errorem autem *numero* non signatum, numerare omiserunt. Jam *Ant. Augustinus* in suis notis ad praefatum tit.: *de syndico* (in suo opere: Antiquae collectiones decretalium, ed. Ilerd. 1576, fol. 264. b) monuit, illum titulum numerandum esse 30. Librum II. subdivisit Bernardus in titt. 21, lib. III. in 37, lib. IV. in 22 et lib. V. in 37.

[2] Liber I. habet capp. 165, lib. II. 166, III. 250, IV. 108 et V. 223 (secundum editionem *Ant. Augustini,* Ilerd. 1576).

[3] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 80. not. 8.

[4] Quae sunt, ut sequitur: *Lib. I.* tit. 1. de constitutionibus; 2. de rescriptis et eorum interpretationibus; 3. de consuetudine; 4. de electione et electi potestate et juramento; 5. de renuntiatione; 6. de temporibus ordinatoriis et qualitate ordinandorum; 7. de ordinatis ab episcopo, qui resignaverat episcopatum; 8. de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum; 9. de filiis presbyterorum ordinandis vel non, nec in paternis ecclesiis tolerandis; 10. de servis non ordinandis et eorum manumissione; 11. de obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non; 12. de corpore vitiatis ordinandis vel non; 13. de bigamis non ordinandis; 14. de clericis peregrinis et eis sine litteris non recipiendis; 15. de officio archidiaconi; 16. de off. archipresbyteri; 17. de off. primicerii; 18. de off. sacristae; 19. de off. custodis; 20. de off. vicarii et ejus beneficio; 21. de off. et potestate judicis delegati; 22. de off. legati; 23. de off. et pot. praelati et judicis ordinarii; 24. de treuga et pace; 25. de majoritate et obedientia; 26. de pactis; 27. de transactionibus; 28. de postulando; 29. de procu-

Capita, quae singulas auctoritates exhibent, item plerumque peculiaribus inscriptionibus insignita sunt, uti supra de capitibus *Appendicis Concilii Lateranensis* notatum est.

---

ratoribus; * de syndico *; 30. de iis, quae vi metusve causa fiunt; 31. de in integrum restitutione ecclesiae vel minorum; 32. de alienatione judicii mutandi causa facta; 33. de arbitris; 34. de juramento calumniae.

Lib. II. tit. 1. de judiciis; 2. de foro competenti; 3. de libelli oblatione; 4. de mutuis petitionibus coram eodem judice; 5. de ordine judiciorum; 6. de pluspetitionibus; 7. de feriis; 8. de causa possessionis et proprietatis in eodem judicio mota; 9. de restitutione spoliatorum; 10. de dolo et contumacia alterius partis punienda; 11. de eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae; 12. de probationibus; 13. de testibus et attestationibus; 14. de testibus cogendis vel non; 15. de fide instrumentorum; 16. de praesumtionibus; 17. de jurejurando; 18. de praescriptionibus; 19. de sententia et re judicata; 20. de appellationibus et recusationibus; 21. de confirmatione utili vel inutili.

Lib. III. tit. 1. de vita et honestate clericorum; 2. de cohabitatione clericorum et mulierum et clericis concubinariis; 3. de clericis conjugatis; 4. de clericis non residentibus in ecclesia praebendata; 5. de praebendis; 6. de clerico aegrotante et debilitato; 7. de institutionibus; 8. de concessione praebendae ecclesiae non vacantis; 9. de iis, quae conceduntur ab episcopo sine consensu clericorum; 10. de iis, quae fiunt a majori parte capituli; 11. de rebus ecclesiae alienandis vel non alienandis; 12. de precariis; 13. commodati; 14. depositi; 15. de emptione et venditione; 16. de rerum permutatione; 17. de pignoribus; 18. de fidejussoribus; 19. de solutionibus; 20. de donationibus; 21. de peculio clericorum; 22. de testamentis et ultimis voluntatibus; 23. de successionibus ab intestato; 24. de sepulturis; 25. de parochiis et alienis parochianis; 26. de decimis et primitiis et oblationibus; 27. de regularibus transeuntibus ad religionem; 28. de conversione conjugatorum; 29. de voto et voti redemptione; 30. de statu monachorum et cellis eorum; 31. de religiosis domibus, ut episcopis sint subjectae; 32. de capellis monachorum et aliorum religiosorum; 33. de jure patronatus et ecclesiis a laicis concessis; 34. de censibus et exactionibus et procurationibus; 35. de ecclesiis reaedificandis et reparandis; 36. de immunitate ecclesiae, coemeterii et rerum ad eam pertinentium; 37. ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.

Lib. IV. tit. 1. de sponsalibus et matrimonio; 2. de desponsatione impuberum; 3. de clandestina desponsatione; 4. de sponsa duorum et sponso duarum; 5. de conditionibus appositis in desponsatione vel aliis contractibus; 6. qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt; 7. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit adulterio; 8. de conjugio leprosi; 9. de conjugio servorum vel disparis conditionis; 10. de natis ex libero ventre; 11. de cognatione spirituali et filiis ante vel post compaternitatem genitis; 12. de cognatione legali; 13. de eo, qui cognovit consanguineam suae uxoris vel sponsam sui consanguinei; 14. de consanguinitate et affinitate; 15. de sobole suscepta ex secundis nuptiis; 16. de frigidis et maleficiatis et impotentia coëundi; 17. de matrimonio contra interdictum ecclesiae celebrato; 18. qui filii sunt legitimi; 19. qui matrimonium accusare possunt vel in eo testificari; 20. de divortiis; 21. de dote post divortium restituenda.

Lib. V. tit. 1. de accusationibus; 2. de simonia, et ne aliquid pro spirituali exigatur; 3. de praelatis, ne vices suas vel ecclesias aliis sub annuo pretio concedant; 4. de magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi; 5. de Judaeis et Sarracenis et eorum servis; 6. de haereticis; 7. de schismaticis et ordinatis ab eis, et alienationibus factis; 8. de apostatis et reiterantibus baptisma; 9. de iis, qui filios occiderunt; 10. de homicidio voluntario et casuali; 11. de torneamentis; 12. de clericis pugnantibus in duello; 13. de adulteriis et stupro; 14. de raptoribus, praedonibus, incendiariis, et violatoribus ecclesiarum; 15. de usuris; 16. de crimine

Citatur haec Compilatio apud *antiquos* canonistas, et quidem antequam aliqua posteriorum Compilationum prodiit, vocula: *Extra* (i. e. Extravagantium compilatio) cum allegatione rubricae *tituli,* sive totius, sive partis ejus, et initialis voculae *capitis;* v. g. hoc modo: *Extra. de const. cap. Canonum. — Extra. Ne cler. vel monach. cap. Non magnopere.*

Inde ab illo tempore autem, quo etiam reliquae Compilationes prodierunt, Compilatio haec appositione numeri I., et item reliquae Compilationes appositione congrui numeri, II., III. e. s. p. distinguuntur; v. g., quod ad citata supra adducta spectat, ita:

Extra. I. de const. cap. Canonum. — Extra I. Ne cler. vel monach. cap. Non magnopere.

Numeri *libri* et *tituli,* in quibus locus citatus refertur, quaerendi sunt in alphabetico indice rubricarum *titulorum,* huic Compilationi praemisso, in quo ad singulas titulorum rubricas appositi sunt numeri illius tituli et libri. Quaeritur autem in dicto indice secundum initialem litteram *rubricae* tituli, nisi illa rubrica incipiat a *praepositione,* quo casu non secundum *hujus* (praepositionis), sed secundum *sequentis* vocis initialem litteram quaeritur. Itaque, quod primum citatorum supra positorum attinet, quaeritur sub lit. *C.* (constitutionibus), quod alterum, sub lit. *N.* (Ne clerici).

Qua ratione in dicto indice pro priori citato invenitur: lib. I. tit. 1.; pro altero: lib. III. tit. 37.

De cetero ope alphabetici indicis *capitum,* huic Compilationi additi, in ea etiam caput, sola sua *voce initiali,* sine ulla alia determinatione citatum, inveniri potest. Etenim in illo indice ad initiales voces singulorum capitum etiam respectivus titulus indicatur.

Apud canonistas *recentiores* haec Compilatio plerumque voc.: *Comp.(ilatio)* I. atque cum appositione numerorum libri et tituli citatur; v. g. Comp. I. cap. 1. de const. I. 1. — Comp. I. c. 2. Ne cler. vel monach. III. 37.

Porro rubricae titulorum:

de Majoritate et Obedientia (I. 25.),

de Verborum significatione (V. 36.) et

de Regulis juris (V. 37.)

solis suis initialibus litteris citari solent, hoc modo:

de M. et O.; de V. S.; de R. J.

---

falsi; 17. de sortilegiis; 18. de collusione; 19. de sagittariis; 20. de delicto puerorum; 21. de clerico percussore; 22. de clerico venatore; 23. de clerico excommunicato vel deposito ministrante; 24. de non ordinato ministrante; 25. de eo, qui furtive ordinem suscepit; 26. de furtis; 27. de excessibus praelatorum in subditos vel contra; 28. de privilegiis et egressibus (excessibus?) privilegiatorum; 29. de purgatione canonica; 30. de purgatione vulgari; 31. de damno dato; 32. de poenis; 33. de poenitentiis et remissionibus; 34. de sententiis et excommunicatis et absolutis; 35. de presbytero nondum baptizato; 36. de verborum significatione; 37. de regulis juris. (Antiquae collectiones decretalium cum *Ant. Augustini,* episc. Ilerd., notis, ed. Ilerd. 1576, fol. 7. sqq.)

Materia hujus Compilationis sunt loci S. Scripturae [1]; effata SS. Patrum et aliorum Scriptorum ecclesiasticorum priorum saeculorum, nominatim v. g. *S. Cypriani* [2], *S. Hieronymi* [3], *S. Augustini* [4], *S. Isidori Hisp.* [5], *Bedae Venerabilis* [6]; canones synodorum, tum *generalium*, uti *Chalcedonensis* a. 451 [7], *Lateranensis III.* a. 1179 [8], tum *particularium*, uti v. g. *Arelatensis II.* a. 452 [9], *Carthaginiensis I.* a. 348 [10], *Meldensis* a. 845 [11], *Nannetensis* a. 895, vel, uti nonnulli putant [12], a. 658 [13], *Pictaviensis* a. 1079 [14], *Romanae* a. 826 [15], *Sardicensis* a. 344 vel 347 [16], *Turonensis* a. 1163 [17]; praesertim autem decretales epistolae et constitutiones Summorum Pontificum, nominatim v. g. *Gelasii I.* (492—496) [18], *S. Gregorii I.* (590—604) [19], *Leonis III.* (795—816) [20], *S. Leonis IX.* (1049—1054) [21], *S. Gregorii VII.* (1073 u. ad 1085) [22], *Innocentii II.* (1130—1143) [23], *Eugenii III.* (1145—1153) [24], *Alexandri III.* [25], *Lucii III.* [26], *Urbani III.* [27], *Gregorii VIII.* [28] et *Clementis III.* [29]. Ullius Summi Pontificis post *Clementem III.* ibi nulla decretalis vel constitutio exhibetur [30].

Praeterea autem ibi etiam nonnulla fragmenta juris civilis occurrunt, tum romani [31], tum germanici [32].

Quam materiam, in quantum ad tempus *post Gratianum* pertinet, Bernardus potissimum hausit e collectionibus decretalium supra

---

1 C. 1. 2. de praesumpt. II. 16.; c. 1. 2. commod. III. 13.; c. 1. de empt. et vend. III. 15.

2 C. 12. de const. I. 1.

3 C. 6. de const. I. 1.; c. 4. de praesumt. II. 16.

4 C. 4. 5. de const. I. 1.

5 C. 7. de despons. impub. IV. 2.

6 C. 7. 9. de R. J. V. 37.

7 C. 1. de foro compet. II. 2.

8 C. 15. 16. de elect. I. 4.

9 C. 4. 7. eod.

10 C. un. de obligat. ad ratiocin. I. 11.

11 C. 1. de const. I. 1.

12 *Hefele*, Conciliengeschichte, ed. II. Friburg. in Brisg. 1873 sqq., tom. III. p. 104. sqq.

13 C. 2. de paroch. III. 25.

14 C. 2. de vit. et honest. cler. III. 1.

15 C. 2. de jud. II. 1.

16 C. 2. de elect. I. 4.

17 C. 10. de praebend. III. 5.

18 C. 1. de concess. praebend. III. 8.

19 C. 2. 3. de const. I. 1.; c. 1. de consuet. I. 3.; c. 10. de elect. I. 4.

20 C. 13. de elect. I. 4.; c. 3. de sepult. III. 24.

21 C. 4. de sepult. III. 24.

22 C. 4.—6. de R. J. V. 37.

23 C. 5. de sepult. III. 24.

24 C. 3. de juram. calumn. I. 35. (36.); c. 20.—23. de test. II. 13.

25 C. 1.—5. de rescript. I. 2.

26 C. 6. 7. eod.

27 C. 8. eod.

28 C. 47. de appellat. II. 20.; c. 9. de vit. et honest. cler. III. 1.

29 C. 7. de cler. conjug. III. 3.; C. 4. de frig. et malef. IV. 16.

30 Inscriptio cap. 2. de presbyt. nondum bapt. V. 35.: „Innocentius III. Cremonensi episcopo" est falsa, pro: *Innocentius II.;* uti probat *Antonius Augustinus* in suis notis ad h. c. (in suo opere: Antiqq. Collectt. decretall., ed. Ilerd. 1576, fol. 415.b col. 2.); etiam *Gonzalez de Tellez,* Comment. perpetua ad singulos textus quinque Libb. decretall. Gregor. IX., ad c. 2. de presbyt. non bapt. III. 43. n. 1.

31 Uti v. g. in c. 2. de praeb. III. 5. (ex Justiniani I. Novell. V. cap. 23.).

32 Ita v. g. in c. 1. de eo, qui cogn. IV. 13. (Capitular. Vermer. a. 753 cap. 2.).

(§ 55. sqq.) adductis [1], partim forte etiam e fontibus immediatis, v. g. ex ipsis pontificiis Regestis etc. [2]. Quatenus autem illa materia ad tempus *ante Gratianum* spectat, cujusmodi materiae ibidem permagna copia est [3], Bernardus eam e collectionibus juris canonici, jam ante Gratianum compositis [4], deprompsit, et nominatim quidem e *Collectione Anselmo dedicata* [5], e *Decreto Burchardi Wormatiensis* [6] atque etiam e *Registro S. Gregorii Papae I.* [7], uti *Bernardus* ipse testatur [8].

E *Decreto Gratiani* Bernardus in suam collectionem, excepto exiguo fragmento epistolae *S. Gregorii M.* a. 603 [9], nihil assumpsit. Noluit enim hac sua collectione Decretum Gratiani eliminare aut superfluum reddere, sed tantummodo continuare et ad suum usque aevum perducere, nec non, quatenus in eo aliquas adhucdum utiles constitutiones aliasve auctoritates ecclesiasticas, ante Gratianum editas, desiderari sciebat, *complere.* Qua de causa etiam plures collectiones juris canonici, licet jam a Gratiano in adornando Decreto adhibitas, tamen denuo lustravit et id, quod ibi indigentiis aevi sui utile invenit, a Gratiano autem praetermissum esse scivit, excerpsit et in suam collectionem retulit [10].

---

[1] Relationem hujus Compilationis ad collectiones illas priores exhibent *Theiner*, Disquisitiones criticae, p. 81. sqq., et *Schulte*, Beitrag zur Geschichte des canon. Rechts von Gratian bis auf Bernhard von Pavia, in citt. relatt. sess. t. LXXII. p. 503. sqq.

[2] *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 82.

[3] Cfr. v. g. c. 1.—6. de const. I. 1.; c. 1. de consuet. I. 3.; c. 2. 4. 7. 10.—13. 20. 21. de elect. I. 4.; c. 1. 2. de aetat. et qualit. I. 8.; c. 1. de fil. presbyt. I. 9; c. 1.—4. de serv. non ord. I. 10.; c. un. de oblig. ad ratiocin. I. 11.; c. 1. 2. de bigam. non ord. I. 13; c. 1.—3. de off. archid I. 15.; c. 1.—4. de off. archipresb. I. 9.; de off. vicar. I. 20.; c. 1. de off. et. pot. praelat. et jud. ord. I. 23.; c. 1.—5. de M. et O. I. 25.; c. 1.—3. de pact. I. 26.; c. 1. de transact. I. 27.; c. un. de procurat. I. 29.; c. un. de synd. I. (30.); c. 1. 2. de arbitr. I. 33.; c. 1. de juram. calumn. I. 34.; c. 4. de foro compet. II. 2.; c. un. de libell. oblat. II. 3.; c. 7. de restit. spoliat. II. 9.; c. 1. de probatt. II. 12.; c. 1. de fid. instrument. II. 15.; c. 5.—7. 9. de praesumpt. II. 16.; c. 9. de jurejur. II. 17.; c. 3. 4. de praescript. II. 18.; c. 2.—4. 6. de sent. et re judicat. II. 19.; c. 1.—3. 6. 7. de vit. et honest. cler. III. 1.; c. 3. 4. de cohabit. cler. et mulier. III. 2.; c. 1. 2. de cler. non resid. III. 4.; c. 1.—3. de praebend. III. 5.; c. 1. de cler. aegrot. III. 6.; c. 1. de concess. praebend. III. 8.; c. 1. de iis, quae conced. ab episc. III. 9.; c. 1.—6. de reb. eccl. alienand. III. 11.; c. 1. 2. de empt. et vendit. III. 15.; c. 1.—4. de rer. permut. III. 16.; c. 1. de privileg. V. 28.

[4] Cfr. supra p. 18. sqq.

[5] De qua vide supra p. 19. Ex ea provenit Comp. I. c. 2. de praebend. III. 5. (Cfr. *Richter* ad c. 2. X. de praebend. III. 5. not. 4.)

[6] Inde repetita sunt v. g. Comp. I. c. 2. de spons. duor. IV. 4.; c. 1. de frigid. et malef. IV. 16.; c. 9. de accusatt. V. 1.

[7] Unde proveniunt v. g. Comp. I. c. 2. 3. de const. I. 1.; c. 1. de consuet. I. 3.; c. 10. 11. 20. de elect. I. 4.; c. 1. de off. vicar. I. 20.

[8] Videlicet in prooemio Summae hujus sui Breviarii, ut supra § 13. p. 20. not. 4. refertur.

[9] Quod jam in c. 7. § Quod autem dicit. 12. C. II. qu. 1. positum, denuo inseruit in cap. 3. de test. II. 13.

[10] Quorsum inter cetera pertinere intelligitur Papae *Leonis IX.* jam saepe

Noluisse autem Bernardum hac sua collectione Decretum Gratiani eliminare aut superfluum reddere, manifeste inde elucet, quod is constitutiones ecclesiasticas, quas jam in Decreto Gratiani positas esse scivit, in suam collectionem nullatenus inseruit, licet decretales et constitutiones a Summis Pontificibus *post* Decretum Gratiani editas, quae ad illas, in Decreto Gratiani collocatas, omnino spectabant easque magis determinabant, in eandem collectionem plene retulerit [1].

Palearum autem, quae nunc in Decreto Gratiani adducuntur, in collectione Bernardi sat multae referuntur [2]. Unde rationabiliter concluditur, Paleas istas tunc temporis, quum Bernardus suam collectionem adornaret, in Gratiani Decreto, et certe in illo Decreti exemplari, quo ipse utebatur, nondum fuisse insertas.

Quod *modum procedendi,* in adornanda Compilatione prima observatum, attinet, Bernardus primo auctoritates in singulis *titulis* plerumque *ordine chronologico* disposuit [3].

Porro illa antiquiorum collectionum *capita,* quae assumenda in suam collectionem censuit, si de diversis materiis agebant, in totidem fragmenta divisit et singula fragmenta in peculiaribus capitibus collocavit; attamen caput illud, in quo primum hujusmodi fragmentorum posuit, ratione capitum, quae posteriora eorundem fragmentorum con-

---

memorata constitutio: *Relatum est,* d. d. 20. April. 1052, quam, a Gratiano in § 2. dict. ad c. 7. C. XIII. qu. 2. quidem memoratam, attamen in ipsum Decretum non relatam, *Bernardus* sive ex *Ivonis Decreto* (part. VII. c. 150.), sive e collectione *Anselmi Lucensis* (lib. IV. c. 34.), sive e collectione *Bambergensi* (tit. XXVII. c. 5.), *Lipsiensi* (tit. XXIII. c. 28.) vel *Casselana* (tit. XXVI. c. 5.) deprompsit et in suam collectionem recepit ibique in cap. 4. de sepult. III. 24. collocavit. Qua ratione is in prooemio hujus suae collectionis ait: „Ego Bernardus, Papiensis praepositus, exempla de veteri novoque jure sub titulis compilavi.“ Apud *Ant. August.*, Antiquae collectiones decretall., ed. Ilerd. 1576, fol. 7. a.

[1] Id locum habet inter cetera v. g. circa can. 15. generalis Concilii *Lateranensis II.* a. 1139, relatum in c. 29. C. XVII. qu. 4., quo statuitur, eos, qui malitiose in clericum vel monachum violentas manus injecerint, ipso facto excommunicationem incurrere, a qua, nisi in articulo mortis, ab alio praeterquam a Summo Pontifice absolvi nequeant. Licet jam *Bernardus* decretales Papae *Alexandri III.* (1159—1181), quibus hic praefatum canonem uberius explicavit et determinavit, statuendo, in quibus casibus quis violentas manus in clericum injiciendo excommunicationem non incurreret, vel ab ea etiam extra mortis articulum ab alio praeterquam a Summo Pontifice absolvi posset, in suam collectionem plene inseruerit, uti elucet e capp. 2.—7. 9.—16. de sent. excomm. V. 34., ipsum tamen canonem illum, cui omnes istae decretales superstruuntur, utpote jam in Decreto Gratiani positum, in suam collectionem nullatenus recepit; quod facere nequaquam potuisset, si Decretum Gratiani hac sua collectione eliminare vel inutile reddere voluisset.

[2] V. g. in c. un. de obligat. ad ratiocin. I. 11. (Palea c. 3. D. LIV.); c. 3. de foro compet. II. 2. (Pal. c. 2. C. XI. qu. 1.); c. 3. de cohabit. cler. et mulier. III. 2. (Pal. c. 22. C. LXXXI.); c. 3. de praebend. III. 5. (Pal. c. 2. C. XVII. qu. 4.); c. 2. de precar. III. 12. (Pal. c. 6. C. X. qu. 2.); c. 4. de rer. permut. III. 16. (Pal. c. 55. C. XII. qu. 2.); c. 1. de divort. IV. 20. (Pal. c. 6. C. XXXI. qu. 1.); c. 4. de purgat. canon. V. 29. (Pal. c. 17. C. II. qu. 5.).

[3] Cfr. v. g. Lib. I. tit. 1. et 2.

tinent, tanquam caput principale exhibuit, eodem modo, quem hac in re auctorem *Appendicis Concilii Lateranensis* observavisse supra (p. 92.) ostendimus [1].

Praetera etiam, uti id de cetero jam priores collectores, et nominatim auctor *Appendicis Concilii Lateranensis,* fecerant [2], ex auctoritatibus, in *capita* referendis, ea, quae ad rem non stricte pertinere putabat, tanquam superflua omisit, easque omissiones in textu illorum capitum voculis: *et infra, et j.,* vel *etc.* indigitavit [3].

Adornata est haec collectio tempore, quod excurrit ab a. 1187 u. ad 1191, ita ut neque *ante* a. 1187, neque *post* a. 1191 confecta fuerit. Et quidem non *ante* a. 1187, quia continet decretales Papae *Clementis III.* (1187—1191); non *post* a. 1191, quia ejus auctor *Bernardus,* qui eam tanquam Papiensis praepositus adornavit, uti e prooemiis tum hujus Compilationis, tum ejus Summae elucet, a. 1191 Papiensis praepositus esse desiit et Faventinus episcopus factus est [4]. In reliquum autem *annus,* quo praecise haec collectio absoluta fuerit, certo determinari nequit [5].

Characterem compilatio haec, uti jam ex ejus origine patet, tantummodo *privatum* habuit; id quod etiam Papa *Benedictus XIV.* (1740—1758) sua const.: *Jam fere sextus,* sub qua a. 1746 tomum I. sui Bullarii Bononiensi Universitati transmisit, expresse enuntiavit [6]. Unde singula, quae in ea continentur, nonnisi tantum valebant, quantum e suo *fonte* seu originario auctore valoris habebant, et quantum valebant, antequam in eam relata erant; uti hoc respectu supra (p. 73. sqq.) de Decreto Gratiani dictum est.

---

[1] Qua ratione *Bernardus* v. g. *Collectionis Casselanae* tit. XXX. c. 4.: *Alexander III. Eam te decet* etc., in duo fragmenta divisit, et prius fragmentum, incipiens: *Eam te decet,* in c. 5. de aetat. et qualit. I. 8., alterum, incipiens: *Caeterum quia,* in c. 7. de jud. II. 1. collocavit, hoc tamen caput verbis: „pars cap. (itis): *Eam te*" notavit. Id quod *Bernardus* etiam alias observavit. Tali ratione v. g. Comp. I. c. 6. de jud. II. 1., inscriptum: „*Idem* (sc. *Alexander III.*) Salernitano Archiepiscopo", exhibet tanquam partem cap.: *Licet praeter,* quod est Comp. I. c. 3. de spons. duor. IV. 4.; quemadmodum id jam in *Appendice Concil. Lateran.* part. XXVI. c. 4. ratione part. VI. cap. 8. (*non* part. VII. cap. 8., uti in *Harduin.* tom. VI. part. 2. col. 1730. perperam ponitur) factum erat. Porro Comp. I. c. 4. de off. vicar. I. 20., inscriptum: „*Idem (Alexander III.)* Winton. Episcopo" *Bernardus* designavit tanquam partem capitis: *Quamvis simus* (quod est Comp. I. c. 7. de off. jud. deleg. I. 21.), licet in *Appendice Concilii Lateranensis,* ubi (part. XXXIX. c. 2. et part. VII. c. 8.) illi loci referuntur, nulla hujusmodi designatio occurrat.

[2] Cfr. supra p. 92.

[3] Cfr. Comp. I. c. 2. 3. de const. I. 1.: c. 11. de elect. I. 4.; c. 22. de off. et pot. jud. deleg. I. 21.

[4] Cfr. supra p. 20.

[5] In hujus collectionis codice ms. Capituli ecclesiae metropolitanae Olomucensis (n. 589. mbr. fol. saec. XIII.) eadem collectio a. 1187 adornata esse fertur. Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen. tom. I. p. 82.

[6] Illa constitutio posita est in fronte tomi I. praefati Bullarii (Bullarii Rom., ed. Luxemburg. 1727 sqq., tom. XVI.).

Occasione publicarum praelectionum, quae super hac collectione in Universitate Bononiensi habebantur, super illa, uti super Gratiani Decreto [1], plura opera litteraria exarata sunt, uti v. g. *Casus, Summae* [2], et alia hujusmodi [3].

Glossas ad hanc Compilationem scripserunt *Bernardus Papiensis* ipse [4], quidam canonista nomine *Petrus,* in reliquum autem ignotus [5], *Petrus Hispanus,* jam occasione Decreti Gratiani memoratus [6], *Richardus Anglicus* [7], *Gilbertus* et *Alanus,* natione Angli, qui floruerunt saec. XIII. [8], *Joannes Galensis (Walensis),* e Walesio (Wales) in Anglia oriundus, qui pariter saec. XIII. floruit [9], *Bernardus Compostellanus,* qui primo dimidio saec. XIII. floruit et, ut ab alio *Bernardo Compostellano,* qui altero dimidio saec. XIII. vixit et *junior* dictus est, distingueretur, dici *antiquus* consuevit [10]; *Lanfrancus,* natione Italus, e civitate *Crema* (prope Bergomum) oriundus († 1229) [11], *Laurentius,* natione Hispanus, *Bartholomaei Brixiensis* et *Tancredi* magister [12], *Vincentius,* item natione Hispanus, juris canonici in Bononiensi Universitate professor, qui eodem tempore floruit [13], atque *Tancredus,* Bononiensis archidiaconus († intra diem 5. Oct. 1234 et mensem Majum 1236), cujus apparatus glossarum hujus Compilationis usque ad collectionem decretalium Papae *Gregorii IX. glossa ordinaria* exstitit [14].

---

[1] Cfr. supra p. 49. sqq.

[2] Summam hujus compilationis exaravit, uti jam supra (p. 20. not. 3.) meminimus, *Bernardus* ipse, quum Faventinus episcopus esset; quam edidit *Laspeyres* a. 1860 Ratisbonae sub titulo: „Bernardi Papiensis Summa Decretalium.“

[3] Cfr. *Schulte,* Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 51. sqq.

[4] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 179. sq.

[5] *Schulte* l. c. p. 152.

[6] *Schulte* l. c. p. 152. sq.

[7] *Schulte* l. c. p. 183. sq.

[8] *Schulte* l. c. p. 188. sq.

[9] *Schulte* l. c. p. 189.

[10] *Schulte* l. c. p. 228.

[11] *Schulte* l. c. p. 198. sq.

[12] *Schulte* l. c. p. 190. sq.

[13] *Schulte* l. c. p. 191. sq.

[14] *Schulte* l. c. p. 199. sqq. Cfr. *Idem,* Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, l. c. p. 78. sqq.

Codices mss. hujus Compilationis multi existunt. Eos adducit *Schulte* l. c. p. 74. sq.; porro, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 78. not. 1.

Impressa est dicta Compilatio in opere: Antiquae Collectiones Decretalium, cum *Ant. Augustini,* episcopi Ilerdensis, notis, ed. Ilerdae 1576, fol. 7. sqq.; ed. Paris. 1609, p. 1. sqq.; item *Ant. Augustini* Opp., ed. Luc. 1765 sqq., tom. IV. Novam hujus Compilationis editionem adornare coepit *Jos. Ant. de Riegger,* juris publici in Universitate Pragensi professor († 1795), cujus operis pars I. prodiit Friburgi in Brisgov. a. 1778 sub titulo: „Bernardi, praepositi Papiensis, Breviarium Extravagantium, cum Gregorii IX. Papae Decretalium Collectione ad harmoniam revocatum.“ Attamen ulterius in ea editione processum non est.

Porro hanc, prouti etiam reliquas quattuor Compilationes proprie ita dictas, attamen solummodo quod attinet illa capita, quae in decretalium collectionem Papae Gregorii IX. ab a. 1234 recepta non sunt, edidit *Aemilius Friedberg* in opere: Quinque Compilationes antiquae, Lips. 1882, et hanc quidem Compilationem, ibid. p. 1. sqq.

§ 60. Collectiones decretalium Halensis [1] et Lucensis [2].

Quae duae collectiones, usque nunc tantummodo ex parte notae, continent partim illas decretales, quae post Compilationem *primam* emanaverunt, partim illas, quae ante illam emanaverunt, attamen in ipsa desiderantur.

Et prior quidem harum collectionum refertur ex parte in codice ms. bibliothecae Universitatis *Halensis* (Cod. ms. Ye. 80. fol. mbr. saec. XIII.), unde etiam ejus nomen, et continet 88 capita, distributa per *titulos,* alio tamen ordine, ac in Compilatione prima observatus est.

Altera illarum collectionum, *Lucensis,* ideo sic appellata est, quia in codice ms. bibliothecae Capituli metropolitani *Lucensis* (Cod. ms. n. 541.) detecta est, nimirum a *Jo. Dom. Mansi,* primum Neapolitano et tum Lucensi professore Theologiae et deinde Lucensi archiepiscopo († 1769) [3]. Continet praeter decretales, in Compilatione prima omissas, illas, quae post hanc editae sunt, et quidem usque ad Pontificatum *Innocentii III.* (8. Jan. 1198—16. Jul. 1216); sub quo etiam adornata esse videtur. Divisa ad instar *Appendicis Concilii Lateranensis* (p. 90.) est, nimirum in *partes,* quae sunt subdivisae in *capita* [4].

§ 61. Collectio Rainerii Pomposiani [5].

Quae collectio, a *Rainerio,* diacono et monacho O. S. B., monasterii B. M. V., siti in oppido *Pomposa* (ital. *Pomposi*) dioeceseos Comaclensis (Comacchio) provinciae Ravennatensis [6], adornata, complectitur, uti ejus auctor ipse dicit in ejusdem praefatione, decretales Papae *Innocentii III.* e primis tribus annis ejus Pontificatus (8. Jan. 1198—7. Jan. 1201). Divisa est haec collectio in 41 titulos, in quibus singulae decretales, universim 119, sine inscriptione: *caput,* referuntur.

Rubricas titulorum magna e parte Rainerius ipse concinnavit easque etiam ordine, ab ordine Compilationis primae diverso, disposuit [7].

---

[1] *Ern. Ad. Theodor. Laspeyres*, in *Bernardi Papiensis* Summa decretalium, ed. Ratisb. 1860, Praefat. p. XXII. sqq.; *Schulte*, Die Compilationen Gilberts und Alanus', in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 620.; *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 83.

[2] *Jo. Dom. Mansi*, in *Steph. Baluzii* († 1718) Miscellaneis, ed. II. Lucae 1762, tom. III. p. 367.; *Schulte*, Die Compilationen Gilberts und Alanus', l. c. p. 621.; *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 83.

[3] Lexicon eccl. Friburg., ed. Friburg. Brisg. 1847 sqq., tom. VI. p. 804. sq.

[4] Impressa e parte est in *Steph. Baluzii* Misc., ed. cit. tom. III. p. 368.—391.

[5] *Schulte* l. c. tom. I. p. 83. sq.

[6] *Mabillon*, Annales Ordinis S. Benedicti, ed. Paris. 1703 sqq., tom. IV. pp. 24., 147., 260. sq.; *Ughelli*, Italia sacra, ed. II. Venet. 1717, tom. II. p. 359.

[7] Sunt autem, ut sequitur: 1. Si personae divinae proprium nomen possint habere. 2. Quod sacerdotium majus sit regno. 3. De primatu Sedis apostolicae. 4. De electione et qualitate eligendorum. 5. Ne translatio electorum in episcopos,

E decretalibus, in singulos titulos assumendis, Rainerius ea, quae stricte ad rem haud pertinere putabat, omisit et solummodo, ut ipse in praefatione hujus collectionis dicit, „eas partes, quae ad jus faciunt", assumpsit [1]. Porro in omnibus, quas assumendas censuerat, decretalibus *tempus* et *locum* datae penitus omisit.

Adornata collectio haec a. 1201 esse videtur [2].

§ 62. Collectio Gilberti [3].

Gilbertus, natione Anglus [4], primum a. 1201 vel 1202, usus supra (§ 60.) memoratis collectionibus *Halensi* et *Lucensi,* collectionem decretalium, ad instar Breviarii Extravagantium Bernardi Papiensis (supra § 59.) dispositam, adornavit, quae in 163 capp. 20 decretales Papae *Alexandri III.* (1159—1181), 1 *Lucii III.* (1181—1185), 1 *Urbani III.* (1185—1187), 2 *Gregorii VIII.* (1187) [5], 49 *Clementis III.*

---

post confirmationem, praeter assensum Romani Pontificis fiat. 6. Quod Metropolitanus ex justa causa potest vices suas in consecratione episcopi suo suffraganeo delegare. 7. Ne simplices sacerdotes, quae solis episcopis competunt, ex consuetudine sibi usurpent. 8. Quod tempus suspensionis a sex mensibus per Lateranense Concilium in ecclesiasticis beneficiis positis suppetat. 9. De procurationibus non augmentandis. 10. De procurationibus Legatorum apostolicae Sedis. 11. De decimis. 12. De nuntiis Hospitalariorum cruce falso signatis, et laicis, qui officium praedicationis sibi usurpant. 13. De haereticis et eis, qui eos receptant. 14. De falsariis. 15. De rescriptis et eorum interpretationibus. 16. De abrenuntiatione. 17. De circumventis. 18. De his, quae vi metusve causa geruntur. 19. De licitis et illicitis juramentis. 20. De eodem et notoriis et canonica purgatione. 21. De inquisitione culparum. 22. Quae probationes in simonia productae recipiantur. 23. De testibus ad exceptiones probandas et infamiam alicujus purgandam productis. 24. De testibus ante litis contestationem productis et appellatione. 25. De officio judicis delegati. 26. De crimine usurarum. 27. De restitutione. 28. Si quis deficiat in exceptione probanda. 29. Quod judiciarius vigor gratis sit omnibus exhibendus. 30. De sententia et re judicata. 31. De sententia excommunicationis. 32. De his, qui excommunicati ad ecclesiasticos ordines promoventur. 33. De his, qui minores ordines et subdiaconatum vel duos sacros ordines simul recipiunt. 34. De his, qui favorem praestant pugnantibus, et homicidiis sponte vel non sponte commissis. 35. De his, qui ad ecclesiam confugiunt. 36. Quod monasteria monachorum possint in canonicos regulares converti. 37. Si regulares ad saeculares ecclesias possint in praelatos assumi. 38. Quod canonici regulares ad religionem Hospitalariorum transire non possint. 39. De voto et habitus susceptione. 40. De matrimonio. 41. De legitimis filiis. (Epistolarum Innocent. III. Rom. Pontif. Libri undecim, ed *Steph. Baluzius* Paris. 1682, tom. I. p. 543. sqq.)

[1] Cfr. v. g. cap. 5. tit. IV. (Idem Capitulo Pennensi) cum Innocent. III. Regest. lib. II. ep. 185. (Epistolarum Innocent. III. Rom. Pontif. Libri undecim, ed. cit. tom. I. p. 558. col. 2. et p. 547. col. 1. sq.)

[2] Typis impressa est in cit. opere: Epistolarum Innocent. III. Rom. Pontif. Libri undecim, ed. cit. tom. I. p. 543.—606.

[3] *Theiner,* Disquisitiones criticae, p. 17. sqq., p. 113. sqq.; *Schulte,* Die Compilationen Gilberts und Alanus', in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 595. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 84.

[4] *Schulte* l. c. p. 188. [5] *Schulte* l. c. p. 84. not. 7.

(1187—1191), 45 *Coelestini III.* (1191—1198), 39 *Innocentii III.* (1198—1216) et 5 decretales absque nomine Summorum Pontificum complectebatur [1].

Huic collectioni deinde additamentum adjecit, quod, in 12 *titulos* divisum, 23 decretales comprehendebat, et quidem 2 *Lucii III.*, 1 *Coelestini III.* et 20 *Innocentii III.* [2].

E quibus duabus collectionibus Gilbertus a. 1204 vel 1205, insuper additis nonnullis aliis decretalibus, partim e collectione *Rainerii Pomposiani* (supra § 61.), partim aliunde assumptis, *unam* collectionem adornavit, quae, secundum Breviarium Extravagantium Bernardi Papiensis in 5 *libros,* divisos in *titulos*, disposita, in 257 capp. 33 decretales Papae *Alexandri III.*, 5 *Lucii III.*, 3 *Urbani III.*, 2 *Gregorii VIII.*, 72 *Clementis III.*, 76 *Coelestini III.*, 61 *Innocentii III.* et 7 decretales absque nomine Summorum Pontificum continebat [3].

---

[1] *Schulte*, Die Compilationen Gilberts und Alanus' l. c. p. 627. sqq. Tab. A.

[2] *Schulte* l. c. p. 634. sq. Tab. B.

[3] Rubricae titulorum illius collectionis hae sunt:

Lib. I. tit. 1. de constitutionibus; 2. de rescriptis; 3. de electione et electi potestate; 4. de usu pallii; 5. de renuntiatione; 6. de translatione praelatorum; 7. de supplenda negligentia clericorum; 8. de temporibus ordinationum; 9. de aetate et qualitate praeficiendorum; 10. de filiis presbyterorum ordinandis vel non; 11. de corpore vitiatis; 12. de bigamis; 13. de off. et pot. jud. deleg.; 14. de off. et pot. jud. ord.; 15. de majoritate et obedientia; 16. de officio advocatorum; 17. de procurationibus; 18. de eo, qui gerit vicem alterius; 19. de his, quae vi metusve causa fiunt.

Lib. II. tit. 1. de judiciis; 2. de foro competenti; 3. de mutuis petitionibus; 4. de dilationibus; 5. de feriis; 6. de causa possessionis et proprietatis; 7. de restitutione exspoliatorum; 8. de dolo et contumacia; 9. de eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae; 10. ut lite pendente nihil innovetur; 11. de probationibus; 12. de exceptionibus; 13. de testibus et attestationibus; 14. de testibus cogendis; 15. de fide instrumentorum; 16. de jurejurando; 17. de sententiis et re judicata; 18. de appellationibus; 19. de confirmatione utili vel inutili.

Lib. III. tit. 1. de cohabitatione clericorum et mulierum; 2. de clericis conjugatis; 3. de praebendis; 4. de clerico aegrotante; 5. de institutionibus; 6. de concessione praebendae non vacantis; 7. de his, quae fiunt a praelato sine consensu clericorum; 8. de his, quae fiunt a majore parte capituli; 9. de rebus ecclesiae alienandis vel non; 10. de emtione et venditione; 11. de locatione et conductione; 12. de rerum permutatione; 13. de pignoribus; 14. de testamentis; 15. de sepulturis; 16. de parochiis et alienis parochianis; 17. de decimis; 18. de regularibus et transeuntibus ad religionem; 19. de conversione conjugatorum; 20. de conversione infidelium; 21. de voto et voti redemptione; 22. de statu regularium; 23. de capellis monachorum; 24. de jure patronatus; 25. de censibus; 26. de ecclesiis aedificandis.

Lib. IV. tit. 1. de sponsalibus; 2. de desponsatione impuberum; 3. de clandestina desponsatione; 4. qui clerici vel voventes matrimonium contrahere non possunt; 5. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium; 6. de cognatione spirituali; 7. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae; 8. de consanguinitate et affinitate; 9. de frigidis et maleficiatis et impotentibus. 10. de clandestina desponsatione (per errorem pro: de matrimonio contracto contra interdictum

Collectio haec etiam glossata est, et quidem verosimiliter ab ipso Gilberto [1].

Quae collectio serius a Gilberto appendicem, sub inscriptione: *Extra titulos,* accepit, cujus fragmentum, quod in codice ms. bibliothecae *Fuldensis* (D. 5. fol. mbr. saec. XIII.) exstat, 31 decretales Papae *Innocentii III.* continet, quarum novissima ex ineunte a. 1205 provenit [2].

Gilbertus in collectione sua, uti *Rainerius* (supra § 61.), in decretalibus, quas adduxit, constanter *tempus* et *locum,* quo eae datae fuerunt, omisit; quod post eum etiam alii observaverunt [3].

§ 63. Collectiones Alani [4].

Alanus, natione Anglus, juris canonici in Bononiensi Universitate professor [5], c. a. 1208 collectionem decretalium, ad instar Breviarii Extravagantium Bernardi Papiensis dispositam, adornavit, quae in capp. 290 unum effatum *S. Hieronymi,* unum canonem synodi *Triburiensis* a. 895 itemque unum synodi *Turonensis* a. 1163, unam decretalem *Eugenii III.,* 40 decretales *Alexandri III.,* 17 *Lucii III.,* 2 *Urbani III.,* 2 *Gregorii VIII.,* 5 *Clementis III.,* 15 *Coelestini III.* et 105 *Innocentii III.* comprehendit [6].

Ecclesiae); 11. qui filii sint legitimi; 12. qui matrimonium accusare possunt; 13. de divortiis; 14. de secundis nuptiis.

Lib. V. tit. 1. de accusationibus; 2. de simonia; 3. de Judaeis et Sarracenis; 4. de haereticis; 5. de homicidio casuali vel voluntario; 6. de clericis pugnantibus in duello; 7. de falsariis; 8. de clericis pugnantibus; 9. de clerico maledico; 10. de eo, qui furtive ordinem suscepit; 11. de excessibus praelatorum in subditos; 12. de privilegiis; 13. de poenitentiis et remissionibus; 14. de sententia excommunicationis (et) absolutionis; 15. de sententiis interdicti; 16. de baptismo puerorum. (*Schulte,* Die Compilationen Gilberts und Alanus', in citt. relatt. sess. tom. LXV. 635. sqq. Tabula C.)

[1] *Schulte* l. c. p. 613. sqq. — Canonista *Bernardus Compostellanus antiquus* (supra p. 105.) in sua decretalium collectione (*Compilatione Romana;* infra § 64.) hanc *Gilberti* collectionem, in relatione ad Breviarium Extravagantium Bernardi Papiensis, *Compilationem secundam* appellavit. Cfr. *Schulte,* l. c. p. 613.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 84.

[2] Ejus rubricae titulorum hae sunt: 1. de electione et electi potestate; 2. de off. et pot. jud. deleg.; 3. de his, quae vi metusve causa fiunt; 4. de arbitris; 5. de restit. exspoliat.; 6. de jurejur.; 7. de sent. et re judic.; 8. de appellat.; 9. de decimis; 10. de regular. et transeunt. ad relig.; 11. de censibus; 12. de emunit. (immunit.) eccles.; 13. de spons.; 14. de divort.; 15. qui filii sunt legitimi; 16. de homicid. casuali; 17. de usurariis; 18. de falsariis; 19. de privilegiis; 20. de sent. excommunicat. (*Schulte,* Die Compilationen Gilberts und Alanus', p. 651. sqq. Tab. D.)

[3] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 84.

[4] *Schulte,* Die Compilationen Gilberts und Alanus', p. 603. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 84. sq.

[5] *Schulte* l. c. p. 188. sq.

[6] Rubricae titulorum hae sunt:

Lib. I. tit. 1. de constitutionibus; 2. de petitionibus papae offerendis; 3. de rescriptis; 4. de consuetudine; 5. de postulatione et translatione; 6. de electione et

Huic collectioni deinde additamentum apposuit, quod 56 decretales complectitur, et quidem unam *Hadriani IV.* (1154—1159), unam *Alexandri III.*, 8 *Clementis III.*, unam *Coelestini III.* et 45 *Innocentii III.*[1], quarum ultimo loco memoratarum unam, quae incipit: *Pastoralis officii diligentia*, d. d. 19. Dec. 1204[2], ad Eustachium, *Heliensem* (Ely) in Anglia episcopum, datam, pro diversitate materiae in 12 partes divisit et singulas partes seorsim in singulis capitibus congruentium titulorum collocavit, ita tamen, ut modum, quem in hac re auctor *Appendicis Concilii Lateranensis* et *Bernardus Papiensis* servaverant (cfr. supra p. 103. sq.), omiserit atque *omnibus* illis capitibus initialem hujus decretalis voculam: *Pastoralis* praefixerit et tali ratione illa capita ad se invicem pertinere indigitaverit[3].

---

electi potestate; 7. de filiis presbyterorum; 8. de servis non ordinandis; 9. de corpore vitiatis; 10. de off. et pot. jud. deleg.; 11. de appellationibus; 12. de peregrinationibus; 13. de confirmatione utili vel inutili; 14. de translatione episcoporum; 15. de majoritate et obedientia; 16. de transactionibus; 17. de arbitris.

Lib. II. tit. 1. de foro competenti; 2. ut certum petatur; 3. de feriis; 4. de causa possessionis et proprietatis in eodem judicio mota; 5. de restitutione exspoliatorum; 6. de acquirenda vel amittenda possessione; 7. de eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae; 8. de dolo et contumacia alterius partis punienda; 9. de probationibus; 10. de testibus et attestationibus; 11. de fide instrumentorum; 12. de jurejurando; 13. de praescriptionibus.

Lib. III. tit. 1. de honestate clericorum; 2. de clericis conjugatis; 3. de clericis non residentibus in eccl. praebend.; 4. de praebendis; 5. de clerico aegrotante; 6. de institutionibus; 7. de concessione ecclesiae non vacantis; 8. de his, quae fiunt a majore parte capituli; 9. de rebus ecclesiae non alienandis; 10. de emtione et venditione; 11. de rerum permutatione; 12. de testamentis; 13. de sepulturis; 14. de decimis; 15. de capellis monachorum; 16. de jure patronatus; 17. de censibus et exactionibus et procurationibus; 18. de aedificandis ecclesiis; 19. de emunitate (immunitate) ecclesiarum; 20. ne clerici immisceant se saecularibus negotiis.

Lib. IV. tit. 1. de sponsalibus et matrimonio; 2. de desponsatione impuberum; 3. de conditionibus appositis vel apponendis; 4. qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt; 5. de conjugio servorum; 6. de conjugio infidelium ad fidem venientium; 7. de cognatione spirituali; 8. de frigidis et maleficiatis; 9. de clandestina desponsatione; 10. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae; 11. de consanguinitate et affinitate; 12. qui filii sint legitimi; 13. qui matrimonium accusare possunt vel testificare; 14. de secundis nuptiis.

Lib. V. tit. 1. de accusationibus, denuntiationibus et inquisitionibus; 2. de spirituali redemtione; 3. de magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi; 4. de Judaeis et Sarracenis; 5. de schismaticis; 6. de homicidio casuali; 7. de torneamentis; 8. de usurariis; 9. de falsariis; 10. de clerico excommunicato ministrante; 11. de excessibus praelatorum in subditos; 12. de privilegiis; 13. de purgatione canonica. (*Schulte*, Die Compilationen Gilberts und Alanus', in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 653. sqq. Tabula E.)

[1] Apud *Schulte* l. c. p. 671. sqq. Tabula F.

[2] *Potthast*, Regesta Pontiff. Romm. Berol. 1874 sq., vol. I. p. 202. n. 2350.

[3] Praefata decretalis Papae *Innocenti III.*, ad Heliensem in Anglia episcopum data, quae incipit: *Pastoralis officii diligentia*, ibi divisa et per diversos titulos distributa est hoc modo:

Quod additamentum *Alanus* serius 137 novis decretalibus auxit et ita auctum cum collectione principali in unum conflavit [1].

Haec collectio *Alani* una cum superius (§ 62.) memorata collectione *Gilberti* postea ab aliquo ignoto auctore, nonnullis insuper additis, in unum conjuncta est [2].

§ 64. Collectio Bernardi Compostellani antiqui [3].

Bernardus, natione Hispanus, Compostellanus, cognomento *antiquus* [4], quum Romae in Curia moraretur, decretales Papae *Innocentii III.*, e primis decem annis ejus Pontificatus (8. Jan. 1198 u. ad 7. Jan. 1208) et unam ex undecimo, anno 1208, adhibita collectione *Gilberti* (§ 62.) in unum collegit, quam collectionem, quia Romae adornata erat, scholares Bononienses aliquamdiu *Compilationem Romanam* appellabant [5].

§ 65. Compilatio tertia [6].

Quum Papa Innocentius III. (8. Jan. 1198—16. Jul. 1216) in collectione Bernardi Compostellani nonnullas decretales perperam sibi inscriptas deprehendisset, Magistrum *Petrum Collivacinum*, patria Bene-

---

a) *De off. jud. deleg.* Pastoralis. Discussa etc.
b) *De rescript.* Pastoralis. Praeterea requisivisti etc.
c) *De off. jud. del.* Pastoralis. Quia vero saepe etc.
d) *De appellat.* Pastoralis. Quaesivisti etc.
e) *De jure patronat.* Pastoralis. Cum autem etc.
f) *De privileg. et excess. privileg.* Pastoralis. Interrogasti praeterea etc.
g) *De his, quae fiunt ab episc.* Pastoralis. Sollicite praeterea etc.
h) *De decimis.* Pastoralis. Explicari etc.
i) *De constitutt.* Pastoralis. Quaesivisti etiam etc.
k) *De exceptionibus.* Pastoralis. Quoniam autem etc.
l) *De off. jud. deleg.* Pastoralis. Statuimus etc.
m) *De non ord. ministr.* Pastoralis. Propterea nos. (Apud *Schulte*, Die Compilationen Gilberts und Alanus', in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 674.)

[1] Hujus collectionis conspectum exhibet *Schulte* l. c. p. 676 sq. Tabula G.

[2] Collectionem ita exortam, in codice ms. bibliothecae Fuldensis (D. 3 a. mbr. fol. saec. XIII.) relatam, descripsit *Schulte* l. c. p. 622. sqq. Cfr. *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 85. not. 12.

[3] *Schulte* l. c. p. 85.

[4] *Schulte* l. c. tom. I. p. 190.; tom. II. p. 118.; etiam supra p. 105.

[5] Ita testatur *Tancredus* in prooemio sui apparatus glossarum ad Compilationem III. (apud *Schulte* l. c. tom. I. p. 244.), dicens: „Magister Bernardus Compostellanus, archidiaconus in Romana curia, in qua curia moram faciens aliquantum, de regestis domini Innocentii papae unam fecit decretalium compilationem, quam Bononiae studentes *Romanam compilationem* aliquanto tempore vocaverunt."

[6] *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 222. sqq.; *Schulte*, Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 335.; *Idem*, Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 123. sqq.; *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 87. sq.; *Friedberg*, in: Quinque Compilationes antiquae, ed. cit. prolegg. p. XXIII. sqq.

ventanum (unde etiam simpliciter *Petrus Beneventanus* dici solet), subdiaconum et notarium suum, decretales suas, primis *duodecim* annis sui Pontificatus (8. Jan. 1198—7. Jan. 1210) editas, in quantum eas communi usui esse volebat, in unum colligere et sub consuetis titulis disponere jussit. Collectionem ab hoc, adhibitis collectionibus *Bernardi Compostellani antiqui, Gilberti* et *Alani* adornatam [1], Papa *Innocentius III.* approbavit et a. 1210 sub bulla: *Devotioni vestrae*, d. d. 28. Dec. 1210 [2], magistris et scholaribus Bononiae commorantibus transmisit, declarans, decretales, in ea relatas, esse genuinas, et praecipiens, ut ipsae absque ulla dubitatione tum in judiciis, tum in scholis adhiberentur [3].

Quae transmissio hujus collectionis ad Bononiensem Universitatem nequaquam forte ad eum finem facta est, ut collectio illa a Bononiensi Universitate approbaretur et universali valore muniretur; id quod naturae et indoli juris canonici ac jurisdictioni Ecclesiae et Summi Pontificis omnino adversaretur; sed ad eum finem, ut collectio haec per celeberrimam illam Universitatem, ad quam tanta multitudo scholarium, juris canonici et civilis studiosorum, ex universa fere Europa confluebat, explanaretur et sic in communem notitiam deduceretur [4].

---

[1] Relationem hujus collectionis ad *Gilberti* et *Alani* collectiones in specie exhibet *Schulte,* Die Compilationen Gilberts und Alanus', in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 695. Tabula K. Cfr. *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 88.

[2] *Potthast*, Regesta Pontiff. Romm., vol. I. p. 358. n. 4157. Quae bulla, in fronte ipsius collectionis posita, sonat, ut sequitur: „Innocentius III. P. S. S. D. [Pontifex, servus servorum Dei] universis magistris et scholaribus Bononiae commorantibus salutem et apostolicam benedictionem.“ „Devotioni vestrae insinuatione praesentium innotescat, decretales epistolas a dilecto filio magistro P., subdiacono et notario nostro, compilatas fideliter et sub competentibus titulis collocatas, in nostris usque ad XII. annum contineri registris, quas ad cautelam vobis sub bulla nostra duximus transmittendas, ut eisdem absque quolibet dubitationis scrupulo uti possitis, cum opus fuerit, tam in judiciis, quam in scholis.“

[3] De quo *Tancredus* l. c. (apud *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 244.) refert, ut sequitur: „Quia in ipsa compilatione (sc. Bernardi Compostellani antiqui) quaedam reperiebantur decretales, quas Romana curia refutabat, . . . idcirco felicis recordationis dominus Innocentius Papa III. suas decretales, usque ad annum XII. editas, per magistrum P. Beneventanum, notarium suum, in praesenti opere compilatas, Bononiae studentibus destinavit.“

[4] Notanda etiam hic sunt, quae de transmissione collectionis decretalium Papae *Gregorii IX.* a. 1234, ab hoc ad eandem Universitatem Bononiensem facta, observavit *Schulte* (Die Lehre von den Quellen des katholischen Kirchenrechts, p. 341.), dicens: „Die Publication durch Zusendung an die Universität Bologna hat . . . nicht etwa den Zweck gehabt, die Decretalen durch die Schule recipiren und dadurch zu allgemeiner Geltung bringen zu lassen. Diese bisweilen ausgesprochene Ansicht . . . widerspricht . . . dem Geiste des Kirchenrechts überhaupt (vgl. §§ 41. 42, sc. hujus operis ipsius) und erweist sich schon historisch als falsch wegen der Stellung der Päpste in jener Zeit. Ihre genügende Erklärung findet diese Form der Publication einerseits in der Stellung und Bedeutung der Juristenschule zu Bologna, welche der neuen Sammlung sofortige allgemeine Kenntniss,

Dicitur collectio haec, inde ab illo tempore, quo *Compilatio secunda,* inferius (§ 66.) adducenda, prodiit, communiter *Compilatio tertia* [1].

Divisa est, ad instar Compilationis primae, in quinque *libros,* qui subdivisi sunt in *titulos,* summatim 123; porro tituli subdivisi sunt in *capita,* universim 479 [2].

Verbreitung und wissenschaftliche Behandlung sicherte, sodann in dem von Gregor selbst (idem valet etiam de Papa Innocentio III. circa hanc collectionem) angedeuteten Zwecke, die Schule der unbedingten Authenticität der Decretalen zu versichern." Cfr. cum his ea, quae idem auctor circa eandem hanc rem dicit in suo opere: Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 85. sq.

[1] *Tancredus* in prooemio ad suum apparatum glossarum hujus Compilationis (apud *Schulte,* Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 123. sq.; item in: Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 244.); *Joan. Andreae,* Novella comment. in Papae Gregor. IX. Quinque decretalium Libros, in bullam publicat.: *Rex pacificus,* d. d. 5. Sept. 1234, v. *Gregorius,* I. n. 16. (ed. Venet. 1612, tom. I. fol. 3.b col. 2.).

[2] Liber I. habet titt. 26 et capp. 120; lib. II. titt. 20 et capp. 107; lib. III. titt. 38 et capp. 122; lib. IV. titt. 16 et capp. 37; lib. V. titt. 23 et capp. 93.

Rubricae titulorum sunt, ut sequitur:

Lib. I. tit. 1. de constitutionibus; 2. de rescriptis et eorum interpretationibus; 3. de consuetudine; 4. de postulatione; 5. de translatione episcopi, et electi; 6. de electione et electi potestate; 7. de auctoritate et usu pallii; 8. de renuntiatione; 9. de temporibus ordinationum et qualitate ordinandorum et ordine praeficiendorum; 10. de scrutinio faciendo; 11. de sacra unctione; 12. de sacramentis non iterandis; 13. de corpore vitiatis; 14. de bigamis non ordinandis; 15. de servis ordinandis; 16. de clericis peregrinis; 17. de officio vicarii; 18. de off. judicis delegati; 19. de off. legati; 20. de off. judicis ordinarii; 21. de majoritate et obedientia; 22. de procuratoribus; 23. de iis, quae vi metusve causa fiunt; 24. de restitutione in integrum; 25. de arbitris; 26. de juramento calumniae.

Lib. II. tit. 1. de judiciis; 2. de foro competenti; 3. ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel diffinitivam sententiam; 4. de ordine conditionum (cognitionum?); 5. de causa possessionis et proprietatis; 6. de restitutione spoliatorum; 7. de dolo et contumacia; 8. de eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae; 9. de sequestratione possessionis et fructuum; 10. de confessis; 11. de probationibus; 12. de testibus et attestationibus; 13. de fide instrumentorum et decretalium; 14. de praesumptionibus; 15. de jurejurando; 16. de exceptionibus; 17. de praescriptionibus; 18. de sententiis et re judicata; 19. de appellationibus; 20. de confirmatione utili vel inutili.

Lib. III. tit. 1. de vita et honestate clericorum; 2. de cohabitatione clericorum et mulierum; 3. de clericis conjugatis; 4. de clericis non residentibus praebendatis in ecclesia; 5. de praebendis, et dignitatibus clericorum; 6. de clerico aegrotante et debilitato; 7. de institutionibus; 8. de concessione praebendae et dignitatis vel ecclesiae non vacantis; 9. ne sede vacante aliquid innovetur; 10. ut ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur; 11. de his, quae conceduntur ab episcopo sine consensu capituli; 12. de his, quae fiunt a majori parte capituli; 13. de rebus ecclesiae alienandis vel non; 14. de emptore; 15. de rerum permutatione; 16. de feudis; 17. de pignoribus; 18. de donationibus; 19. de testamentis; 20. de successionibus ab intestatis; 21. de sepulturis; 22. de parochiis et aliis parochianis; 23. de decimis; 24. de regularibus, transeuntibus ad religionem; 25. de conversione conjugatorum; 26. de voto et voti redemptione; 27. de statu monachorum et canonicorum regularium; 28. de religiosis domibus, ut episcopis sint subjectae; 29. de capellis clericorum et monachorum; 30. de jure patronatus; 31. de dedicatione ec-

Rubricae titulorum hujus Compilationis longe plurimae cum rubricis titulorum Compilationis primae omnino concordant [1]. Aliae ab illis aliquantum differunt [2], et aliae omnino *novae* sunt [3], quae quidem sive e *Gilberti* sive ex *Alani* collectione depromptae fuerint. Vicissim autem in hac Compilatione haud paucae rubricae titulorum primae Compilationis omnino desunt [4].

Citari Compilatio *tertia* simili modo solet, ac supra Compilationem *primam* citari diximus. V. g. Extr. III. de appellat. c. Ex parte; — Comp. III. c. 5. de appellat. II. 19.

Uti priores Compilatores facere consueverant, ita etiam Petrus Beneventanus e decretalibus, quas in singulis capitibus ponendas censuit, illa, quae ei vel omnino superflua esse vel certe non ad illum *titulum* pertinere videbantur, omisit et hujusmodi omissionem in textu capitum voculis: *et infra, et j.,* vel *etc.* indicavit [5].

---

clesiarum vel altarium; 32. de immunitate ecclesiarum; 33. de celebratione Missae et sacramento Eucharistiae et aqua, quae exivit de latere Christi; 34. de baptismo et ejus effectu; 35. de observantia jejuniorum; 36. de purificatione post partum; 37. de censibus, exactionibus et procurationibus; 38. ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.

Lib. IV. tit. 1. de sponsalibus et matrimoniis; 2. de desponsatione impuberum; 3. de sponsa duorum; 4. de conditionibus appositis in desponsationibus; 5. qui voventes matrimonium contrahere possunt; 6. de eo, qui duxit in matrimonium eam, quam prius polluit per adulterium; 7. de conjugio servorum et impari conditione; 8. de cognatione spirituali; 9. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae; 10. de consanguinitate et affinitate, et publicae honestatis justitia; 11. de impotentia coëundi; 12. qui filii sunt legitimi; 13. qui matrimonium accusare possunt, vel contrario testificari; 14. de divortiis; 15. de dote amittenda vel post divortium restituenda; 16. de secundis nuptiis.

Lib. V. tit. 1. de accusationibus et denuntiationibus et inquisitionibus; 2. de simonia; 3. de Judaeis; 4. de haereticis; 5. de schismaticis et ordinatis ab eis; 6. de apostatis; 7. de homicidio; 8. de adulteriis; 9. de raptoribus; 10. de usuris; 11. de falsariis; 12. de clerico excommunicato vel interdicto ministrante, vel beneficium repetente; 13. de clerico per saltum promoto; 14. de excessibus praelatorum in subditis; 15. de novi operis nuntiatione; 16. de privilegiis et indulgentiis; 17. de purgatione canonica; 18. de purgatione vulgari; 19. de poenis; 20. de poenitentiis; 21. de sententia, et excommunicatione; 22. de presbytero non baptizato; 23. de verborum significatione. (Antiquae Collectiones decretalium, cum *Ant. Augustini,* episcopi Ilerdensis, notis, ed. Ilerd. 1576, fol. 124. b sqq.)

[1] Cfr. v. g. Comp. III. lib. I. titt. 1.—3. cum Comp. I. lib. I. titt. 1.—3.; Comp. III. lib. II. titt. 1. 2. cum. Comp. I. lib. I. titt. 1. 2.; Comp. III. lib. IV. tit. 1. 2. cum Comp. I. lib. IV. titt. 1. 2.

[2] Cfr. v. g. Comp. III. lib. I. tit. 9. cum Comp. I. lib. I. tit. 6. et tit. 8.; item Comp. III. lib. I. tit. 6. cum Comp. I. lib. I. tit. 4.

[3] Uti lib. I. titt. 4. 5. 7., 10.—12.; lib. II. titt. 3., 9., 10. et 16.; lib. III. titt. 9., 10., 33.—36.; lib. IV. tit. 16. et lib. V. titt. 12. et 15.

[4] Uti v. g. Comp. I. lib. I. titt. 7., 9., 11., 15.—19., 24.—27., 32. Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 87.

[5] Cfr. v. g. c. 2. de auctor. et usu pall. I. 7.; c. 1. 2. de cler. peregrin. I. 16.; c. 3. de arbitr. I. 25.

Porro Petrus Beneventanus in divisione decretalium, de diversis materiis agentium, atque in designatione hujusmodi partium alicujus decretalis ita divisae omnino secutus est *Alanum* (cfr. supra p. 110.). Qua ratione Papae *Innocentii III.* decretalis: *Pastoralis officii,* d. d. 19. Dec. 1204, ad Heliensem (Ely) in Anglia episcopum directa, uti in collectione *Alani,* ita etiam in Compilatione III. in *duodecim* partes divisa et singulae partes istae in peculiaribus capitibus positae atque singulis hujusmodi capitibus initiales voces illius decretalis: *Pastoralis officii* praemissae sunt [1].

Compilatio haec, uti e supra dictis elucet, fuit collectio juris canonici *publica* seu *legalis;* id quod etiam Papa *Benedictus XIV.* in supra laudata const.: *Jam fere sextus,* in fronte ejus Bullarii posita (cfr. supra p. 104.) expresse enuntiavit. Et hinc, quae ibi comprehendebantur decretales et constitutiones pontificiae, hoc ipso, quod ibi comprehendebantur, valorem legis ecclesiasticae universalis habebant.

Glossas ad Compilationem tertiam adornaverunt jam supra memorati canonistae *Laurentius, Joannes Galensis, Lanfrancus, Vincentius* et *Tancredus* [2], et hic quidem, uti ipse refert [3], dum adhuc erat Bononiensis canonicus, et hinc certe ante diem 31. Jan. 1226, qua mandante Papa Bononiensis archidiaconus factus est. Porro haud diu post celebratum generale Concilium Lateranense IV. (die 11.—30. Nov. 1215) [4], et Papa *Innocentio III.* († 16. Jul. 1216) jam mortuo [5], et antequam Compilatio *quarta* (infra § 67.) adornata esset [6], ergo verosimiliter a. 1216 vel 1217 [7]. Qui apparatus glossarum, a Tancredo adornatus, hujus Compilationis usque ad publicationem collectionis decretalium Papae Gregorii IX. glossa ordinaria fuit [8].

---

[1] Vide Comp. III. c. 7. de off. jud. deleg. I. 18., ubi refertur prima pars illius decretalis; porro sequentia capita, in quibus ulteriores partes illius decretalis referuntur, videlicet: c. 3. de rescript. I. 2.; c. un. de sacramm. non iterand. I. 12.; c. 5. de off. jud. ord. I. 20.; c. 3. de fid. instrum. II. 13.; c. 3. de except. II. 16.; c. 11. de appellat. II. 19.; c. 3. de his, quae conced. ab episc. III. 11.; c. 4. de donatt. III. 18.; c. 4. de decim. III. 23.; c. 4. de jure patronat. III. 30.; c. 9. de privileg. V. 16.

[2] *Schulte,* Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 131.

[3] In prooemio hujus sui apparatus glossarum (apud *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 244.).

[4] Ait enim l. c.: „Constitutiones *concilii proxime celebrati* (sc. Lateranensis IV.) . . . diligentissime collocabo."

[5] Utitur enim ibidem de Papa *Innocentio III.* his verbis: „*Felicis recordationis* dominus Innocentius papa III. suas decretales usque ad annum XII. editas per magistrum P. Beneventanum, notarium suum, in praesenti opere compilatas Bononiae studentibus destinavit."

[6] Id inde colligitur, quod Tancredus in hoc suo apparatu glossarum nullam prorsus istius quartae Compilationis mentionem facit, immo canones praefati Concilii generalis Lateranensis IV., qui tamen recte in Compilatione quarta referuntur, se in illo apparatu collocaturum dicit.

[7] Cfr. *Schulte,* Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 132. sqq.

[8] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 119. sqq.; *Idem,* Literatur-

§ 66. Compilatio secunda [1].

Mox post evulgatam Compilationem *tertiam*, supra memoratam, *Joannes*, e Walesio (Wales) in Anglia oriundus et hinc *Joannes Galensis (Walensis)* dici solitus [2], decretales, tempore inter Compilationem *primam* et *tertiam* intermedio editas, nimirum Summorum Pontificum *Clementis III.* (1187—1191) et *Coelestini III.* (1191—1198), et praeterea multas decretales et alias auctoritates ecclesiasticas, quae quidem jam ante Compilationem primam editae, in hanc autem receptae non erant, nominatim plures decretales *Alexandri III.* (1159—1181), *Lucii III.* (1181—1185), *Urbani III.* (1185—1187) et *Gregorii VIII.* (1187), adhibitis collectionibus *Gilberti* (supra § 62.) et *Alani* (supra § 63.), in unum collegit. Quae collectio, ad instar Compilationis primae disposita, mox ab Universitate Bononiensi recepta et, quia materiam, pertinentem maxime ad tempus inter Compilationem primam (§ 59.) et praefatam collectionem, jussu Papae *Innocentii III.* adornatam (§ 65.), complectebatur, licet, quod tempus suae *originis* attinet, demum post hanc collectionem Papae *Innocentii III.* orta esset, *Compilatio secunda*, etiam *Decretales secundae* vel *mediae* appellata est, dum praefata collectio, jussu Papae *Innocentii III.* composita, *Compilationis tertiae* nomen obtinuit [3].

Divisa est in consuetos quinque *libros*, libri subdivisi sunt in *titulos*, summatim 153, et tituli in *capita*, universim 331 [4].

---

geschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 78. sqq. Codices mss. hujus Compilationes plures noti sunt. Eos refert *Schulte* l. c. p. 76. sq.; *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 88. not. 9. *Impressa* est in: Antiquae Collectiones decretalium cum *Ant. Augustini*, episcopi Ilerd., notis, ed. Ilerdae 1576, fol. 124. sqq.; ed. Paris. 1609, p. 226. sqq.; *Ant. Augustini* Opp., ed. Luc. 1765 sqq., tom. IV.; item, attamen solummodo quoad illa capita, quae in decretalium collectionem Papae *Gregorii IX.* a. 1234 recepta non sunt, in: Quinque Compilationes antiquae, ed. cit. p. 105. sqq.

[1] *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 226. sqq.; *Schulte*, Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 123. sqq.; *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 88. sq., p. 189., p. 244. sq.; *Friedberg*, in: Quinque Compilationes antiquae, ed. cit. prolegg. p. XXVI. sqq.

[2] *Schulte* l. c. p. 189.

[3] De quo *Tancredus* in prooemio sui apparatus glossarum ad Compilationem III. (apud *Schulte* l. c. p. 244.) refert, ut sequitur: „*Johannes Galensis* decretales omnium apostolicorum, qui praecesserant Innocentium, de dictis compilationibus *Gilberti* et *Alani* extrahens, quandam compilationem ordinavit, quae hodie *mediae* sive *secundae decretales* dicuntur." Inde ab hoc tempore *Gilberti* collectio (cfr. supra p. 109. not. 1.) *Compilatio secunda* dici desiit. Cfr. *Schulte*, Die Compilationen Gilberts und Alanus', in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 612. Relationem Compilationis secundae *Joannis Galensis* ad collectiones *Gilberti* et *Alani* exhibet *Schulte* l. c. p. 606. sqq. et p. 691. sqq.

[4] Liber I. habet titt. 20 et capp. 60; lib. II. titt. 21 et capp. 82; lib. III. titt. 27 et capp. 81; lib. IV. tit. 15 et capp. 41 atque lib. V. titt. 23 et capp. 67. Rubricae illorum titulorum sunt hae:

Lib. I. tit. 1. de constitutionibus; 2. de rescriptis; 3. de electione et electi

Citatur Compilatio illa simili modo ac *prima* et *tertia*. V. g. Extr. II. de cognat. spirit. c. Martinus; — Comp. II. c. 1. de cognat. spirit. IV. 6.

Nonnullae rubricae titulorum hujus Compilationis nec in *prima* nec in *tertia* Compilatione occurrunt, sed omnino *novae* sunt [1]. Aliae

---

potestate; 4. de usu pallii; 5. de renuntiatione; 6. de supplenda negligentia praelatorum; 7. de temporibus ordinationum; 8. de aetate et qualitate praeficiendorum; 9. de filiis presbyterorum; 10. de corpore vitiatis; 11. de bigamis; 12. de off. et pot. judicis delegati; 13. de off. legati; 14. de off. jud. ordinarii; 15. de majoritate et obedientia; 16. de transactionibus; 17. de off. advocatorum; 18. de procuratoribus; 19. de his, quae metus causa fiunt; 20. de arbitris.

Lib. II. tit. 1. de judiciis; 2. de foro competenti; 3. de mutuis petitionibus; 4. de dilationibus; 5. de feriis; 6. de causa proprietatis et possessionis; 7. de restitutione spoliatorum; 8. de eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae; 9. ut lite pendente nihil innovetur; 10. de probationibus; 11. de exceptionibus; 12. de testibus; 13. de testibus cogendis; 14. de fide instrumentorum; 15. de praesumptionibus; 16. de jurejurando; 17. de praescriptionibus; 18. de sententiis et re judicata; 19. de appellationibus; 20. de peregrinantibus; 21. de confirmatione utili vel inutili.

Lib. III. tit. 1. de vita et honestate clericorum, et cohabitatione mulierum; 2. de clericis conjugatis; 3. de clericis non residentibus in ecclesia praebendaria; 4. de praebendis; 5. de clerico aegrotante; 6. de institutionibus; 7. de concessione praebendarum; 8. de iis, quae fiunt a praelatis sine consensu capituli; 9. de iis, quae fiunt a majore parte capituli; 10. de rebus ecclesiae alienandis vel non; 11. de emptione et venditione; 12. de locatione et conductione; 13. de rerum permutatione; 14. de testamentis; 15. de sepulturis; 16. de parochiis et alienis parochianis; 17. de decimis; 18. de regularibus, et transeuntibus ad religionem; 19. de conversione conjugatorum; 20. de conversione infidelium; 21. de voto et voti redemptione; 22. de statu regularium; 23. de capellis monachorum; 24. de jure patronatus; 25. de censibus et exactionibus et procurationibus; 26. de ecclesiis aedificandis; 27. de immunitate ecclesiae et coemeterii.

Lib. IV. tit. 1. de sponsalibus et matrimoniis; 2. de desponsatione impuberum; 3. de clandestina desponsatione; 4. qui clerici vel voventes matrimonium contrahere non possunt; 5. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium; 6. de cognatione spirituali; 7. de eo, qui cognovit consanguineam suae uxoris; 8. de consanguinitate et affinitate; 9. de frigidis et maleficiatis; 10. de matrimonio contra interdictum ecclesiae contracto; 11. qui sunt filii legitimi; 12. qui matrimonium accusare vel testificari possunt; 13. de divortiis; 14. de dote post divortium restituenda.

Lib. V. tit. 1. de accusationibus; 2. de simonia; 3. de magistris, et ne aliquid exigatur ab eis; 4. de Judaeis et Sarracenis et eorum servis; 5. de his, qui filios occiderunt; 6. de homicidio voluntario seu casuali; 7. de torneamentis; 8. de clericis pugnantibus in duello; 9. de falsariis; 10. de clerico percussore; 11. de clerico maledico; 12. de eo, qui furtive ordines suscepit; 13. de excessibus praelatorum in subditos; 14. de privilegiis et excessibus privilegiatorum; 15. de purgatione canonica; 16. de purgatione vulgari; 17. de poenitentiis et remissionibus; 18. de sententia excommunicationis et absolutionis; 19. de baptismo puerorum; 20. de consecratione ecclesiae vel altaris; 21. de veneratione sanctorum; 22. de suffraganeis (suffragiis?); 23. de verborum significatione. (Antiquae Collectiones decretalium, cum *Ant. Augustini,* episcopi Ilerdensis, notis, ed. Ilerd. 1576, fol. 85. b sqq.)

[1] Ita v. g. lib. I. tit. 6.: de supplenda negligentia praelatorum; lib. II. tit. 4.: de dilationibus; lib. III. tit. 12.: de locatione et conductione, et tit. 20.:

nonnullae tantummodo ex parte a rubricis priorum Compilationum differunt [1]. Reliquae rubricae cum rubricis priorum Compilationum omnino congruunt.

Porro nonnullae rubricae in hac Compilatione *alio loco* quam in prioribus illis positae sunt [2].

Decretales, de diversis materiis agentes, Joannes Galensis in totidem partes divisit et singulas partes in singulis capitibus collocavit; quae capita tanquam ad se invicem pertinentia designavit partim more auctoris *Appendicis* Concilii Lateranensis (§ 55.), apponendo scilicet illis capitibus voc.: *pars capituli* N. [3], partim more *Alani* (§ 63.) et *Petri Beneventani* (§ 65.), praefigendo videlicet illis capitibus initialem voculam decretalis, cujus recte fragmentum in eis refertur [4].

Inscriptiones plurium capitum *Joannes Galensis* correxit [5]. Item nonnulla capita e titulis, in quibus a prioribus collectoribus posita erant, in alios, magis congruos, transposuit [6].

---

de conversione infidelium; lib. V. tit. 21.: de veneratione sanctorum, et tit. 22.: de suffraganeis (*recte:* „de suffragiis", uti etiam in not. marg. ad hunc titulum observatur in: Antiquae Collectiones Decretalium cum Ant. Augustini, episc. Ilerd., notis, ed. Ilerd. 1576, fol. 124., et etiam e capp. 1. 2. h. t. colligitur, quippe quae de persolutione horarum canonicarum et celebratione ac auditione Missarum praecipiant). Quos duos titulos ultimo memoratos *Schulte* (Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 89. not. 15.) minus recte dicit in Collectionem decretalium Papae *Gregorii IX.* non transiisse, quum contrarium eluceat e dictae collectionis lib. III. tit. 45.: „de reliquiis et veneratione Sanctorum", atque tit. 41.: „de celebratione Missarum et Sacramento Eucharistiae et divinis officiis".

[1] Cfr. v. g. Comp. II. lib. III. tit. 8. cum Comp. III. lib. III. tit. 11. et Comp. I. lib. III. tit. 9.; item Comp. II. lib. I. titt. 7. et 8. cum Comp. III. lib. I. tit. 9. et Comp. I. lib. I. titt. 6. et 8.

[2] Qua ratione v. g. Comp. III. lib. III. tit. 31.: „de dedicatione ecclesiarum vel altarium", tit. 33.: „de celebratione Missae et sacramento Eucharistiae et aqua, quae exivit de latere Christi", et tit. 34.: „de baptismo et ejus effectu", — sunt in Comp. II. lib. V. tit. 20.: „de consecratione ecclesiae vel altaris", tit. 22.: „de suffraganeis" (suffragiis), et tit. 19.: „de baptismo puerorum".

[3] Qua ratione v. g. Comp. II. c. 4. de eo, qui cogn. IV. 7., quod refert decretalem *Coelestini III.*, designatum est ceu „pars cap. *Martinus Bertam*", quod est c. 1. de cognat. spirit. IV. 6. — Item Comp. II. c. un. de except. II. 11. *(Coelestinus III.)*, atque c. 2. Qui cler. vel vovent. IV. 4. signantur voce: *„pars* c. *Laudabilem"*, quod est c. 3. de cognat. spirit. IV. 6. Porro Comp. II. c. 14. de appellat. II. 19. *(Coelestinus III.)* designatur ceu „pars c. *A nobis fuit*", quod est c. 10. de sent. excomm. V. 18., perperam tamen inscriptum: *Clemens III.*, pro: *Coelestinus III.* (Cfr. *Richter* ad cap. 21. X. de sent. excomm. V. 39. not. 24.)

[4] Ita v. g. sequentibus capitibus: cap. 2. de convers. infid. III. 20., c. 2. Ut lite pend. II. 9. et c. 3. de frigid. et malef. IV. 9., quae referunt partes decretalis *Coelestini III.: Laudabilem*, cujus initium refertur in cap. 3. de cognat. spirit. IV. 6., praefixa est voc.: *„Laudabilem"* etc. (Cfr. *Richter* ad c. 1. X. de convers. infid. III. 33. not. 2.)

[5] *Schulte,* Die Compilat. Gilberts u. Alanus', in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 608.

[6] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 89.

Porro et ipse, uti *Gilbertus* et *Alanus,* in decretalibus constanter *tempus* et *locum* datae omisit [1].

In reliquum in adornanda hac Compilatione *Joannes Galensis* eundem modum observavit ac *Bernardus Papiensis* et *Petrus Beneventanus.*

Sane, in hac Compilatione multa adducuntur, quae non solum ad continuandam, sed etiam ad complendam *Compilationem primam* spectant [2], immo et multa, quae ad ipsum Decretum Gratiani complendum pertinent [3]; quorum utique magnam partem Joannes Galensis in *Gilberti* et *Alani* collectionibus invenit [4].

Characterem Compilatio ista tantummodo privatum habuit, uti ex ejus origine elucet, et etiam a Papa *Benedicto XIV.* in cit. const.: *Jam fere sextus* asseritur.

Glossas ad Compilationem secundam scripserunt inter ceteros *Joannes Galensis* ipse, porro *Alanus, Laurentius, Vincentius, Bernardus Compostellanus antiquus*, et *Tancredus*, cujus apparatus glossarum hujus Compilationis usque ad publicationem collectionis decretalium Papae Gregorii IX. a. 1234 glossa ordinaria fuit [5].

---

[1] Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 84.

[2] Cfr. v. g. Comp. II. c. 1. de aetat. et qual. I. 8.; c. 1. 2. de fil. presbyt. I. 9.; c. 1. 2. de off. et potest. jud. deleg. I. 12.; c. 1. de off. jud. ord. I. 14.; c. 1.—4. de transact. I. 16.; c. 1. de procuratt. I. 18.; c. 1. 2. de arbitr. I. 20.; c. 2. de jud. II. 1.; c. 1.—4. de for. comp. II. 2.; c. 1.—3. de fer. II. 5.; c. 1.—4. de restit. spoliat. II. 7.; c. 1. de eo, qui mittitur in poss. II. 8.; c. 1. Ut lit. pend. II. 9.; c. 1. 2. de probatt. II. 10.; c. 2. 5. de test. II. 12.; c. 1. 2. de fid. instrum. II. 14.; c. 1.—3. de praesumpt. II. 15.; c. 1.—4. de jurejur. II. 16.; c. 1.—3. de praescript. II. 17.; c. 1.—4. de sent. et re jud. II. 18.; c. 1.—8. de appellat. II. 19.; c. un. de vit. et honest. cler. III. 1.; c. 1. de cler. conjug. III. 2.; c. 1. 2. de cler. non resid. III. 3.; c. 1. 2. de praebend. III. 4.; c. 1. 2. 4. 5. de institt. III. 6.; c. 1. de concess. praebend. III. 7.; c. 1. de empt. et vend. III. 11.; c. 1. de rer. permut. III. 13.; c. 1. 2. de testam. III. 14.; c. 1. 2. de sepult. III. 15.; c. 2. 3. de decim. III. 17.; c. 2. de regular. III. 18.

[3] C. 1. de test. II. 12. (Pal. c. 2. C. IV. qu. 2. et 3.); c. 1. de institt. III. 6. (conc. Arelat. IV. a. 813); c. 1. decim. III. 17. *(S. Hieronym.)*; c. 1. de regular. III. 18. *(S. Gregor. M.)*; c. 1. de spons. IV. 1. (conc. Tribur. a. 895); c. 1. de suffrag. V. 22. (inscriptum: *conc. Agath.*, proprie: *Hincm. Rhem. cap. 9.*, in Pal. can. 2. D. XCI.).

[4] *Schulte,* Die Compilationen Gilberts und Alanus', in citt. relatt. sess. tom. LXV. p. 606. sqq. et p. 691. sqq. Tabula I.

[5] *Schulte,* Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 113. sqq.

Codices mss. hujus Compilationis plures occurrunt. Eos refert *Schulte* l. c. tom. LXVI. p. 76.

Impressa est Compilatio ista in citato opere: Antiquae Collectiones Decretalium cum *Ant. Augustini,* episc. Ilerd., notis, ed. Ilerd. 1576, fol. 85. sqq., ed. Paris. 1609, p. 150. sqq.; *Ant. Augustini* Opp., ed. Luc. 1765 sqq., tom. IV.; atque e parte, nimirum quoad illa capita, quae in collectionem decretalium Papae *Gregorii IX.* a. 1234 recepta non sunt, in: Quinque Compilationes antiquae, ed. cit. p. 66. sqq.

§ 67. Compilatio quarta [1].

Decretales, a Papa *Innocentio III.* post publicatam Compilationem III. ultimis sex annis ejus Pontificatus (inde ab 8. Jan. 1210—16. Jul. 1216) editas, porro nonnullas, ab eo prius editas, in Compilatione III. autem non relatas, et inter has nominatim partem decretalis Papae *Innocentii III.: Ut nostrum prodeat,* Perusii, 23. Septembr. 1198 ad Mediolanensem archiepiscopum datae [2], in Compilationem III. non insertam [3], et praeterea canones Concilii generalis Lateranensis IV., 11.—30. Nov. 1215 celebrati [4], quidam auctor, nunc ignotus, in unum collegit. Quae collectio, ad instar *Breviarii Extravagantium* Bernardi Papiensis disposita, ab Universitate Bononiensi recepta et *Compilatio quarta* appellata est.

Divisa est in quinque *libros,* libri subdivisi sunt in *titulos,* summatim 62, et tituli in *capita,* universim 189 [5].

---

[1] *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 229.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 88.; *Friedberg,* in: Quinque Compilationes antiquae, prolegg. p. XXXIII. sq.

[2] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm. vol. I. p. 36. sq. n. 377.

[3] Aliqua tantummodo pars illius decretalis refertur in Comp. III. cap. un. Ut eccles. beneficia sine deminut. confer. III. 10. E qua parte decretalis illius proveniunt collectionis decretalium Papae Gregorii IX. a. 1234 cap. 16. de appellat. II. 28. et cap. un. X. Ut eccl. benef. sine deminut. confer. III. 12. E reliqua hujus decretalis parte, in Compilatione III. non relata, sed in Compilationem quartam (cap. 3. de off. archid. I. 11.) inserta, adornatum est praefatae collectionis decretalium Gregorianae cap. 9. de off. archidiac. I. 23.

[4] *Potthast* l. c. p. 437.

[5] Liber I. habet titt. 18 et capp. 47; lib. II. titt. 12 et capp. 36; lib. III. titt. 19 et cap. 47; lib. IV. titt. 7 et capp. 7; lib. V. titt. 16 et capp. 52.

Rubricae illorum titulorum hae sunt:

Lib. I. tit. 1. de fide catholica; 2. de rescriptis; 3. de electione; 4. de usu et actione (auctoritate?) pallii; 5. de renuntiatione; 6. de supplenda negligentia praelatorum; 7. de temporibus ordinandorum; 8. de qualitate ordinandorum, praeficiendorum et ordinantium; 9. de filiis presbyterorum; 10. de bigamis; 11. de off. archidiaconi; 12. de off. judicis delegati; 13. de off. judicis ordinarii; 14. de majoritate et obedientia; 15. de pactis; 16. de procuratoribus; 17. de in integrum restitutione; 18. de arbitris.

Lib. II. tit. 1. de judiciis; 2. de foro competenti; 3. de restitutione spoliatorum; 4. de dolo et contumacia; 5. de confessis; 6. de probationibus; 7. de testibus; 8. de fide instrumentorum; 9. de jurejurando; 10. de praescriptionibus; 11. de sententia et re judicata; 12. de appellationibus.

Lib. III. tit. 1. de vita et honestate clericorum; 2. de praebendis; 3. de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis; 4. de his, quae fiunt a majori parte capituli; 5. de rebus ecclesiae non alienandis; 6. de fidejussoribus; 7. de pignoribus; 8. de sepulturis; 9. de decimis; 10. de regularibus et ad religionem transeuntibus; 11. de conversione conjugatorum; 12. de statu religiosorum; 13. de religiosis domibus; 14. de consecratione ecclesiae vel altaris; 15. de celebratione divini officii; 16. de baptismo et ejus effectu; 17. de immunitate ecclesiae, et ejus ornatu, et reverentia reliquiarum; 18. de censibus; 19. ne clerici saeculari negotio se immisceant.

Lib. IV. tit. 1. de sponsalibus et matrimoniis; 2. de clandestino matrimonio;

Citatur simili modo ac priores Compilationes. V. g. Extr. IV. de rescript. c. Cum contingat; — Comp. IV. c. 1. de rescript. I. 2.

Rubricae titulorum, excepta unica, lib. I. tit. 1.: *de fide catholica,* quae prorsus nova est, quoad rem cum rubricis Compilationum priorum fere congruunt. *Ordo* titulorum autem in hac Compilatione ex parte alius est, quam in proxime antecedenti Compilatione II.; is enim propius ad Compilationis III. ordinem accedit [1].

Decretales, quae de diversis materiis agunt, in totidem partes scissae et singulae partes in singulis capitibus congruorum titulorum collocatae atque singulis illis capitibus more *Alani* (§ 63.) et *Petri Beneventani* (§ 65.) initiales voces decretalis ita scissae sunt praefixae [2].

Item e decretalibus, collocatis in singulis capitibus, ea, quae haud stricte ad rem pertinere videbantur, omissa et omissiones hujusmodi voc.: *et infra,* vel *etc.* indicatae sunt [3].

---

3. de consanguinitate et affinitate, et sobole suscepta ex secundo matrimonio; 4. qui matrimonium accusare possunt.

Lib. V. tit. 1. de accusationibus et inquisitionibus; 2. de simonia; 3. de magistris; 4. de Judaeis et Sarracenis; 5. de haereticis et Manichaeis; 6. de homicidio casuali, seu voluntario; 7. de usuris; 8. de crimine falsi; 9. de clerico excommunicato ministrante; 10. de excessibus praelatorum; 11. de novi operis nuntiatione; 12. de privilegiis; 13. de poenis; 14. de poenitentiis; 15. de sententia excommunicationis; 16. de verborum significatione. (Collectio quarta decretalium, cum scholiis Joannis Teutonici et quorundam aliorum, ed. *Ant. Augustinus,* episcopus Ilerdensis, Ilerd. 1576.)

[1] Qua ratione illi, qui in Comp. II. sunt lib. V. tit. 19.: „de baptismo puerorum", tit. 20.: „de consecratione ecclesiae vel altaris", tit. 21.: „de veneratione Sanctorum" et tit. 22.: „de suffraganeis" (suffragiis?), sunt in Comp. IV. lib. III. tit. 14.: „de consecratione ecclesiae vel altaris", tit. 15.: „de celebratione divini officii", tit. 16.: „de baptismo et ejus effectu" et tit. 17.: „de immunitate ecclesiae et ejus ornatu et reverentia reliquiarum"; quemadmodum in Comp. III. sunt lib. III. tit. 31.: „de dedicatione ecclesiarum vel altarium", tit. 33.: „de celebratione Missae et Sacramento Eucharistiae et aqua, quae exivit de latere Christi", et tit. 34.: „de baptismo et ejus effectu".

[2] Qua ratione Papae *Innocentii III.* decretalis: *Quia circa* in duas partes distincta, et prior pars in c. un. de bigam. I. 10. et altera in c. 5. de privileg. V. 12. collocata est, atque etiam huic capiti voces: *Quia circa* praefixae sunt. Idem factum est de decretali: *Tua nos duxit,* cujus initium in c. 2. de consang. et affinit. IV. 3. et reliquae duae partes in c. 1. de spons. IV. 1. et in c. 3. de homicid. V. 6. positae sunt. Porro circa decretalem: *Cum in tua dioecesi,* ad Bellovacensem in Gallia episcopum directam, cujus initium refertur in c. 2. de decim. III. 9., et reliquae partes positae sunt in c. 3. de test. II. 7., in c. 2. de spons. IV. 1. et in c. un. Qui matrim. accus. poss. IV. 4. Item id factum est de illo decretalis Papae *Innocentii III.: Ut nostrum,* e parte in Comp. III. cap. un. Ut eccles. benef. sine deminut. confer. III. 10. adductae, fragmento, quod in Comp. IV. cap. 3. de off. archid. I. 11. positum est, cui pariter voces initiales illius decretalis: *Ut nostrum* praefixae sunt.

[3] Cfr. v. g. c. 5. de elect. I. 3.; c. 1. de off. archid. I. 11.; c. 2. de M. et O. I. 14.; c. 2. de simon. V. 2.

Quod spectat ad *tempus,* quo Compilatio haec exarata fuit, certum omnino est, eam exaratam fuisse ante Compilationem *quintam* Papae *Honorii III.* (1216—1227), quae a. 1226 vel certe a. 1227 adornata est [1], et quam *Joannes Andreae,* juris canonici in Universitate Bononiensi professor († 1348) [2], demum *post* Compilationem *quartam* esse adornatam testatur [3]. Porro *Schulte* [4] putat, verosimiliter eam a. 1217 vel 1218 esse compositam. Verum e verbis *Joannis Andreae,* modo memorati, qui Compilationem hanc plane a Papa Innocentio III. factam esse refert [5], colligendum est, eam vivente adhuc Papa *Innocentio III.* († 16. Jul. 1216) esse adornatam.

Characterem huic Compilationi multi canonistae [6] tantummodo *privatum* tribuunt. Verum Papa *Benedictus XIV.* eam in cit. const.: *Jam fere sextus,* in fronte tom. I. sui Bullarii [7] posita, Compilationibus decretalium auctoritate *publica* editis accenset, dum e quinque illis decretalium Compilationibus, quae Gregorianam decretalium collectionem ab a. 1234 praecesserant, tantummodo *duas* priores *privata* auctoritate editas fuisse dicit [8]. Cui sententiae Papae *Benedicti XIV.* accedit supra adducta relatio *Joannis Andreae,* secundum quam ipse Papa *Innocentius III.* hanc Compilationem fecit.

Glossas ad hanc Compilationem, et quidem mox, postquam adornata fuerat, scripsit *Joannes Teutonicus,* idem, qui etiam apparatum glossarum Decreti Gratiani composuerat [9].

---

[1] Cfr. infra § 68.

[2] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 205. sqq.

[3] In suis Novellis commentariis in Papae Gregorii IX. Quinque decretalium Libros, in cit. bullam publicationis: *Rex pacificus,* v. *Gregorius,* I. n. 16. (ed. Venet. 1612, tom. I. fol. 3.b col. 2.).

[4] Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 136; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 89.

[5] L. c. (supra not. 3.) dicens: „Ipse Innocentius per magistrum P. Beneventanum, notarium suum, compilationem fieri fecit, quae tertia dicebatur. Et fuit de decretalibus per ipsum editis usque ad XII. annum sui pontificatus. Post quam adhuc fecit quasdam alias decretales et in Concilio generali (sc. Lateranensi IV., quod simpliciter *Concilium generale* dici solet; cfr. *Doujat,* Praenott. canonn. lib. II. cap. 6. n. XI., ed. Venet. 1717, p. 133.) quasdam constitutiones, scilicet 71, de quarum ordine dicam infra de accusat. cap. Sicut. (his alludit Joannes Andreae ad suam notationem in hoc Commentario ad Collectionis Gregorianae lib. V. tit. 1. cap. 25. num. 3., ed. cit. tom. V. fol. 18.b. col. 1.), *de quibus fecit quartam Compilationem.*"

[6] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 335. sq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 90.

[7] Bullar. Rom., ed. Luxemburg. 1727 sqq., tom. XVI.

[8] Ejus verba haec sunt: „Nemo, qui jus Pontificium primis, ut ajunt, labiis solum attigerit, ignorare potest, quatuor antiquas Decretalium Collectiones, quae superioribus saeculis ab Antonio Augustino, et quintam, quae ab Innocentio Cironio in lucem emissae fuerunt, confectas fuisse, antequam Gregorius IX. suam promulgaret, quae vim et auctoritatem ad hanc usque diem perpetuo retinuit. Duae primae privato solum judicio sententiaque editae sunt; caeterae vero publica auctoritate."

[9] *Schulte,* Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 135. sqq.

§ 68. Compilatio quinta [1].

Papae *Innocentii III.* successor, *Honorius III.* (18. Jul. 1216 u. ad 18. Mart. 1227), constitutiones et decretales suas, usque ad a. 1226 emissas, una cum Imperatoris *Friderici II.* (1215—1250) constitutione, quae proprie incipit: *„In die, qua"*, communiter autem exordio omisso allegatur vocibus: *„Hac edictali lege"*, die 22. Nov. 1220 in favorem Ecclesiae edita [2], colligi jussit; quam collectionem, ad instar Com-

Codices ms. hujus Compilationis item nonnulli existunt. Eos refert *Schulte,* Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 77.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 89. not. 20.

Impressa est Compilatio haec, cum apparatu Joan. Teutonici et notis quorundam aliorum, seorsum cura Ant. Augustini, episcopi Ilerdensis, Ilerdae 1576, sub tit.: *Collectio quarta decretalium.* Quae editio saepe editioni trium priorum Compilationum post *Ant. Augustini* notas adjungi solet. Porro impressa est in citato opere: Antiquae Collectiones decretalium, ed. Paris. 1609, p. 739. sqq.; item *Ant. Augustini* Opp., ed. Luc. 1765 sqq., tom. IV. Praeterea ex parte, scilicet quoad illa capita, quae in collectionem decretalium Papae *Gregorii IX.* a. 1234 recepta non sunt, in: Quinque Compilationes antiquae, ed. cit. p. 135. sqq.

[1] *Joannes Andreae,* Novella comment. l. c. v. *Gregorius,* I. n. 16. (ed. Venet. 1716, tom. I. fol. 3. b col. 2); *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 229. sqq.; *Schulte* l. c. tom. I. p. 90. sq.; *Friedberg,* in: Quinque Compilationes antiquae, prolegg. p. XXXIV. sq.

[2] Illa constitutio, ab Imperatore *Friderico II.* die, qua a Papa *Honorio III.* coronatus est, videlicet die 22. Nov. 1220, in favorem Ecclesiae edita et a Papa *Honorio III.* eadem die approbata et confirmata verbis: „Nos vero Honorius Episcopus, servus servorum Dei, has leges, a Friderico, Romanorum Imperatore, filio nostro charissimo, pro utilitate omnium Christianorum editas, laudamus, approbamus, tanquam in aeternum valituras, et si quis ausu temerario, inimico humani generis suadente, quocunque modo has infringere tentaverit, indignationem Dei omnipotentis et beatorum Petri Pauli Apostolorum se noverit incursurum" (Bullar. Rom., ed. Taurin. 1857 sqq., tom. III. p. 374.), — praecipit de statutis et consuetudinibus, contra libertatem Ecclesiae editis, quas omnes cassat atque irritat; porro de immunitate locorum religiosorum ubicumque existentium, de fori privilegio, de Gazaris et Patarenis et aliis haereticis eorumque successoribus, de navigiis, peregrinis et advenis, quocunque locorum hospitantibus, eorumque successoribus, et de agricolarum securitatibus. Quae constitutio, quia de pluribus materiis, ut ex hoc conspectu elucet, praecipit, quandoque etiam numero plurali accipitur et voce: *constitutiones,* vel: *leges* designatur.

Initium hujus constitutionis una cum ejus inscriptione est, ut sequitur: „Fridericus, Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Marchionibus, Comitibus cunctisque populis, quos clementiae nostrae regit imperium. Salutem et gratiam."

„In die, qua de manu sacratissimi patris nostri, Summi Pontificis, recipimus imperii diadema, curavimus ad Dei et ecclesiae suae honorem edere quasdam leges, quas in praesenti pagina jussimus annotari, per totum nostrum imperium publicandas. Per imperialia vobis scripta praecipiendo mandamus, quatenus eas quisque literas in suo districtu irrefragabiliter et inconcusse servet."

„Ad decus et honorem imperii et laudem Romani Principis nihil omnino magis videtur accedere, quam ut, expurgatis quibusdam erroribus, et iniquis quorundam statutis penitus destitutis, de caetero Ecclesia Dei plena quiete vigeat et secura gaudeat libertate. Sane adeo infidelium quorundam et injustorum iniquitas abundavit, ut non dubitent contra Apostolicam disciplinam et sacros canones statuta sua confingere, contra ecclesiasticas personas et ecclesiae libertatem. Cum ergo disposi-

pilationis *primae* dispositam, approbavit et sub bulla: *Novae causarum* ab a. 1226 vel 1227 [1] ad Tancredum, Capituli cathedralis Bononiensis archidiaconum [2], transmisit, cum mandato, ut hic eam et ipse reciperet et ab aliis tum in judiciis, tum in scholis recipi curaret [3].

Quare etiam haec collectio publica seu legalis fuit; id quod etiam Papa *Benedictus XIV.* cit. const.: *Jam fere sextus* enuntiavit.

A Bononiensi Universitate recepta et *Compilatio quinta* appellata est.

Divisa est in consuetos quinque *libros*, libri subdivisi sunt in *titulos*, summatim 94, et tituli in *capita*, universim 224 [4].

---

tione divina favente nihil velit Ecclesia (quae nihil debet praeter bonum appetere), quod nobis eodem concursu et eadem non placeat voluntate: 1. Nos Fridericus, Romanorum Imperator semper Augustus, *hac edictali lege* irritamus" etc.

Plerumque tamen in operibus litterariis, uti et in hac collectione, citatio hujus constitutionis fit verbis: „*Hac edictali lege*" etc.

Constitutio illa pleno verborum tenore refertur in Corpore juris civilis, ex recens. *Dionysii Gothofredi* edito Francof. ad Moen. 1688, Part. IV. Append. col. 69. sqq.; etiam apud *Pertz,* Monumenta Germ. hist. Legg. II. 243. In reliquum de ea cfr. *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 522. sqq. et p. 532.; *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 231. sq.

[1] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm. vol. I. p. 661. n. 7684. Bulla haec refertur in hac ipsa collectione lib. I. tit. 1. cap. 1., *Innocent. Cironii* (prof. jur. can. in Acad. Tolosana, saec. XVII.) Opp., ed. *Jos. Ant. de Riegger,* Vindob. 1761—1764, tom. I. p. 7. sq.; etiam apud *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 90. not. 22., et sonat, ut sequitur: „Honorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio, magistro Tancredo, archidiacono Bononiensi, salutem et apostolicam benedictionem.

„Novae causarum emergentium quaestiones novis exigunt decisionibus terminari, ut singulis morbis, competentibus remediis deputatis, jus suum cuique salubriter tribuatur. Licet igitur a quibusdam praedecessoribus nostris per ea, quae suis temporibus sunt decisa, forma futuris negotiis provide sit relicta: quia tamen prodiga rerum natura, secundum varietates multiplicium casuum, parit quotidie novas causas: nos quasdam epistolas decretales super his, quae nostris suborta temporibus, per nos vel fratres nostros decidimus, vel etiam aliis de ipsorum consilio commisimus decidenda, compilari fecimus; et tibi sub bulla nostra duximus destinandas: quocirca discretioni tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus eis solenniter publicatis absque ullo scrupulo dubitationis utaris, et ab aliis recipi facias, tam in judiciis, quam in scholis."

[2] Is, primum dicti Capituli simplex canonicus, mandante die 31. Jan. 1226 Papa *Honorio III.* ejusdem Capituli *archidiaconus* factus est. Cfr. *Schulte* l. c. tom. I. p. 90. not. 23.; tom. II. p. 7. not. 11.

[3] Cfr. *Savigny* l. c. tom. V. p. 117. sq. et tom. III. p. 223. sqq.

[4] Lib. I. habet titt. 25 et capp. 59; lib. II. titt. 20 et capp. 54; lib. III. titt. 27 et capp. 66; lib. IV. titt. 3 et capp. 5 atque lib. V. titt. 19 et capp. 40.

Rubricae titulorum sunt, ut sequitur:

Lib. I. tit. 1. de constitutionibus; 2. de rescriptis; 3. de consuetudine; 4. de postulatione praelatorum; 5. de electione et electi potestate; 6. de auctoritate et usu pallii; 7. de renuntiatione; 8. de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum; 9. de sacramentis non iterandis; 10. de corpore vitiatis; 11. de filiis presbyterorum; 12. de clericis peregrinis; 13. de off. archidiaconi; 14. de off. vicarii; 15. de off. et pot. judicis delegati; 16. de off. et pot. judicis ordinarii; 17. de treuga et pace; 18. de majoritate et obedientia; 19. de pactis; 20. de transactionibus; 21. de postulando; 22. de procuratoribus; 23. de in integrum restitutione; 24. de arbitris; 25. de juramento calumniae.

Citatur simili modo ac priores Compilationes. V. g. Extr. V. de auctor. et usu pall. cap. Tua nos; — Comp. V. cap. un. de auctor. et usu pall. I. 6.

Rubricae titulorum hujus Compilationis omnes jam in prioribus Compilationibus occurrunt.

Ordo titulorum Compilationis hujus propius ad ordinem Compilationis III. et IV., quam ad ordinem Compilationis II. accedit [1].

Quod attinet divisionem decretalium et constitutionum ampliorum in plures partes et harum collocationem in peculiaribus capitibus, et horum capitum designationem, auctor hujus Compilationis omnino secutus est modum, ab Alano et ab auctoribus Compilationis tertiae et quartae (cfr. supra p. 121.) observatum [2].

Lib. II. tit. 1. de judiciis; 2. de foro competenti; 3. de mutuis petitionibus; 4. de dilationibus; 5. de ordine cognitionis; 6. de causa possessionis et proprietatis; 7. de restitutione spoliatorum; 8. de eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae; 9. ut lite pendente nihil innovetur; 10. de sequestratione possessionis et fructuum; 11. de probationibus; 12. de testibus et attestationibus; 13. de testibus cogendis; 14. de fide instrumentorum; 15. de jurejurando; 16. de exceptionibus; 17. de praescriptionibus; 18. de sententia, et re judicata; 19. de appellationibus; 20. de confirmatione utili vel inutili.

Lib. III. tit. 1. de vita et honestate clericorum; 2. de clericis conjugatis; 3. de clericis non residentibus in ecclesia; 4. de praebendis; 5. de clerico aegrotante vel debilitato; 6. de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis; 7. ut sede vacante nihil innovetur; 8. de his, quae fiunt vel conceduntur a praelatis sine consensu capituli; 9. de his, quae fiunt a majori parte capituli; 10. de rebus ecclesiae alienandis vel non; 11. de locato et conducto; 12. de pignoribus; 13. de testamentis; 14. de successionibus ab intestato; 15. de sepulturis; 16. de decimis et oblationibus; 17. de regularibus et transeuntibus ad religionem; 18. de conversione conjugatorum; 19. de voto, et voti redemptione; 20. de statu monachorum; 21. de capellis monachorum; 22. de jure patronatus; 23. de consecratione ecclesiae vel altaris; 24. de celebratione missarum; 25. de observatione jejuniorum; 26. de censibus et exactionibus; 27. ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.

Lib. IV. tit. 1. de sponsalibus et matrimonio; 2. de frigidis et maleficiatis; 3. de dote post divortium restituenda.

Lib. V. tit. 1. de simonia; 2. de magistris; 3. de Judaeis et Saracenis; 4. de haereticis; 5. de apostatis et schismaticis; 6. de homicidio voluntario vel casu aliquo facto; 7. de clericis pugnantibus in duello; 8. de adulteriis et stupro; 9. de sortilegiis; 10. de excessibus praelatorum in subditos; 11. de novi operis nuntiatione; 12. de privilegiis et excessibus privilegiatorum; 13. de purgatione canonica; 14. de purgatione vulgari; 15. de injuriis et damno dato; 16. de poenis; 17. de remissionibus; 18. de sententia excommunicationis; 19. de verborum significatione. *(Innocent. Cironii* Opp., ed. cit. tom. I. p. 319. sq.; etiam in: Quinque Compilationes antiquae, ed. *Friedberg,* p. 151. sqq.)

[1] Cfr. v. g. Comp. V. lib. III. titt. 23. et 24. cum Comp. III. lib. III. titt. 31. et 33. et cum Comp. IV. lib. III. titt. 14. et 15. — atque cum Comp. II. lib. V. titt. 20. et 22.

[2] Qua ratione v. g. praefatam constitutionem Imperatoris *Friderici II.: Hac edictali lege,* d. d. 22. Novemb. 1220, per plura capita distribuit, et his omnibus initiales voces illius constitutionis: *Hac edictali lege* praefixit. Cfr. c. 2. de const. I. 1., quod refert initium hujus constitutionis; porro c. 4. de consuet. I. 3., c. 2. de jud. II. 1., c. 2. de for. comp. II. 2., c. un. de testam. III. 13., c. 3. de cens.

Item e decretalibus et constitutionibus earumque fragmentis, in singula capita referendis, ea, quae illi superflua videbantur, omisit et hanc omissionem voc.: *et infra* indicavit [1].

Glossam ad Compilationem *quintam* adornavit solummodo *Jacobus de Albenga,* juris canonici in Universitate Bononiensi professor et serius episcopus Faventinus († 1274) [2]. Generatim autem huic Compilationi minor quam reliquis Compilationibus cura et opera e parte virorum eruditorum impensa est [3].

SECTIO SECUNDA.

Collectio decretalium Papae Gregorii IX. a. 1234 [4].

CAPUT PRIMUM.

Causa adornandae hujus decretalium collectionis, ejus nomina et divisio eamque citandi ratio, hodierna et pristina.

§ 69. Causa adornandae hujus decretalium collectionis [5].

Compilationum decretalium, supra (§§ 54. sqq.) adductarum, usus multis et gravibus obnoxius erat difficultatibus.

III. 26., c. un. de haeret. V. 4., c. 4. de privileg. V. 12. et c. 3. de sent. excomm. V. 18., quae capita exhibent reliquas partes illius constitutionis imperatoriae.

[1] Cfr. v. g. c. 2. de regular. III. 17.; c. 2. de stat. monach. III. 20.

[2] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 205. sq.; *Idem,* Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 137.

[3] Rationem, ob quam hoc evenit, *Joannes Andreae* eam adfert, quod brevi post electionem Papae *Gregorii IX.* (1227—1241) percrebuerit fama, intendere hunc Summum Pontificem novam decretalium collectionem adornare. Qui auctor in sua „Additione ad Speculum *Guilielm. Durantis*", in prooem. § Porro (apud *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 243.), de hac re ait: „Est autem sciendum, quod Gregorius IX. successit immediate Honorio tertio; quo creato statim fuit fama, quod compilationem, qua utimur (i. e. Gregorianam), facere intendebat: itaque praedicti antiqui non curarunt Honorianas glossare."

Codex ms. hujus Compilationis tantumodo *unus* notus est; quem memorat *Schulte,* Literaturgeschichte der Compilationes antiquae, in citt. relatt. sess. tom. LXVI. p. 77.

Impressa est cura *Innocentii Cironii,* juris canonici in Academia Tolosana professoris saec. XVII. (*Doujat,* Praenott. canonn. lib. V. cap. 9. p. 475.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. III. part. I. p. 608.), Tolosae a. 1645 sub titulo: „Quinta Compilatio epistolarum decretalium Honorii III P. M." Porro *Innocentii Cironii* Opp., ed. *Jos. Ant. de Riegger,* Vindob. 1761—1764, tom. I. Item, exceptis illis capitibus, quae in collectionem decretalium Gregorianam a. 1234 relata sunt, in: Quinque Compilationes antiquae, ed. cit. p. 151. sqq.

[4] *Theiner,* Disquisitiones criticae, p. 37. sqq.; *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 252. sqq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 3. sqq.; *Friedberg,* in prolegg. part. II. Corporis jur. can., ab ipso editi Lips. 1879 sqq., col. IX.—XLIX.

[5] *Theiner* l. c. p. 37. sqq.; *Phillips* l. c. p. 142. sqq.; *Schulte* l. c. p. 3. sqq.

Et primo quidem earum pluralitas jam ipsarum acquisitionem difficilem reddebat [1].

Huc accedit, quod multae decretales et constitutiones pontificiae, in eis relatae, erant valde prolixae, ita ut pro haurienda ex eis norma juris multa earum lectione opus esset. Porro aliae earum erant sibi invicem valde similes, immo vel omnino aequales, aliae autem plane contrariae; in quibus casibus, et praesertim in ultimo, lector saepe in gravi dubio versabatur, quam ex illis constitutionibus ecclesiasticis sequi deberet.

Praeterea in illis Compilationibus sat multae genuinae decretales et constitutiones pontificiae deerant; quo saepe fiebat, ut illae a judicibus ecclesiasticis pro spuriis haberentur et rejicerentur; id quod intentioni Summorum Pontificum adversabatur.

Insuper sat multae decretales et constitutiones pontificiae ibi contentae propter mutationem temporum et indigentiarum jam antiquatae, et hinc nulli amplius in foro ecclesiastico usui erant [2].

Quibus malis ut medelam afferret, Papa *Gregorius IX.* (1227 u. ad 1241) anno 1230 capellano et poenitentiario suo, *Raymundo de Pennaforte* [3], O. S. D., mandavit, ut e praefatis quinque Compilationibus, assumendo insuper, quatenus opus esset, etiam decretales et alias con-

---

[1] *Joan. Andreae,* Novella comment. in Gregor. IX. Quinque decretall. Libb., in cit. bullam publicationis: *Rex pacificus,* v. *Rex,* I. n. 22. (ed. Venet. 1612, tom. I. fol. 5.a col. 2.)

[2] Quo respectu *Joan. Andreae* l. c. de collectione decretalium Gregoriana in relatione ad illas quinque Compilationes ait: „Commendatur hoc opus (sc. Gregor. IX.) principaliter propter duo. Primo propter dispendium antiquarum constitutionum, secundo propter utilitatem novarum.“ — „Dispendium vero antiquarum consistebat primo in diversitate voluminum. Secundo in nimia similitudine. Tertio in contrarietate. Quarto in prolixitate; et ex his quatuor inducebatur confusio. Quinto in incertitudine ex curialitate (i. e. utrum reapse a Curia Romana seu Sede Apostolica provenerint, an secus). Omisit (sc. illa bulla publicationis) sextum, de inutilitate.“

[3] Is ex nobili familia, regiae Aragoniae familiae cognata, oriundus, post a. 1180 in loco, qui dicitur *Pennaforte,* prope Barcinonam in Hispania natus, absolutis Barcinonae studiis philosophicis et theologicis, inde ab a. 1211 Bononiae studio utriusque juris operam dedit ibique deinceps etiam jus canonicum docuit. Anno 1219 Barcinonam reversus, hujus ecclesiae canonicatum obtinuit, quo a. 1222 dimisso Ordinem S. Dominici ingressus est. Postmodum a Papa Gregorio IX. Romam vocatus, mandatum accepit, novam hanc collectionem decretalium adornandi. Qua absoluta oblatum sibi a Papa Gregorio IX. archiepiscopatum Tarraconensem accipere recusavit et in Hispaniam in monasterium suum rediit, ubi a. 1238 Ordinis Superior generalis electus est; quo facto sedem suam Romae collocavit. Quo munere post biennium propter infirmitatem corporis dimisso, in Hispaniam in monasterium suum reversus est, ubi die 6. Januarii 1275 in fama sanctitatis obiit. Processu beatificationis ejus ad petitionem archiepiscopi Tarraconensis inchoato ipso a. 1601 a Papa Clemente VIII. (1592—1605) inter Sanctos relatus est. Festum ejus in Ecclesia celebratur die 23. Januarii. Cfr. *Quétif et Echard,* Scriptores Ordinis Praedicatorum. Paris 1719 sqq., tom. I. p. 106. sqq.; *Nicolaus Antonius,* Bibliotheca hispana vetus, ed. Rom. 1696, tom. II. p. 46. sqq.; *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 257. sqq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 408. sq.

stitutiones ecclesiasticas, quae extra illas Compilationes existerent [1], et nominatim decretales et constitutiones ipsius Papae *Gregorii IX.* usque ad illud tempus editas, unicam adornaret decretalium collectionem, eamque ita comparatam, ut indigentiis illius aevi perfecte satisfaceret, simulque ab omni et superfluitate et contrarietate immunis esset.

Quam collectionem Raymundus circiter quattuor annorum spatio absolvit.

§ 70. Ejus nomina [2].

Quae collectio quamquam praeter decretales epistolas etiam constitutiones pontificias, motu proprio editas, et canones Conciliorum aliasque auctoritates ecclesiasticas continet, tamen, quia longe maxima ejus pars e decretalibus constat, collectio *decretalium* appellatur. Et quia jussu et auctoritate Papae Gregorii IX. adornata est, collectio decretalium vel Decretales *Papae Gregorii IX.* dicitur. Porro ratione praedictarum *quinque Compilationum* collectio haec *Compilatio sexta* vel etiam *nova* dici solet [3]; praedictae quinque Compilationes autem ratione hujus collectionis *Compilationes antiquae* appellantur [4]. Et quia Papa Gregorius IX. hanc collectionem in locum illarum quinque Compilationum substitui voluit [5], ita ut esset unica et completa collectio omnium decretalium et constitutionum pontificiarum, ad jus ecclesiasticum generale (commune) pertinentium, in Decreto Gratiani non comprehensarum seu *extra* illud *vagantium*, ideo etiam *collectio* seu *liber extra* (sc. extra Decretum Gratiani, per abbreviationem: *X.*) appellata est [6].

§ 71. Ejus divisio.

Divisa est collectio haec, ad instar Compilationum antiquarum, in *quinque libros*, qui subdivisi sunt in *titulos*, peculiaribus rubricis instructos, summatim 185, qui porro subdivisi sunt in *capita*, item, ut plurimum, inscriptionibus instructa, universim 1961 [7].

---

[1] *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 9.

[2] *Hostiensis*, Summa aurea. Prooem., ed. Lugd. 1568, fol. 3. b.

[3] *Gonzalez de Tellez*, Comment. perpet., in lib. III. tit. 4. cap. 11. n. 1.; in lib. III. tit. 5. c. 1. n. 2.

[4] *Joan. Andreae*, Novella comment. in Gregor. IX. Quinque decretall. Libb., in cit. bullam publicat., v. *Rex*, I. n. 42.

[5] *Joan. Andreae* l. c. v. *Gregorius*, I. n. 16., enumeratis illis quinque Compilationibus ait: „De quibus omnibus Gregorius fecit unam."

[6] *Joan. Andreae* l. c. v. *Rex*, I. n. 40., allegans *Petrum de Sampsone* et *Abbatem*, canonistas saec. XIII., hoc respectu ait: „Qui etiam hoc dixerunt, quod, sicut iste liber olim dicebatur Extravagantium, quia decretales vagabantur (sc. extra Decretum Gratiani), . . . sic etiam hodie dici debet allegando, *extra*, quasi extra volumen Decretorum." Cfr. *Hostiensis* l. c.

[7] Cfr. *Schulte* l. c. p. 10.; ibid. p. 12. not. 14. Et quidem lib. I. habet titt. 43 et

§ 72. Ratio eam citandi, hodierna et pristina.

Citari collectio illa *nunc* communiter solet indicando *caput* et *titulum;* quibus plerumque apponitur (haud raro tamen etiam omit-

capp. 429; lib. II. titt. 30 et capp. 418; lib. III. titt. 50 et capp. 491; lib. IV. titt. 21 et capp. 166, atque lib. V. titt. 41 et capp. 457.

Rubricae titulorum tales sunt:

Lib. I. tit. 1. de Summa Trinitate et fide catholica; 2. de constitutionibus; 3. de rescriptis; 4. de consuetudine; 5. de postulatione praelatorum; 6. de electione et electi potestate; 7. de translatione episcopi; 8. de auctoritate et usu pallii; 9. de renuntiatione; 10. de supplenda negligentia praelatorum; 11. de temporibus ordinationum et qualitate ordinandorum; 12. de scrutinio in ordine faciendo; 13. de ordinatis ab episcopo, qui renuntiavit episcopatui; 14. de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum; 15. de sacra unctione; 16. de sacramentis non iterandis; 17. de filiis presbyterorum ordinandis vel non; 18. de servis non ordinandis et eorum manumissione; 19. de obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non; 20. de corpore vitiatis ordinandis vel non; 21. de bigamis non ordinandis; 22. de clericis peregrinis; 23. de officio archidiaconi; 24. de off. archipresbyteri; 25. de off. primicerii; 26. de off. sacristae; 27. de off. custodis; 28. de off. vicarii; 29. de off. et pot. judicis delegati; 30. de off. legati; 31. de off. judicis ordinarii; 32. de off. judicis; 33. de majoritate et obedientia; 34. de treuga et pace; 35. de pactis; 36. de transactionibus; 37. de postulando; 38. de procuratoribus; 39. de syndico; 40. de his, quae vi metusve causa fiunt; 41. de in integrum restitutione; 42. de alienatione judicii mutandi causa facta; 43. de arbitris.

Lib. II. tit. 1. de judiciis; 2. de foro competenti; 3. de libelli oblatione; 4. de mutuis petitionibus; 5. de litis contestatione; 6. ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam diffinitivam; 7. de juramento calumniae; 8. de dilationibus; 9. de feriis; 10. de ordine cognitionum; 11. de pluspetitionibus; 12. de causa possessionis et proprietatis; 13. de restitutione spoliatorum; 14. de dolo et contumacia; 15. de eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae; 16. ut lite pendente nihil innovetur; 17. de sequestratione possessionum et fructuum; 18. de confessis; 19. de probationihus; 20. de testibus et attestationibus; 21. de testibus cogendis vel non; 22. de fide instrumentorum; 23. de praesumptionibus; 24. de jurejurando; 25. de exceptionibus; 26. de praescriptionibus; 27. de sententia et re judicata; 28. de appellationibus; 29. de clericis peregrinantibus; 30. de confirmatione utili vel inutili.

Lib. III. tit. 1. de vita et honestate clericorum; 2. de cohabitatione clericorum et mulierum; 3. de clericis conjugatis; 4. de clericis non residentibus in ecclesia vel praebenda; 5. de praebendis et dignitatibus; 6. de clerico aegrotante vel debilitato; 7. de institutionibus; 8. de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis; 9. ne sede vacante aliquid innovetur; 10. de his, quae fiunt a praelato sine consensu capituli; 11. de his, quae fiunt a majori parte capituli; 12. ut ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur; 13. de rebus ecclesiae alienandis vel non; 14. de precariis; 15. de commodato; 16. de deposito; 17. de emptione et venditione; 18. de locato et conducto; 19. de rerum permutatione; 20. de feudis; 21. de pignoribus et aliis cautionibus; 22. de fidejussoribus; 23. de solutionibus; 24. de donationibus; 25. de peculio clericorum; 26. de testamentis et ultimis voluntatibus; 27. de successionibus ab intestato; 28. de sepulturis; 29. de parochiis et alienis parochianis; 30. de decimis, primitiis et oblationibus; 31. de regularibus et transeuntibus ad religionem; 32. de conversione conjugatorum; 33. de conversione infidelium; 34. de voto et voti redemptione; 35. de statu monachorum et canonicorum regularium; 36. de religiosis domibus, ut episcopo sint subjectae; 37. de capellis mona-

titur) lit. *X.* ceu abbreviatio vocis: *extra,* qua olim haec collectio designari consuevit.

Et *caput* quidem indicatur praemissa voc.: *cap.* vel lit. c., sua *voce initiali* (una vel pluribus), vel suo *numero,* eoque *arabico,* vel, si caput illud sit magni momenti, *utroque* simul.

Titulus indicatur sua *rubrica,* sive tota, sive, si sit longior, ejus *parte* [1]. V. g. c. Quanto X. de consuetud.;

---

chorum et aliorum religiosorum; 38. de jure patronatus; 39. de censibus, exactionibus et procurationibus; 40. de consecratione ecclesiae vel altaris; 41. de celebratione Missarum et Sacramento Eucharistiae et divinis officiis; 42. de baptismo et ejus effectu; 43. de presbytero non baptizato; 44. de custodia Eucharistiae, chrismatis et aliorum sacramentorum; 45. de reliquiis et veneratione Sanctorum; 46. de observatione jejuniorum; 47. de purificatione post partum; 48. de ecclesiis aedificandis vel reparandis; 49. de immunitate ecclesiarum, coemeterii et rerum, ad eas pertinentium; 50. ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.

Lib. IV. tit. 1. de sponsalibus et matrimoniis; 2. de desponsatione impuberum; 3. de clandestina desponsatione; 4. de sponsa duorum; 5. de conditionibus appositis in desponsatione vel in aliis contractibus; 6. qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt; 7. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium; 8. de conjugio leprosorum; 9. de conjugio servorum; 10. de natis ex libero ventre; 11. de cognatione spirituali; 12. de cognatione legali; 13. de eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae; 14. de consanguinitate et affinitate; 15. de frigidis et maleficiatis et impotentia coëundi; 16. de matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiae; 17. qui filii sint legitimi; 18. qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testari; 19. de divortiis; 20. de donationibus inter virum et uxorem, et de dote post divortium restituenda; 21. de secundis nuptiis.

Lib. V. tit. 1. de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus; 2. de calumniatoribus; 3. de simonia, et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur; 4. ne praelati vices suas vel ecclesias sub annuo censu concedant; 5. de magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi; 6. de Judaeis, Sarracenis et eorum servis; 7. de haereticis; 8. de schismaticis et ordinatis ab eis; 9. de apostatis et reiterantibus baptisma; 10. de his, qui filios occiderunt; 11. de infantibus et languidis expositis; 12. de homicidio voluntario vel casuali; 13. de torneamentis; 14. de clericis pugnantibus in duello; 15. de sagittariis; 16. de adulteriis et stupro; 17. de raptoribus, incendiariis et violatoribus ecclesiarum; 18. de furtis; 19. de usuris; 20. de crimine falsi; 21. de sortilegiis; 22. de collusione detegenda; 23. de delictis puerorum; 24. de clerico venatore; 25. de clerico percussore; 26. de maledicis; 27. de clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante; 28. de clerico non ordinato ministrante; 29. de clerico per saltum promoto; 30. de eo, qui furtive ordinem suscepit; 31. de excessibus praelatorum et subditorum; 32. de novi operis nunciatione; 33. de privilegiis et excessibus privilegiatorum; 34. de purgatione canonica; 35. de purgatione vulgari; 36. de injuriis et damno dato; 37. de poenis; 38. de poenitentiis et remissionibus; 39. de sententia excommunicationis; 40. de verborum significatione; 41. de regulis juris.

[1] Tituli: de Majoritate et Obedientia,
de Verborum Significatione, et
de Regulis Juris,
solis litteris initialibus suarum rubricarum citantur, videlicet:
de M. et O.,
de V. S.,
de R. J., uti supra (§ 59.) occasione *Breviarii Extravagantium Bernardi Papiensis* meminimus.

c. 4. X. de consuetud.;
c. Quanto 4. X. de consuetud.;
cap. 2. Qui cler. vel vovent.

Numeri *libri* et *tituli,* in quibus locus citatus habetur, quaerendi sunt in alphabetico indice rubricarum *titulorum,* qui huic collectioni in peculiaribus foliis insertus est; in quo indice ad singulas titulorum rubricas numeri illius *libri* et *tituli* appositi sunt.

Quaeritur autem in dicto indice eadem ratione, ac supra (§ 59.) hoc respectu de indice *Compilationis primae* diximus.

Qua ratione prior locorum supra citatorum dignoscitur contineri in lib. I. tit. 4., alter in lib. IV. tit. 6.

In nonnullis editionibus Corporis juris canonici pro omnibus collectionibus decretalium, ad Corpus juris canonici pertinentibus [1], *communis* rubricarum titulorum *index alphabeticus* adornatus est, ita ut regulariter prima determinatio ad Decretales Papae *Gregorii IX.,* secunda ad Librum Sextum Papae *Bonifacii VIII.* e. s. p. spectet, nisi expresse aliud notetur; qui quidem index communis plerumque in fronte hujus collectionis positus est. Et in hoc indice numerus *libri* tantummodo in prima determinatione indicatur, in sequentibus autem omittitur, quia in his excepta determinatione, pertinente ad collectionem *Viginti Extravagantium Papae Joannis XXII.,* quae non est divisa in *libros,* sed tantummodo in *titulos* (14), idem est, ac in determinatione prima.

Porro in illo communi indice rubricarum titulorum saepe, praeter numeros *libri* et *tituli,* etiam numerus *capitum,* quae nimirum ille titulus universim comprehendit, appositus est. V. g. ratione locorum supra citatorum sic:

Lib. I. tit. 4. cap. 11;
Lib. IV. tit. 6. cap. 7.

Nunc numeri *libri* et *tituli* plerumque jam in ipso citato indicantur. V. g. ratione locorum supra allegatorum sic:

c. 4. X. de consuet. I. 4.;
c. 2. Qui cler. vel vovent. IV. 6.

Sunt tamen, qui collectionem illam omnino breviter, et quidem ita citent. V. g. quod attinet locos supra adductos, ita: c. 4. X. I. 4.; c. 2. X. IV. 6. Immo vel sic: X. I. 4. 4.; X. IV. 6. 2.

De cetero autem ope alphabetici indicis *capitum,* qui huic collectioni decretalium adnexus esse solet, in ea etiam caput sola sua *initiali voce,* sine ulla alia determinatione, citatum inveniri potest. Etenim in dicto indice capitum juxta eorum initiales voces indicantur

---

[1] Immo saepe etiam pro illa, quae Corpori juris canonici solummodo ceu appendix adnexa est et *Liber septimus decretalium Petri Matthaei* dicitur. Cfr. infra part. III. cap. 2. § 157.

certe *rubrica* illius tituli, saepe etiam *numeri* illius tum tituli, tum libri, quandoque vel ipsius *capitis* numerus, immo nonnunquam etiam effati, in illo capite relati, auctor. Vide in illo indice v. g. cap. *Consuetudines* [1].

In nonnullis editionibus Corporis juris canonici, uti titulorum, ita et *capitum* omnium collectionum decretalium communis index alphabeticus adest. Immo in aliquibus editionibus Corporis juris canonici huic communi indici capitum etiam *canonum Decreti* index alphabeticus insertus est; quo casu ille index de regula ante Decretum Gratiani positus est.

In reliquum circa hodiernam citationem hujus collectionis quoad substantiam eadem valent, quae hoc respectu supra de Decreto Gratiani dicta sunt [2].

Quod spectat ad modum, quo *antiqui canonistae* collectionem hanc citare consueverunt, notandum est, eos, quum singulas Compilationum antiquarum voce: *Extra* designassent et numeris I., II. e. s. p. ab invicem distinxissent (cfr. supra p. 100.), hanc collectionem solitos esse simpliciter voc.: *extra* designare [3] eamque, allegando insuper initialem voculam *capitis* et *rubricam tituli,* immo quandoque tantummodo *initialem voculam* capitis, citare [4].

---

[1] Quod est cap. 1. X. de consuetud. I. 4. et continet effatum *S. Gregorii Magni.*

[2] Qua ratione citatur v. g. ita: c. fin. X. de consuet. I. 4.; — c. un. X. de cognat. legal. IV. 12.; — c. 6. pr. § Statuimus. 1. X. de elect. I. 6.; — capp. 1. 3. 5. 6. X. de auctor. et usu pall. I. 8.; — c. 1. X. de postulat. I. 5.; c. 2. eod.; c. 4. eod.; c. 5. eod.; — c. 1. X. de postulat. I. 5.; c. 2. eod.; c. 17. X. de elect. I. 6.; c. 4. X. de postulat. I. 5.; c. 5. eod.

[3] Id quod jam *Bartholomaeus Brixiensis* in reformando apparatu glossarum Decreti, quem Joannes Teutonicus adornaverat, observavit, dum videlicet citationes locorum Compilationum antiquarum collectioni Gregorii Papae IX. accommodavit. Cfr. supra p. 54.

[4] Quae citandi ratio antiquorum canonistarum, attentis simul iis, quae de eorum ratione citandi Decretum Gratiani supra (§ 7.) diximus, e sequentibus exemplis clarescet: Extra. de elect. *Quum in cunctis* = c. 7. X. de elect. I. 6. — Extra. Innocent. III. diversis fallaciis = c. 5. X. de cler. conjug. III. 3. (quod refert fragmentum decretalis epistolae Papae *Innocentii III.*). — Extra. de rescript. dilectus. I. = c. 26. X. de rescript. I. 3. — Extra. de rescript. dilectus. II. = c. 29. X. de rescript. I. 3. — Vide s. de consuet. Quum tanto. = vide *supra* c. Quum tanto. de consuet. I. 4. — Vide j. de elect. Osius = vide *infra* c. 2. de elect. I. 6. — Vide c. Etsi unanimiter. h. t. = vide c. Etsi unanimiter. *hujus tituli* (sc. qui recte nunc tractatur, I. 5.). — De hoc vide j. tit. j. = de hoc vide *infra* titulum *primum,* i. e. titulum proxime sequentem. — De hoc vide j. cap. j. = de hoc vide infra cap. *primum,* i. e. caput, quod proxime sequitur. — Arg. cap. Quum tanto. de consuet. = *argumento* capitis 11. *Quum tanto,* de consuet. I. 4.

CAPUT SECUNDUM.

Modus in adornanda hac decretalium collectione observatus.

§ 73. Quae sit hujus collectionis materia, et unde sit hausta [1].

Materia hujus collectionis sunt loci S. Scripturae [2], effata SS. Patrum et aliorum Scriptorum ecclesiasticorum, uti v. g. *S. Hieronymi, S. Augustini, S. Isidori Hispalensis, Bedae Venerabilis,* itemque loci e *glossa SS. Bibliorum* petiti, qui SS. Patrum aliorumque Scriptorum ecclesiasticorum effata continent [3]; unus sic dictorum Canonum Apostolorum (cfr. supra § 11.) [4]; canones Conciliorum, *generalium,* uti *Chalcedonensis* a. 451 [5], *Lateranensis III.* a. 1179, quod simpliciter sub nomine *Concilii Lateranensis* adduci solet [6], et *Lateranensis IV.* a. 1215, quod simpliciter sub nomine *Concilii generalis* citatur [7], atque *particularium,* uti v. g. *Sardicensis* a. 344 vel 347 [8], *Carthaginiensis I.* a. 348 [9], *Arelatensis II.* a. 452 [10], *Parisiensis* a. 615 [11], *Toletani IV.* a. 633 [12], *Meldensis* a. 845 [13], *Nannetensis* a. 895 vel, ut nonnulli putant, a. 658 [14], *Triburiensis* a. 895 [15], *Pictaviensis* a. 1078 [16], *Turonensis* a. 1163 [17], et aliorum; praesertim autem *decretales* epistolae Summorum Pontificum, uti v. g. *S. Gregorii M.* (590—604) [18], *S. Leonis IX.* (1049—1054) [19], *Paschalis II.* (1099—1118) [20], *Hadriani IV.* (1154 u. ad 1159) [21], *Alexandri III.* (1159—1181) [22], *Lucii III.* (1181—1185) [23],

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 9. sqq.; *Friedberg,* in Corp. jur. can., ed. Lips. 1879 sqq., part. II. prolegg. col. XI.—XVIII. atque col. XVIII.—XXXIX.

[2] C. 1. 2. X. de praesumtt. II. 23.; c. 1. X. de homic. V. 12.; c. 1. X. de furt. V. 18.; c. 1.—5. X. de injur. V. 36.

[3] Capp. 3.—5. de constitt. I. 2.; c. 3. 9. de praesumtt. II. 23.; c. 1. de decim. III. 30.; c. 2. de cens. III. 39.; c. 3. de desp. impub. IV. 2.; c. 1. 2. de spons. duor. IV. 4.; c. 1. de frigid. et malef. IV. 15.; c. 9. de accusat. V. 1.; c. 3. de haeret. V. 7.; c. 3. 4. de homic. V. 12.; c. 3. 4. de furt. V. 18.; c. 1. de crim. fals. V. 20.; c. 1.—7., 9.—11. X. de V. S. V. 40.; c. 1.—4. de R. J. V. 41.

[4] C. 1. de cler. excomm. ministr. V. 27.

[5] C. 1. de foro compet. II. 2.

[6] C. 6. 7. de elect. I. 6.; c. 3. de cler. non resid. III. 4.; c. 4. 5. de praeb. III. 5. Cfr. *Reiffenstuel,* Jus canon. univ., Prooem. n. 112.

[7] C. 1. 2. de Summa Trinit. I. 1.; c. 28. de rescript. I. 3.; c. 41.—44. de elect. I. 6. Cfr. *Doujat,* Praenott. canonn. lib. II. cap. 6. n. 11., ed. cit. p. 153.; *Reiffenstuel* l. c.

[8] C. 4. de elect. I. 6.

[9] Cap. un. de obligat. ad ratiocin. I. 19.

[10] C. 7. de temp. ordinat. I. 11.

[11] C. 2. de foro compet. II. 2.

[12] C. 3. de serv. non ordin. I. 18.

[13] C. 1. de const. I. 2.

[14] C. 2. de paroch. III. 29. Cfr. *Hefele,* Conciliengesch., ed. II. tom. III. p. 104. sqq.

[15] C. 2. de jure patron. III. 38.

[16] C. 1. X. de fil. presb. I. 17.

[17] C. 8. X. de praebend. III. 5.

[18] C. 2. X. de const. I. 2.; c. 1. X. de consuet. I. 4.

[19] C. 2. X. de sepult. III. 28.

[20] C. 2. X. de decim. III. 30.

[21] C. 3. 4. eod.

[22] C. 2.—7. X. de rescript. I. 3.

[23] C. 8.—11. eod.

Urbani III. (1185—1187)[1], *Gregorii VIII.* (1187)[2], *Clementis III.* (1187—1191)[3], *Coelestini III.* (1191—1198)[4], *Innocentii III.* (1198 u. ad 1216)[5], *Honorii III.* (1216—1227)[6] et *Gregorii IX.* (1227—1241)[7].

Praeterea ibi etiam nonnulla fragmenta juris civilis occurrunt, et quidem tum *romani*[8], tum etiam *germanici*[9].

Porro circa nonnulla capita, cujusmodi illa auctoritates contineant, incertum est[10].

Illa materia, uti jam e supra dictis elucet, e maxima parte ad tempus *post* editum Decretum Gratiani, partim vero etiam ad tempus *ante* editum hoc Decretum pertinet.

Quam materiam Raymundus hausit

1. e *Compilationibus antiquis.* Et ex his quidem Raymundus longe maximam partem materiae hujus collectionis assumpsit[11], ita quidem, ut ex universis ejus 1961 capitibus capita 1758 e dictis Compilationibus antiquis proveniant.

Quum jam praefatae Compilationes antiquae summatim capp. 2157 contineant, hinc 399 capp. earundem Compilationum in collectionem Papae *Gregorii IX.* recepta non sunt[12]. Quae capita in dictarum Compilationum antiquarum editionibus *Ant. Augustini* atque *Cironii* (cfr. supra p. 105. et 126.) in margine signata sunt notatione: „*Non ponitur*", sc. in decretalium collectione Papae *Gregorii IX.*

---

[1] C. 3. X. de conjug. serv. IV. 9.; c. 6. X. de divort. IV. 19.

[2] C. 9. X. de vit. et honest. cler. III. 1.

[3] C. 12. X. de rescript. I. 3.; c. 1. X. de ord. cognit. II. 10.

[4] C. 13.—15. X. de elect. I. 6. [5] C. 16.—40. eod.

[6] C. 6. X. de postulat. I. 5.; c. 17. X. de fil. presb. I. 17.; c. 10. X. Ne cler. vel monach. III. 50.

[7] C. 50.—57. X. de elect. I. 17.; c. 18. X. de fil. presb. I. 17.

[8] Ita in cap. 2. de praebend. III. 5. (ex Justiniani I. Novell. V. cap. 23.).

[9] Uti in c. 1. de eo, qui cogn. IV. 13. (Capitular. Vermer. a. 753 cap. 2.); item in c. 1. de divort. IV. 19. (ex cit. Capitular. cap. 5.).

[10] Huc pertinent: c. 1. de serv. non ord. I. 18.; c. 2. de off. archid. I. 23.; c. un. de off. sacrist. I. 26.; c. 2. de off. custod. I. 27.; c. 2. de M. et O. I. 33.; c. 3. de vit. et honest. cler. III. 1.; c. 1. de concess. praeb. III. 8.; c. 1. 2. de reb. eccles. alienand. III. 13.; c. 2. de empt. et vendit. III. 17.; c. 2. de rer. permut. III. 19.; c. 2. de regular. III. 31.; c. 1. 2. de despons. impub. IV. 2.; c. 1. de cland. despons. IV. 3.; c. 2. de spons. duor. IV. 4.; c. 1. de conditt. appos. IV. 5.; c. 1. de donatt. inter vir. et uxor. IV. 20.; c. 5. de accusatt. V. 1.; c. 3. 7. de simon. V. 3.; c. 5. de homic. V. 12.; c. 1. de crim. fals. V. 20.; c. 1. de cler. percuss. V. 25.; c. 1. de poenis. V. 37.; c. 7. de V. S. V. 40.; c. 8. de R. J. V. 41. (*Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. XVIII.)

[11] Cfr. c. 1.—5. X. de const. I. 2. cum Comp. I. c. 1. 2. 4. 7. 6. eod. I. 1. — C. 10.—13. X. de rescript. I. 3. cum Comp. II. c. 4. 5. 8. 9. eod. I. 2. — C. 14.—23. X. de rescript. I. 3. cum Comp. III. c. 3.—5., 7.—13. eod. I. 2. — C. 24.—28. X. de rescript. I. 3. cum Comp. IV. c. 1.—5. eod. I. 2. — C. 1. 2. X. de Summa Trinit. I. 1. cum Comp. IV. c. 1. 2. de fid. cath. I. 1. — C. 29.—31. X. de rescript. I. 3. cum Comp. V. c. 4. de off. jud. deleg. I. 15., c. 1. de rescript. I. 2. et c. 4. de praebend. III. 4.

[12] *Friedberg,* in citt. prolegg. col. XXXV.

2. E decretalibus epistolis et constitutionibus *Gregorii Papae IX.*, e quibus capp. 195 hujus collectionis proveniunt [1].

3. E decretalibus epistolis et constitutionibus Papae *Innocentii III.*, in Compilatione III. et IV. non relatis [2].

4. Aliunde. Quorsum pertinet c. 5. X. de vit. et honest. cler. III. 1. [3] et c. 9. X. de privileg. V. 33 [4].

§ 74. Rubricae titulorum hujus collectionis [5].

Cum divisione in quinque libros et librorum subdivisione in titulos Raymundus e Compilationibus antiquis etiam titulorum *rubricas* longe plurimas, videlicet 180, assumpsit, et quidem partim absque ulla mutatione [6], partim cum aliqua earum mutatione, sive aliquid eis addendo [7], sive demendo [8], aliterve eas mutando [9].

---

[1] Cfr. c. 32.—39. X. de rescript. I. 3.; c. 50.—57. X. de elect. I. 6.; c. 3. X. de sacram. non iterand. I. 16.; c. 18. X. de fil. presb. I. 17.; c. 34.—36. X. de jurejurand. II. 24.; c. 8. de cognat. spirit. IV. 11.

[2] Huc pertinent 7 capp., et quidem:

a) C. 7. X. de serv. non ord. I. 18. (*Collect. Lucens.*, in *Steph. Baluz.* Miscellan., ed. *Joan. Dom. Mansi*, Luc. 1762, tom. III. p. 391.). Cfr. *Richterii* ad hoc cap. not. 45.

b) C. 7. X. de bigam. non ord. I. 21. (in: *Epistolarum* Innocentii III., Rom. Pontif., Libri undecim, ed. *Steph. Baluzius* Paris. 1682 sq., lib. XVI. ep. 118.).

c) C. 10. X. de vot. et vot. redempt. III. 34. (apud *Steph. Baluz.* l. c. lib. XVI. ep. 93.).

d) C. 6. X. de consangu. et affin. IV. 14. (apud *Steph. Baluz.* l. c. lib. XVI. ep. 118.).

e) C. 14. X. de Jud. V. 6. (apud *Steph. Baluz.* l. c. lib. XV. ep. 118.).

f) C. 17. X. eod. V. 6. (Concilii *Lateran.* IV. a. 1215. constitutio de expeditione pro recuperanda Terra sancta, apud *Harduin.*, tom. VII. col. 71. sqq.; apud *Mansi*, tom. XXII. col. 1057. sqq.).

g) C. 16. X. de purgat. canon. V. 34. (apud *Steph. Baluz.* l. c. lib. XVI. ep. 158.). Cfr. *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 12. not. 12.

[3] Cap. 24. Statutt. Eccl. antiqu. ex saec. V. (*non* Concil. Carthag. IV. a. 398 cap. 44.). Cfr. *Hefele*, Conciliengeschichte, ed. II. tom. II. p. 68. sqq.; *Bruns*, Canones Apostolorum et Concill. vett. selecti. Berolini 1839, tom. I. p. 146.; *Walter-Gerlach*, Lehrbuch des Kirchenrechts, § 87. not. 4.

[4] Ad quod caput *Richterius* l. c. not. 7. observat, dicens: „Incassum hoc c. in ant. Comp. quaesivimus.“ Cfr. *Friedberg*, in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. XXIX. not. 1.

[5] *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 233. sqq.; *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 9. sqq.; *Friedberg*, in citt. prolegg. col. XIX. sqq.

[6] Uti v. g. lib. I. titt. 2. et 4.; cfr. Comp. I. lib. I. titt. 1. et 3.

[7] Ita v. g. lib. I. tit. 1.; cfr. Comp. IV. lib. I. tit. 1.: „de fide catholica“. De cetero tota illa rubrica X. lib. I. tit. 1.: „de Summa Trinitate et fide catholica“ occurrit jam in Imperatoris *Justiniani I.* Codice repetitae praelectionis, lib. I. tit. 1. (cfr. infra append. cap. I. art. 3. § 17.). Porro hoc respectu *Schulte* l. c. tom. II. p. 11. not. 9. adducit etiam rubricam lib. I. tit. 5., quasi hanc Raymundus e Comp. III. lib. I. tit. 4. rubrica: *de postulatione*, vocem: *praelatorum* ei addendo, efformaverit. Ast perperam; etenim illam rubricam totam: *de postulatione praelatorum* Raymundus in Comp. V. lib. I. tit. 4. prae manibus habuit.

[8] Uti v. g. in lib. I. tit. 7.; cfr. Comp. III. lib. I. tit. 5.: de translatione episcopi et electi.

[9] Qua ratione v. g. e Comp. II. lib. V. tit. 21.: „de veneratione Sanctorum“, et

Quibus rubricis titulorum, e penu Compilationum antiquarum assumptis, quia ad complectendam universam materiam, ab ipso collectam, non sufficiebant, Raymundus *quinque* novas addidit [1], quas partim ex Institutionibus et Codice Justiniani Imperatoris [2] hauserat, uti lib. I. tit. 32: de officio judicis [3]; lib. II. tit. 5.: de litis contestatione [4], et lib. V. tit. 2.: de calumniatoribus [5], partim ipse de novo concinnaverat, uti lib. III. tit. 44.: de custodia Eucharistiae, chrismatis et aliorum sacramentorum, et lib. V. tit. 11.: de infantibus et languidis expositis.

Quas rubricas titulorum Raymundus e maxima parte in iisdem libris et eodem etiam loco et ordine posuit, ac positae sunt in Compilationibus antiquis [6]. Nonnullas autem in alium locum, sive in eodem libro [7], sive in alio [8], transposuit.

§ 75. Capita hujus collectionis decretalium [9].

Capita e Compilationibus antiquis Raymundus nonnisi illa assumsit, quae indigentiis aevi sui respondere putabat; reliqua autem, quae

ultima parte rubricae Comp. IV. lib. III. tit. 17.: „de immunitate ecclesiae et ejus ornatu, et reverentia reliquiarum" composuit rubricam lib. III. tit. 45.: „de reliquiis et veneratione Sanctorum". Porro hoc respectu *Schulte* (Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 11. not. 10.) adducit rubricam X. II. tit. 10., dicens, posuisse hic Raymundum loco vocis: *judiciorum*, quae fuerit in antiquis Compilationibus, vocem: *cognitionum*. Attamen, licet in Comp. I. lib. II. tit. 5. sit rubrica: „de ordine judiciorum", tamen in Comp. II. lib. II. tit. 4. est: „de ordine cognitionum" (in editione Ant. August., Ilerd. 1572, per errorem: *condicionum*), itemque in Comp. V. lib. II. tit. 5. est: „de ordine cognitionis". (Compilationes antiquae, ed. *Friedberg*, p. 163.) Praeterea *Schulte* ibidem adducit rubricam X. III. tit. 10.: „de his, quae fiunt a praelato sine consensu capituli", et ait, Raymundum hic vocem: *clericorum*, quae in Compilationibus antiquis posita sit, consulto in vocem: *capituli* mutavisse (ait: „tendenziöse Aenderung"). Utique in Comp. I. lib. III. tit. 9. est rubrica: „de iis, quae conceduntur ab episcopo sine consensu *clericorum*"; attamen jam in Comp. III. lib. III. tit. 11. est rubrica: „de his, quae conceduntur ab episcopo sine consensu *capituli*"; itemque in Comp. II. lib. III. tit. 8.: „de iis, quae fiunt a praelato sine consensu *capituli*", nec non in Comp. V. lib. III. tit. 8.: „de his, quae fiunt vel conceduntur a praelatis sine consensu *capituli*".

[1] Non *sex*, uti putat *Friedberg*, in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. XVIII. § 4. Sexta enim, quam ille allegat, sc. lib. III. tit. 45.: *de reliquiis et veneratione Sanctorum*, non est prorsus nova, sed est e rubricis Comp. IV. lib. III. tit. 17. et Comp. II. lib. V. tit. 21. composita, uti jam supra meminimus.

[2] Cfr. infra append. cap. I. art. 3. § 16. sq. [3] Instit. lib. IV. tit. 17.

[4] Cod. lib. III. tit. 9. [5] Cod. lib. IX. tit. 46.

[6] Ita v. g. X. lib. I. titt. 2. 3. 4., uti in Comp. I. lib. I. titt. 1. 2. 3.; Comp. III. lib. I. titt. 1. 2. 3.; Comp. V. lib. I. titt. 1. 2. 3.

[7] Sic v. g. Comp. I. lib. I. titt. 24. (de treuga et pace) et 25. (de M. et O.) (et Comp. V. lib. I. titt. 17. et 18.) posuit X. lib. I. titt. 34. 33.

[8] Ita v. g. Comp. I. lib. I. tit. 34, et Comp. V. lib. I. tit. 25.: de juramento calumniae, posuit X. lib. II. tit. 7. Item Comp. I. lib. V. tit. 35.: de presbytero nondum baptizato (Comp. III. lib. V. tit. 22.: de presbytero non baptizato) collocavit X. lib. III. t. 43.

[9] *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 275. sqq.; *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom II. p. 11. sqq.; *Friedberg*, in citt. prolegg. col. XXIX. sqq.

vel jam antiquata vel illis, quae assumenda censuit, aequalia aut vero contraria erant, de regula tota praetermisit [1]. Quodsi aliquod caput, juri tunc vigenti contrarium, propter aliquam causam *totum* praetermitti haud facile posse putabat, tunc vel solummodo illam ejus partem, qua recte haec contrarietas continebatur, *omisit* [2], vel loco ejus aliam, quae juri tunc vigenti congrueret, collocavit [3].

Porro generatim e singulis capitibus, quae assumenda putaverat, illas partes, quas *superfluas* existimabat, uti sunt v. g. solemnes verborum formulae, vel prolixa enarratio causae ad Summum Pontificem delatae, vel ampla expositio petitionis eidem oblatae, ne ambitus collectionis justo major evaderet, *omisit;* quam omissionem, quum aliquatenus major esset, in capitis textu voculis: *et infra,* vel litteris: *et j.* indigitavit [4]. Quae decretalium et aliarum auctoritatum partes, a Raymundo omissae, *partes decisae* dicuntur [5].

Porro, quum Raymundus in aliquo capite Compilationum antiquarum, quod assumendum censuerat, quoad indigentias et relationes aevi sui vel ratione claritatis lacunam aliquam deprehendisset, eam inserta congrua voce explere sategit [6].

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 12.

[2] Cfr. v. g. cap. 1. X. de elect. I. 6. cum Comp. I. cap. 1. eod. I. 4., e quo voces: „et convocatis eisdem etiam parochianis atque in unum consentientibus" omissae sunt. Item cfr. cap. 4. X. de consuet. I. 4. cum Comp. III. cap. 3. eod. I. 3., e quo voces: „latinis", et: „apud Constantinopolim constitutis" omissae sunt. Porro cfr. cap. 3. X. de sponsa duor. IV. 4. cum Comp. I. cap. 3. eod. IV. 4., e quo omissae sunt voces: „sub ea sollemnitate, quae fieri solet, praesente videlicet sacerdote, aut notario, et sicut in quibusdam locis adhuc observatur, idoneis testibus". Praeterea cfr. cap. 1. X. de consangu. et affinit. IV. 14. cum Comp. I. cap. 2. eod. IV. 14., e quo in propositione: „aeque enim, ut canones dicunt, abstinendum est a consanguineis uxoris, ut a propriis *usque ad septimum gradum*", voces: „usque ad septimum gradum", quippe quae juri ecclesiastico recentiori per can. 50. Concilii generalis Lateran. IV. a. 1215 (cap. 8. X. eod. IV. 14.) adversarentur, expunctae sunt.

[3] Hac ratione Raymundus e Comp. I. cap. 2. Qui cler. vel vovent. IV. 6., e quo adornatum est cap. 2. X. eod. IV. 6., propositionem: „si ad canonicum vel monasticum ordinem transire voluerit, post septennem poenitentiam laudabiliter in claustro peractam, si tibi vel successori tuo visum fuerit", omisit et loco ejus posuit haec, quae sequuntur: „si ad monasticum ordinem transire voluerit et tibi post laudabilem conversationem ipsius visum fuerit". Item e Comp. I. cap. 1. de consangu. et affin. IV. 14., e quo adornavit cap. 2. X. eod. IV. 14., in propositione: „si . . . inveneris, quod primus vir patrem superstitis in *quinto vel sexto* gradu attigerit, non differas sententiam divortii promulgare", voces: „patrem superstitis", et: „quinto vel sexto", quippe quae juri ecclesiastico per cit. can. 50. Concilii generalis Lateran. IV. a. 1215 introducto (cap. 8. X. eod. IV. 14.) adversarentur, expunxit et loco earum voces: „superstitem" et: „quarto" posuit.

[4] Cfr. v. g. Comp. III. c. 2. de const. I. 2. cum c. 7. X. eod. I. 2.; Comp. III. c. 1. de consuet. I. 3. cum c. 2. X. eod. I. 4.; Comp. III. c. 3. eod. I. 3. cum c. 4. X. eod. I. 4.; Comp. III. c. 2. de elect. I. 6. cum c. 17. X. eod. I. 6.; Comp. I. c. 3. de spons. duor. IV. 4. cum c. 3. X. eod. IV. 4.

[5] *Schulte* l. c. p. 15.

[6] Ita v. g. in Comp. I. c. 4. de elect. I. 4., quo statuitur, Metropolitanum non debere sine *tribus* episcopis comprovincialibus episcopum ordinare, ex eo adornaturus

Hujusmodi mutationes Raymundus etiam in auctoritatibus aliunde assumtis, immo etiam in decretalibus ipsius Papae Gregorii IX. fecit [1].

Ad quod suscipiendum idem Raymundus a Papa *Gregorio IX.* plenam potestatem obtinuerat [2].

Inscriptiones tamen capitum pristinas, quas invenerat, Raymundus, non obstante mutatione, quam forte in illorum capitum textu fecerat, retinuit, sine dubio ideo, ut testatum faceret, se capita illa non e sua penu, sed ex *aliorum* operibus composuisse, nequaquum autem ideo, ut lectoribus ingereret opinionem, ac si recte in hac verborum forma effata, in illis capitibus relata, ab iis, qui in capitum inscriptionibus nominantur, auctoribus originetenus provenissent [3].

Illa Compilationum antiquarum *capita*, quae de diversis materiis agebant, Raymundus in totidem partes divisit et singulas illarum partium tanquam peculiaria capita in congruis *titulis* collocavit, ita tamen, ut more *Alani* et auctorum Compilationum III., IV. et V. [4] omnibus hujusmodi capitibus de regula initialem voculam capitis ita *divisi* praefixerit [5].

Quandoque tamen hujusmodi determinationem apponere, immo vel jam in Compilationibus antiquis appositam assumere omisit [6].

---

cap. 7. X. de temp. ord. I. 11., post vocem: *tribus* inseruit voc.: *vel duobus*. Item in Comp. III. c. 2. de cler. conjug. III. 3., e quo adornavit cap. 6. X. eod. III. 3., in propositione: „si aliud non obsistat", post vocem: *aliud* inseruit voc.: *canonicum*.

[1] *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. XXXV.

[2] Id elucet e cit. bulla publicationis: *Rex pacificus.* Id etiam agnoscit *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 14. Simili potestate ab Imperatore *Justiniano I.* instructus erat et simili modo ea usus est jurisconsultus *Tribonianus* in adornandis *Pandectis (Digestis)* et *Codice novo* Justinianeo. Cfr. infra append. cap. I. art. 3. § 15. et 17.

[3] Ita etiam *Tribonianus* modo memoratus in *Pandectis (Digestis)* circa inscriptiones singulorum fragmentorum operum juristicorum, et in *Codice novo* Imperatoris Justiniani I. circa inscriptiones singularum constitutionum imperatoriarum, non obstantibus mutationibus, quas in eis ex auctoritate dicti Imperatoris fecerat, observavit (cfr. infra append. cap. 1. art. 3. § 15. 17.), quin eum propter hoc quisquam falsificationis arguere auderet audeatve. Mirandum igitur est, qua ratione hujus rei causa Raymundum inculpare audeat *Schulte* (Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 14.), idque eo magis mirandum est, quum hic auctor ipse (ibidem p. 20. not. 14.) palam agnoscat, fuisse jampridem consuetum, inscriptiones capitum retinere, dicens: „Die Beibehaltung der Superscriptionen hat augenscheinlich nur in dem Herkommen ihren Grund." Cfr. *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 284. sqq.

[4] Cfr. supra p. 110., 115., 121. et 125.

[5] Hac ratione v. g. Comp. I. c. *Eam te decet.* 5. de aetat. et qualit. et ord. praefic. I. 8. in duas partes divisit, quarum priorem: *Eam te decet,* etc., in c. 4. X. eod. I. 14., et alteram in c. 22. X. de jure patron. III. 38. posuit, verum etiam huic capiti voc.: *Eam te decet,* praemisit. Item Comp. III. c. *Pastoralis officii diligentia.* 3. de except. II. 16. in duas partes distinxit, atque priorem earum in c. 4. X. eod. II. 25., et alteram in c. 14. X. de jud. II. 1., pariter cum praefixione voc.: *Pastoralis* collocavit.

[6] Ita v. g. fecit circa cap. *Rursus quidam.* 6. X. Qui cler. vel vovent. IV. 6., assumpto e Comp. II. cap. 2. eod. IV. 4., ubi effatum in illo capite relatum Papae

Locationem capitum quod attinet, Raymundus capita, e Compilationibus antiquis assumta, de regula in collectione sua in eodem titulo collocavit, in quo collocata erant in Compilationibus antiquis [1]. Nonnulla eorum autem, et quidem summatim 113, in alios titulos, sive ejusdem, sive alius libri, et quidem rationabiliter, transposuit [2].

Praeterea Raymundus in singulis titulis capita plerumque ordine chronologico posuit, habita nimirum ratione temporis, quo auctoritates, e quibus ipsa composita sunt, secundum suam inscriptionem originetenus editae fuisse videbantur [3]. Qui ordo tunc, quum plures *ejusdem* Summi Pontificis decretales aut constitutiones adducuntur, utique haud raro inversus esse dignoscitur. De cetero in quolibet titulo Raymundus primum posuit *capita*, hausta e Compilatione I., deinde illa, quae ex II. III. et reliquis Compilationibus hauserat, et ultimo illa, quae e Papae *Gregorii IX.* decretalibus et constitutionibus adornaverat [4].

Quum autem Raymundus inter decretales et alias auctoritates ecclesiasticas, quas prae manibus habuit, pro solvendo dubio, quod eo tempore circa aliquam materiam juris versabatur, nihil solidi in-

---

Coelestino III. (1191—1198) adscribitur et expresse tanquam pars cap. *Laudabilem* designatur. Cujus decretalis pontificiae initium (*Laudabilem* etc.) in Comp. II. cap. 3. de cognat. spirit. IV. 6. positum est; quod caput tamen in decretalium collectionem Papae Gregorii IX. assumptum non est. Reliquae partes illius decretalis referuntur in Comp. II. cap. 2. Ut lite pendent. II. 9., cap. 2. Qui cler. vel vovent IV. 4., cap. 3. de frigid. et malef. IV. 9., cap. 1. de except. II. 11. et cap. 2. de convers. infid. III. 20., quae capita omnia, etiam cit. cap. *Rursus quidam.* 2. Qui cler. vel vovent. IV. 4., ibi tanquam pars cap. *Laudabilem* designantur. Haec capita omnia, omisso tantummodo, uti jam meminimus, praefato cap. 3. de cognat. spirit. IV. 6., in suam collectionem recepit et voc.: *Laudabilem* eis praefixa signavit (cfr. c. 2. X. Ut lite pendent. II. 16., c. 1. X. de convers. infid. III. 33. et c. 5. X. de frigid. et malef. IV. 15.), excepto unico, videlicet praefato cap. 6. X. Qui cler. vel vovent. IV. 6., quod ita signare omisit, licet Comp. II. capiti 2. Qui cler. vel vovent. IV. 4., e quo illud caput adornavit, determinationem: pars cap. *Laudabilem* praefixam invenerit.

[1] Cfr. Comp. I. c. 1. 2. 4. 7. 6. de constitt. I. 1., Comp. III. c. 1. 2. 4. 5. eod. I. 1. et Comp. V. c. 5. eod. I. 1. ex una, atque c. 1.—5., 6.—9. 12. X. eod. I. 2. ex altera parte. — Comp. I. c. 1. 2. 11. 21. 14. 15. 16. 17. 18. 22. de elect. I. 4. Comp. II. c. 1. 3. 5. 6. 7. eod. I. 3., Comp. III. c. 1.—19. eod. I. 6., Comp. IV c. 1.—6. 8. 9. 10. 11. eod. I. 3. et Comp. V. c. 1. 5. 6. eod. I. 5., atque c. 1.—10., 11.—15., 16.—34., 35.—44. et 46.—48. X. eod. I. 6. ex altera parte.

[2] Sic v. g. Comp. I. c. 8. de rescript. I. 2. posuit tanquam c. 12. X. de sent. excomm. V. 39., Comp. I. c. 4. de elect. I. 4. tanquam c. 7. X. de temp. ordinat. I. 11., Comp. I. c. 20. de elect. I. 4. tanquam cap. 4. X. de jurejur. II. 24.; Comp. II. c. 2. de rescript. I. 2. tanquam c. 35. X. de appellat. II. 28.; Comp. III. c. 1. de foro compet. II. 2. posuit tanquam cap. 3. X. Ut lite pendent. II. 16.; Comp. III. c. 1. de restit. spoliat. II. 6. tanquam c. 4. X. Ut lite pendent. II. 16. collocavit.; Comp. IV. c. 1. de off. jud. deleg. I. 12. tanquam c. 7. X. de causa possess. II. 12. Cfr. *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 304. sqq.

[3] Cfr. c. 1.—4., 5. et 6., 8., 9., 10—13., 14. sq., 16. sq. X. de temp. ordin. I. 11.

[4] *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. XXXVI.

venisset, tunc ab ipso Papa *Gregorio IX.* opportunum remedium petiit, qui in tali casu condita speciali constitutione providit [1]. Quae talem constitutionem Papae *Gregorii IX.* continent capita hujus collectionis, ea Raymundus simpliciter inscripsit vocibus: *Gregorius IX.* [2]

CAPUT TERTIUM.

Approbatio et publicatio collectionis decretalium Papae Gregorii IX.

§ 76. Generatim.

Quam collectionem, ita a Raymundo adornatam, Papa *Gregorius IX.* approbavit et publicavit eamque sub bulla: *Rex pacificus,* d. d. Spoleti, die 5. Sept. 1234, ad Parisiensem et Bononiensem [3] nec non deinceps ad alias etiam Universitates [4] transmisit, non forte ideo, ut ipsa ab illis Universitatibus quasi approbaretur et confirmaretur, sed ut ab illis in scholis exponeretur et tali ratione per numerosos scholares ibidem studiis vacantes mox quam maxime divulgaretur [5], insuperque constituit, ut ex tunc nulla amplius praedictarum Compilationum antiquarum, sed sola haec in judiciis et in scholis adhiberetur, et ne quis aliam hujusmodi collectionem absque speciali Sedis Apostolicae licentia adornare praesumeret.

§ 77. Bulla publicationis: Rex pacificus, d. d. 5. Sept. 1234.

Quae bulla, in fronte hujus Collectionis posita [6], proxime ad Bononiensem Universitatem directa, sonat verbotenus, ut sequitur:

---

[1] Id quod pariter Imperator *Justinianus I.*, dum *Digesta* adornabantur, fecit. Cfr. infra append. cap. I. art. 3. § 15.

[2] Huc pertinent v. g. c. 11. X. de consuetud. I. 4.; c. 2. X. de ordinat. ab episc. qui renunt. I. 13.; c. 25. 26. X. de sent. et re judic. II. 27.; c. 7. X. de conditt. appos. IV. 5.; c. 3. X. de precar. III. 14.; c. un. X. de commod. III. 15.; c. 2. X. de deposit. III. 16.; c. 3. 4. X. de locat. conduct. III. 18. De cetero autem ex sola hac brevi inscriptione, alicui capiti praefixa, nondum certo concludi potest, caput illud hujusmodi constitutionem seu decisionem Papae *Gregorii IX.* continere; nonnulla enim capita hujus collectionis, licet ejusmodi brevem inscriptionem gerant, tamen non talem constitutionem seu decisionem Papae Gregorii IX., sed ejus rescriptum seu decretalem referunt. Cfr. *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 286. sq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 11.

[3] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm., ed. Berol. 1874, vol. I. p. 826. n. 9693. sq.

[4] *Joan. Andreae,* Novella comment., in Gregorii IX. bullam publicat. *Rex pacificus,* v. Rex, I. n. 47.: „Dic,“ inquit, „quod plura exempla hujus Compilationis ad solennia studia missa fuerunt.“ Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 7. n. 13.

[5] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kath. Kirchenrechts, p. 341. Cfr. supra p. 112.

[6] In editione Corporis jur. can. ex recens. *Petri* et *Francisci* fratrum *Pithoeorum*

„Gregorius, Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis doctoribus et scholaribus universis Bononiae commorantibus salutem et apostolicam benedictionem.

„Rex pacificus [1] pia miseratione disposuit sibi subditos fore pudicos [2], pacificos [3] et honestos. Sed effrenata cupiditas [4], sui prodiga [5], pacis aemula [6], materia [7] jurgiorum, tot quotidie nova litigia generat, ut, nisi justitia conatus ejus sua virtute reprimeret et quaestiones ipsius [8] implicitas [9] explicaret, jus humani foederis [10] litigatorum abusus exstingueret, et dato libello repudii [11] extra mundi terminos exularet. Ideoque lex proditur [12], ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, per quam [13] genus humanum, ut honeste vivat, alterum non laedat, jus suum unicuique tribuat, informatur [14].

„Sane [15] diversas constitutiones et decretales epistolas [16] praedecessorum nostrorum, in diversa dispersas volumina [17], qua-

---

(Pithou), Paris. 1687, et iterum 1695 haec bulla prorsus deest. — In editione Corporis jur. can., curata a *Just. Henning Böhmer*, Halae 1747, posita est in tom. II. Dissert. altera § XV., prolegg. p. XXIX. sq.

[1] *Joan. Andreae*, Novella comment., in Gregorii IX. bullam publicat. *Rex pacificus*, v. *Rex*, I. n. 3. (fol. 5. col. 1.): „Id est, Deus, pacem faciens."

[2] Gl. ad h. v.: „Id est, castos."

[3] Gl. ad h. v.: „Id est, pacem custodientes. Unde etiam dicitur (sc. Matth. 5, 9.): ‚Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur'."

[4] *Joan. Andreae* l. c. n. 6.: „Ad similitudinem equi effreni."

[5] Gl. v. *prodiga:* „Non solum rerum, sed etiam famae quis est prodigus." — „Sed in eo, quod dicit *prodiga*, videtur sibi contraria littera ista; quia primo dixit *cupiditas;* quia, qui est *cupidus*, non est *prodigus*. Sic intellige: *cupiditas* refertur ad retentionem temporalium, *prodigalitas* ad evacuationem virtutum, quia unum expellit aliud."

[6] *Joan. Andreae* l. c. n. 7.: „Id est, pacem odiens."

[7] Idem ac: causa seu occasio. [8] Sc. effrenatae cupiditatis.

[9] Idem ac: implicatas seu obscuras.

[10] Idem ac: humanae societatis seu humani generis.

[11] Gl. v. *libello repudii:* „quem olim maritus dabat uxori." Et *Joan. Andreae* l. c. n. 14. ait: „Metaphorice loquitur."

[12] Idem ac: conditur seu editur. Cfr. dict. Grat. init. D. IV. et c. 1. ead.

[13] Sc. juris regulam.

[14] Cfr. l. 1. D. de just. et jur. I. 1. (Vide infra append. cap. I. art. 3. § 15.)

[15] *Joan. Andreae* l. c. n. 22.: „Narratio, in qua commendatur hoc opus principaliter propter duo. Primo propter dispendium antiquarum constitutionum. Secundo propter utilitatem novarum, uti ibi: *adjicientes*. Dispendium vero antiquarum consistebat primo in diversitate voluminum; secundo in nimia similitudine; tertio in contrarietate; quarto in prolixitate; et ex his quatuor inducebatur confusio; quinto in incertitudine ex curialitate; omisit sextum, de inutilitate." Cfr. supra p. 127. not. 2.

[16] Gl. v. *constitutiones:* „Constitutio est, quam Princeps facit proprio motu; decretalis epistola est, quando respondet ad consultationem."

[17] Sub quibus „diversis voluminibus" intelligendas esse quinque praefatas Compilationes, monet *Joan. Andreae* l. c. v. *Gregorius*, I. n. 16., dicens: „Post compilationem Decreti factam a Gratiano multae decretales epistolae emanaverunt a Curia, de quibus Ber. circa Papi. praepositus, postea Faventinus episcopus, fecit primam compilationem, quaedam antiqua jura interserendo. Post illam aliae decretales ab aliis Apostolicis (= Summis Pontificibus; cfr. c. 9. D. LXXIX.) manaverunt, de quibus Gilibertus fecit aliam; post illum Alanus aliam fecit, de quibus Joan.

rum [1] aliquae propter nimiam similitudinem [2], et quaedam propter contrarietatem, nonnullae etiam propter sui prolixitatem, confusionem inducere videbantur, aliquae vero vagabantur extra volumina supra dicta [3], quae tanquam incertae frequenter in judiciis vacillabant [4], ad communem, et maxime studentium, utilitatem per dilectum fratrem Raymundum, capellanum et poenitentiarium nostrum, illas in unum volumen resecatis superfluis [5] providimus redigendas [6], adjicientes constitutiones nostras et decretales epistolas, per quas nonnulla, quae in prioribus erant dubia, declarantur.

„Volentes igitur, ut hac tantum compilatione universi utantur in judiciis et in scholis [7], districtius [8] prohibemus, ne quis praesumat, aliam [9] facere absque auctoritate Sedis Apostolicae speciali."

Walen. unam compilationem fecit, quae olim erat secunda. Et dicebatur prima Liber primus; secunda compilatio Liber secundus. Bern. autem, Archid. Compo., moram trahens in Curia, de registro Inno. III. extrahens quasdam decretales, de illis unam fecit compilationem; quae Romana compilatio vocabatur. In qua erant quaedam inserta, quae Romana Curia non approbat. Unde ipse Innocen. per magistrum P. Beneventanum, notarium suum, compilationem fieri fecit, quae tertia dicebatur. Et fuit de decretalibus per ipsum editis usque ad 12. annum sui pontificatus. Post quam adhuc fecit quasdam alias decretales, et in concilio generali quasdam constitutiones, sc. 71, de quarum ordine dicam infra de accusat. capit. Sicut (i. e. in Novellis commentariis, ad cap. 25. X. de accusatt. V. 1. n. 3.), de quibus fecit quartam compilationem. Demum Honorius fecit quintam, quam magistro Tancredo, antiquo doctori nostro et Arch. Bon., direxit. De quibus omnibus Gregorius fecit unam." Cfr. *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 271. sq.; *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 8. sq.

[1] Sc. diversarum constitutionum et decretalium epistolarum.

[2] Cfr. Imperatoris Justiniani I. l. Haec, quae. § Quibus specialiter. 2. de nov. Cod. faciend., in fronte ipsius Codicis; porro *ejusdem* l. Cordi nobis, § Supra dictis. 3. de emendatione Cod. Justinian., ibid. (vide infra append. l. c. § 14. et 17.)

[3] Gl. v. *vagabantur:* „Quas videbis per titulos collocatas; istae non erant in antiqua compilatione. Et sunt istae infra de servis non ordin. cap. miramur (c. 7. X. I. 18.); infra de bigam. cap. a nobis (cap. 7. X. I. 21.) et ita de aliis." Cfr. supra § 73. p. 135.

[4] *Joan. Andreae,* Novella comment., in Gregorii IX. bullam publicat. *Rex pacificus,* v. *Rex,* I. n. 27.: „*Vacillare* est non se firmare in altero contrariorum."

[5] Id est: constitutionibus et decretalibus epistolis praedecessorum superfluis seu inutilibus *omnino omissis.* Id testatur Gl. v. *resecatis,* dicens: „Potest ergo D. Papa derogare constitutionibus praedecessorum suorum." — „Et est ratio, quia eadem persona censetur cum eo, cui succedit." Porro id testatur *Joan. Andreae* l. c. v. *Rex,* I. n. 31., dicens: „Qui ergo decretales antiquas hoc volumine non insertas in judiciis allegaret, crimine falsi teneretur."

[6] Ad quod *Joan. Andreae* l. c. v. *Rex,* I. n. 38., provocans ad *Vincentium Hispanum,* canonistam saec. XIII. (*Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. I. p. 191. sqq.) observat, dicens: „Non intendit secundum eum Gregorius tollere, nisi ordinem scripturarum praeteritarum, et pluralitatem corporum (i. e. compilationum) in unum corpus redigere vult."

[7] Ad quod Gl. v. *in judiciis* notat, dicens: „Hic praecipit Papa, ut tantum hac compilatione universi utantur. Quid erit, si aliqui vellent uti et legere priorem? Dico, quod illi essent excommunicandi, quia faciunt contra mandatum Principis."

[8] Idem ac: omnino districte seu omnino severe. [9] Sc. compilationem.

Per hanc clausulam: „districtius prohibemus, ne quis ... speciali" Papa Gregorius IX., uti jam e contextu colligitur, prohibere voluit, quominus quis post hanc, ab eo publicatam collectionem constitutionum et decretalium epistolarum ejus praedecessorum atque etiam ipsius, qua sola omnes in judiciis et in scholis uti jussit, aliam earundem constitutionum et decretalium epistolarum collectionem absque Sedis Apostolicae licentia speciali adornare praesumeret, quum secus, uti per se elucet, in jus, ab eo per hanc collectionem sancitum, facile gravissima confusio induceretur.

Nequaquam autem Summus Pontifex dici potest illa clausula voluisse absolute interdicere, ne quis constitutiones et decretales epistolas, quas Summi Pontifices deinceps ediderint, ullatenus in collectionem redigere absque speciali Sedis Apostolicae licentia auderet. Id enim primo Summus Pontifex nec facile prohibere posse videtur, quum certe in suum ipsius usum et studium cuilibet licere debeat, constitutiones ecclesiasticas sibi in unum colligere. Porro si id Summus Pontifex illa clausula prohibere voluisset, quomodo deinde catholici et pii canonistae nihilominus collectiones constitutionum et decretalium epistolarum, post illam bullam Papae Gregorii IX., et praesertim post hujus mortem editarum, adornare ausi fuissent? Certe ex tempore post mortem *Gregorii IX.* usque ad Pontificatum *Bonifacii VIII.* (1294—1303) plures hujusmodi collectiones praesto sunt, quin in illis ulla, vel minima, impetratae ad eas adornandas specialis licentiae Sedis Apostolicae mentio fiat[1]. Et si illi viri hoc impie ausi essent, num id Summi Pontifices, Gregorii IX. successores, toleraturi et impune esse situri fuissent?[2]

CAPUT QUARTUM.

Character hujus collectionis decretalium.

§ 78. Consideratae in se.

Quod attinet characterem hujus collectionis, consideratae in se, habet ea generatim vim collectionis juris ecclesiastici *publicae* seu *legalis* seu *authenticae* seu ecclesiastici codicis, et quidem *universalis,*

[1] Vide infra sect. III.

[2] *Schulte,* Die Decretalen zwischen „Decretales Gregorii IX." und „Liber VI. Bonifacii VIII.", in citt. relatt. sess. tom. LV. p. 723., atque: Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 29., asserit, Papam *Gregorium IX.* illa clausula absolute adornationem novarum collectionum juris ecclesiastici absque licentia Sedis Apostolicae speciali — interdixisse. Cui opinioni innixus, illud factum, quod tamen deinde collectiones hujusmodi absque dicta licentia Sedis Apostolicae adornatae sunt, explicare satagit dicendo, hoc interdictum pontificium esse e numero eorum, quae experientia teste non observentur, quia plena eorum observatio impossibilis atque etiam vix a Summo Pontifice intenta sit. Sic!

ita quidem, ut omnis constitutio ad materiam, potestati Ecclesiae subjectam, pertinens ibidem relata, a quocumque originetenus provenerit, seu e quocumque opere litterario hausta fuerit, vim ecclesiasticae legis, et quidem pro eodem ambitu, pro quo ipsa collectio condita est, sc. pro Ecclesia universa, habeat, ac si originetenus ab ipso Papa Gregorio IX. et pro Ecclesia universa condita fuerit. Id elucet tum ex *origine* hujus collectionis, tum e praefata bulla Papae *Gregorii IX.*, qua eadem collectio publicata est.

Unde respectu juristico nihil differt, utrum effatum, in aliquo capite hujus collectionis relatum, originetenus valorem ecclesiasticae legis habuerit, nec ne, et utrum pro Ecclesia universa, an vero tantummodo pro aliqua Ecclesiae parte vel plane solummodo pro aliqua persona singulari legalem valorem habuerit, seu utrum sit originetenus canon Concilii generalis aut constitutio Summi Pontificis, pro universa Ecclesia edita, an vero decretum alicujus synodi particularis aut plane dictum alicujus viri privati, pro foro ecclesiastico nulla potestate legislativa instructi. Et ratio est, quia effatorum, in hac collectione comprehensorum, valor juristicus non ab eorum auctoribus primitivis, sed ab hujus collectionis auctore, Papa Gregorio IX., qui hanc collectionem a Raymundo adornari jussit et adornatam approbavit, repetendus est [1]. Quapropter in juristica citatione hujus collectionis non est dicendum, certe non recte dicitur, v. g.: ita statuit Papa *Alexander III.* in cap. 1. X. de consangu. et affinit. IV. 14., sed dicendum est: ita statuit caput 1. X. de consangu. et affinit. IV. 14., nimirum statuit auctoritate Papae *Gregorii IX.*, qui hoc caput ex Papae Alexandri III. decretali, originetenus ad Abbatem Monasterii Montis Cassini data, adornari jussit et adornatum approbavit; in qua adornatione hujus capitis praefatae decretalis Papae Alexandri III. textus non omnino servatus, immo notabiliter mutatus est, ita ut norma juris, in dicto cap. 1. X. de consangu. et affinit. IV. 14. exhibita, ab illa norma juris, quae in memorata decretali Papae Alexandri III. (Comp. I. c. 2. IV. 14.) continetur, non solum quoad formam, sed etiam quoad materiam et sensum sit notabiliter diversa. Unde etiam jure ac merito collectio haec collectio decretalium vel decretales Papae *Gregorii IX.* appellatur.

§ 79. Consideratae in relatione ad Compilationes antiquas.

Ratione normarum juris, post Decretum Gratiani editarum et in Compilationes antiquas insertarum, in collectionem Papae Gregorii IX.

---

[1] Qua ratione capita hujus collectionis stricte non eo sensu accipienda sunt, quo originarius auctor decretalis aut constitutionis pontificiae, e qua capita illa adornata sunt, eandem decretalem vel constitutionem acceperat, sed quo Papa Gregorius IX. haec capita accepit. Cfr. *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 286.

autem non receptarum, est collectio haec *exclusiva,* i. e. illas normas juris omnino tollens seu abrogans. Id quod manifeste elucet e bulla publicationis hujus collectionis: *Rex pacificus,* qua Papa Gregorius IX. pro judiciis et scholis quoad dictas normas juris solius hujus suae decretalium collectionis usum praescripsit et sic reliquarum collectionum omnium usum prohibuit, et insuper etiam, quominus quis aliam praedictarum normarum juris collectionem absque speciali Sedis Apostolicae licentia adornaret, severe interdixit [1].

Attamen hoc valet tantummodo de illis normis juris ecclesiastici, quae ad jus ecclesiasticum generale (commune) spectant, nequaquam autem de illis, quae ad jus ecclesiasticum speciale (singulare) pertinent [2]; hae enim normae, in illis Compilationibus relatae, licet in collectionem Gregorianam receptae non sint, per hoc solum valore suo non sunt destitutae [3], eo quod secundum principia juris, universim agnita, lex posterior generalis, qualis absque dubio collectio Gregoriana est, priori legi speciali contraria, huic non derogat, nisi id expresse statuat [4]. Cujus rei ratio in eo reponitur, quod, quae specialiter constituuntur, peculiaribus circumstantiis respectivae personae vel respectivi loci innituntur, et hinc firmiora haberi debent illis, quae generaliter constituuntur et sic tantummodo communibus circumstantiis personarum vel locorum superstructa sunt [5].

§ 80. Consideratae in relatione ad Decretum Gratiani.

Normae juris, in Decretum Gratiani insertae, per collectionem decretalium Papae Gregorii IX. abrogatae non sunt, sed in suo pristino valore relictae sunt.

Id jam ex eo colligitur, quod auctores Compilationum antiquarum, et nominatim *Bernardus Papiensis* et *Joannes Galensis (Walensis),* Decretum Gratiani collectionibus suis nequaquam eliminare vel superfluum reddere, sed tantummodo usque ad aevum suum continuare et, in quantum lacunas habere videbatur, complere voluerunt [6], et quod

[1] Quo respectu *Joannes Andreae* (Novella commentaria in Collect. Decretall. Gregor. IX., in bullam publicationis: *Rex pacificus*, v. *Rex*, I. n. 31.) ait: „Qui ergo decretales antiquas hoc volumine non insertas in judiciis allegaret, crimine falsi teneretur, . . . et etiam judex, qui audientiam commodat.“ Et ulterius (ibid. n. 35.): „Et sic edictum de compilationibus est prohibitorium.“ Et insuper (ibid. n. 38.) de Papa *Gregorio IX.* ejusque collectione ratione Compilationum antiquarum: „Pluralitatem Corporum (i. e. collectionum; cfr. infra Part. III. cap. 1. § 154.) in unum Corpus redigere vult.“ Cfr. *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 9., 15.—17., 40., 42.

[2] Cfr. supra p. 3. not. 1. [3] *Schulte* l. c. p. 16.

[4] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kath. Kirchenrechts, p. 87. sq.

[5] *Savigny,* System des heutigen Römischen Rechts. Berol. 1840 sqq., tom. I. p. 265.; *Unger*, System des österr. allgem. Privatrechts, ed. IV. Lips. 1876 tom. I. p. 106.

[6] Cfr. supra p. 102. sq. et 119.

Papa *Gregorius IX.* suam decretalium collectionem in locum praedictarum Compilationum antiquarum substitui voluit [1], quo collectio haec ad Decretum Gratiani in eadem relatione posita est, in qua ad ipsum praefatae Compilationes antiquae positae fuerant.

Praeterea autem id etiam eo demonstratur, quod Papa *Gregorius IX.* plurimas juris ecclesiastici normas, in Decreto Gratiani contentas, ad quas in hac sua collectione omnino respicit et quibus ulteriores, pro aevi sui indigentiis necessarias, determinationes vel modificationes adjicit, in collectionem suam non inseruit, sed eas tanquam existentes praesupposuit eisque simpliciter ulteriores juris normas, quas necessarias existimabat, superstruxit. Huc pertinet inter cetera ille celeberrimus canon 15. Concilii generalis Lateranensis II. a. 1139, relatus in c. 29. C. XVII. qu. 4., quo conceditur clericis et monachis privilegium, vi cujus, qui eis malitiose manus injecerit, ipso facto excommunicationem Papae reservatam incurrat (privilegium canonis).

Hunc canonem Papa Gregorius IX. in sua decretalium collectione accuratius determinat, uti elucet v. g. e capp. 4., 7., 24.—26. X. de sent. excomm. V. 39., tenorem ejus verbalem autem ibi nequaquam adducit, quemadmodum is nec in ulla Compilationum antiquarum adductus est. Qua ratione jam hoc locum habere posset, si Papa Gregorius IX. sua decretalium collectione Decretum Gratiani eliminare voluisset?

Certe tum neque tenorem verborum illius privilegii clericalis haberemus.

Insuper huc accedit, quod, uti in Compilationibus antiquis, ita etiam in hac ipsa collectione Gregoriana ad Decretum Gratiani frequenter provocatur, sive *tacite,* videlicet allegando auctoritates seu canones, haud facile alibi quam in Decreto Gratiani obvias [2], sive etiam *expresse,* videlicet consueta dictum Decretum citandi formula: *Decreta, in Decretis* [3]. Quod nullo modo locum habere potuisset, si Papa *Gregorius IX.* hac sua collectione decretalium Decretum Gratiani simpliciter eliminare et usu privare voluisset. Cujusmodi allegatione auctoritatum Decreti, observata e parte collectionis Gregorianae, si-

---

[1] Cfr. supra p. 128. et 142.

[2] Qua ratione v. g. in Comp. I. cap. 2. de consangu. et affinit. IV. 14., referente decretalem Papae Alexandri III., ad Cassinensem abbatem datam, verbis: „Aeque enim, ut *canones* dicunt, abstinendum est a consanguineis uxoris, ut a propriis, usque ad septimum gradum“, citantur c. 1. 3. 13. XXXV. qu. 2. et 3.

[3] Cfr. supra p. 9. Tali ratione v. g., uti in Comp. I. cap. 8. de despons. impub. IV. 2., referente decretalem epistolam Papae *Alexandri III.,* ad Norvicensem in Anglia episcopum datam, ita etiam in cap. 6. X. eod. IV. 2. citatur Decretum Gratiani, et in specie quidem auctoritas, in c. 3. C. XXXIII. qu. 1. posita, his verbis: „quum *in decretis* habeatur expressum, quod, si vir dixerit, quod uxorem suam cognoverit, viri standum est veritati.“

mul illae Decreti auctoritates, ita allegatae, quatenus antea nonnisi particularem vel etiam nullum legalem valorem habuerunt, valorem legis ecclesiasticae universalis, quem collectio ipsa habet, obtinuisse dicendae sunt [1].

Paleae Decreti utique, sicuti in Compilationibus antiquis et nominatim *prima,* ob causam ibidem memoratam [2], ita etiam in collectione Gregoriana sat multae referuntur [3].

§ 81. Consideratae in relatione ad illas juris ecclesiastici generalis normas, quae ante Decretum Gratiani editae, sed neque in illo, neque in hac decretalium collectione insertae sunt.

Quoad has normas juris est collectio *Gregorii* Papae IX. pariter, uti relate ad Compilationes antiquas, exclusiva; id quod manifeste elucet ex his, quae sequuntur.

Illi viri eruditi, qui post editum Decretum Gratiani collectiones juris ecclesiastici adornandas susceperunt, non solum id intendebant, ut Decretum Gratiani usque ad aevum suum continuarent, verum etiam, ut illud, in quantum lacunas habebat, complerent; unde etiam illas collectiones juris ecclesiastici, quae jam ante Decretum Gratiani exstiterant ac etiam a Gratiano in adornando Decreto adhibitae fuerant, denuo lustraverunt, et si quid indigentiis aevi sui congruens in illis invenerunt, quod a Gratiano praetermissum esse sciebant, id excerpserunt et in suas collectiones retulerunt; uti nominatim *Bernardus Papiensis* in concinnando suo Breviario Extravagantium se fecisse expresse testatur [4], et insuper ex eo elucet, quod revera in dicto Breviario multa continentur, quae ad tempora Gratiano anteriora pertinent [5]. Id quod etiam de Compilatione secunda valet [6]. Proinde omnes illae normae juris ecclesiastici generalis, quas illi compilatores in collectionibus Gratiano anterioribus invenerant et in Decretum Gratiani receptas non esse sciebant, et tamen compilationibus suis inserendas non censuerunt, ab iisdem pro jam antiquatis et nullum amplius pro foro ecclesiastico usum praestantibus habitae sunt [7].

Quum autem Papa *Gregorius IX.,* uti e praefata ejus bulla publicationis: *Rex pacificus* elucet, suam decretalium collectionem in locum

---

[1] Cfr. supra p. 76. sq. [2] Cfr. supra p. 103.

[3] Sic v. g. Palea can. 3. D. LIV. in cap. un. X. de obligat. ad ratiocin. I. 19.; Palea c. 2. C. XI. qu. 1. in c. 2. X. de foro compet. II. 2.; Palea c. 7. C. II. qu. 1. in c. 2. X. de test. II. 20.; Palea c. 22. D. LXXXI. in c. 2. X. de cohab. cler. et mul. III. 2.; Palea c. 2. C. XVII. qu. 4. in c. 3. X. de praebend. III. 5.; Palea c. 6. C. X. qu. 2. in c. 1. X. de precar. III. 14.; Palea c. 55. C. XII. qu. 2. in c. 4. X. de rer. permut. III. 19.

[4] Supra p. 102. [5] Cfr. supra p. 102. not. 3.

[6] Cfr. supra p. 119.

[7] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kath. Kirchenrechts, p. 340.

compilationum a praefatis viris taliter adornatarum substituerit [1]: sequitur inde, Papam Gregorium IX. hac sua collectione etiam omnes illas juris ecclesiastici generalis normas, quae ante adornatum Decretum Gratiani editae fuerunt, verum nec in Decretum Gratiani, nec in hanc ipsius collectionem decretalium receptae sunt, earum valore legali penitus destituisse seu abrogavisse [2]. Qua ratione etiam collectio haec dicta est *liber extra*, i. e. *liber*, omnes juris ecclesiastici generalis normas, extra Decretum Gratiani vagantes, comprehendens.

CAPUT QUINTUM.

Fata hujus collectionis decretalium.

ARTICULUS PRIMUS.

Inde ab ejus ortu usque ad ejus editionem authenticam Romanam a. 1582.

§ 82. Publicae praelectiones super ea in Bononiensi Universitate habitae et varia opera litteraria occasione harum praelectionum super ipsa adornata.

Uti super Decreto Gratiani et Compilationibus antiquis, ita etiam super hac decretalium collectione in Bononiensi, et deinceps etiam in aliis Universitatibus, publicae praelectiones habitae sunt [3].

Quarum praelectionum occasione super eadem collectione varia opera litteraria exarata sunt, uti nominatim *Summae* [4], *Distinctiones* [5],

---

[1] Cfr. supra p. 146.

[2] Cfr. *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kath. Kirchenrechts, p. 340.

[3] Sane, uti Decretum Gratiani, ita etiam haec collectio ad *libros ordinarios,* super quibus praelectiones excipere scholares stricte tenebantur, pertinebant. Cfr. *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts, tom. III. p. 265. et p. 549.

[4] Cujusmodi opus exaravit *Raymundus* ipse; quod editum est Romae 1603, Avenion. 1715 et Veron. 1744. Cfr. *Stintzing,* Geschichte der populären Literatur des röm. u. canon. Rechts. Lips. 1867, p. 493. sqq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 410. sqq. Item *Joannes Hispanus de Petesella,* Papae *Gregorio IX.* coaevus; cfr. *Schulte* l. c. p. 81. sqq.; *Idem,* Beiträge zur Literatur über die Decretalen Gregors IX., Innocenz' IV., Gregors X., in citt. relatt. sess. tom. LXVIII. p. 61. sqq. Etiam *Petrus de Sampsone,* florens circa med. saec. XIII.; cfr. *Schulte* l. c. p. 83. sq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 108. sq. Porro aliud hujusmodi opus, anonymum tamen, commemorat *Schulte,* Beiträge zur Literatur über die Decretalen Gregors IX. etc. l. c. p. 116. sq.

[5] Hujusmodi opus adornavit *Guilielmus Naso,* juris canonici in Universitate Bononiensi primo dimidio saec. XIII. professor (*Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 78. sq.); porro jam memoratus *Petrus de Sampsone* (*Schulte,* Beiträge zur Literatur über die Decretalen Gregors IX. etc., l. c. p. 86. sq.); item *Abbas antiquus,* canonista florens saec. XIII., *Petri de Sampsone* discipulus, qui, ut ab alio *Abbate,* qui saec. XV. floruit (*Nicolaus de Tudeschis, Panormitanus;* cfr. *Schulte,*

Notabilia (Notationes)[1], *Casus*[2], *Margaritae*, *Lecturae* (*Commentarii*) et plura alia hujus generis opera[3].

§ 83. Glossatio hujus collectionis decretalium, ejus glossatores et glossa ordinaria.

Etiam glossata haec decretalium collectio ad instar *Decreti Gratiani* et *Compilationum antiquarum* est. Inter cujus glossatores prae ceteris memorandi sunt

1. *Vincentius* Hispanus, idem, qui tres priores Compilationum antiquarum glossavit[4].

2. *Goffredus de Trano,* in oppido Trano (Trani) in Apulia natus juris canonici in Bononiensi Universitate professor, Papae Gregorii IX. capellanus, a. 1245 Cardinalis diaconus tit. S. Hadriani creatus et eodem anno mortuus[5].

3. *Bonaguida Aretinus,* Aretii (Arezzo) in Tuscia natus, sub Pontificatu *Innocentii IV.* (1243—1254) in Curia Romana advocatus, et deinde juris canonici in civitate Aretina professor[6].

4. *Bernardus de Botone,* patria Parmensis, et hinc communiter *Bernardus Parmensis* dici solitus, juris canonici in Universitate Bononiensi professor et simul Capituli cathedralis Bononiensis canonicus, deinde Summi Pontificis capellanus († 1263)[7]. Qui insuper e glossis, lecturis, Summis et aliis operibus litterariis, quae tunc super collectione Gregoriana atque super Compilationibus antiquis jam ab aliis exarata erant, atque e sua penu ad hanc collectionem completum apparatum glossarum adornavit, qui mox in communem usum inductus et *glossa* collectionis Gregorianae *ordinaria* appellatus est. In quo apparatu Bernardus ea, quae ex aliis auctoribus assumpserat, eorundem siglis notavit[8], et quae e suo apposuerat, sua ipsius sigla: *Bern.*

Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 312. sqq.) distingueretur, *Abbas antiquus* dici, dum ille *Abbas modernus* vel *novus* appellari consuevit. (*Schulte* l. c. tom. II. p. 130.; *Idem*, Beiträge zur Literatur über die Decretalen Gregors IX. etc., l. c. p. 97. sq.)

[1] Tale opus exhibetur in codice ms. lat. saec. XIV. n. 2173. c. r. bibl. palat. Vindob. (*Schulte,* Beiträge zur Literatur über die Decretalen Gregors IX. etc., l. c. p. 115. sq.); porro (una cum *Casibus*, statim memorandis) in bibl. reg. Bamberg. codice ms. saec. XIV. (P. II. 18.), uti refert *Schulte* l. c. p. 112. sqq.

[2] Cujusmodi opus una cum *Notabilibus,* modo memoratis, exhibetur in praefato (not. 1.) codice ms. bibl. reg. Bamberg. (*Schulte* l. c. p. 112. sqq.).

[3] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 492. sqq.

[4] *Schulte* l. c. tom. II. p. 495., coll. tom. I. p. 191. sqq.

[5] *Schulte* l. c. tom. II. p. 88. sq. [6] *Schulte* l. c. p. 110. sqq.

[7] *Schulte* l. c. p. 114. Praeterea etiam *Gabriel Capadilista,* patria Patavinus, *Sextiensis* (Aix) Provincia gallica archiepiscopus, florens saec. XIV., glossas ad decretales Papae Gregorii IX. scripsisse fertur; earum tamen hucusque nullum vestigium inventum est. (*Schulte* l. c. p. 231.)

[8] Cfr. gl. ad bullam: *Rex pacificus,* v. *pacificus.*

signavit [1]. Quod opus *Bernardus* demum brevi ante suam mortem absolvit [2]. Glossa haec deinde plura additamenta accepit, quae praesertim e *Joannis Andreae* († 1348) „Novellis commentariis“ in hanc collectionem decretalium adornatis hausta atque ab initio voc.: *Additio* et in fine nomine vel sigla *Joannis Andreae (Joan. Andr.)* signata sunt [3].

§ 84. Codices manuscripti hujus collectionis decretalium et ejus primae editiones.

Codices mss. hujus collectionis sive cum glossa, sive absque glossa sunt numerosissimi. Eosdem numerum 1000 superare, putat *Schulte,* qui etiam plures eorum singillatim in medium adduxit [4].

Inventa arte typographica mox etiam haec collectio typis impressa est, et quidem frequentissime, ita ut currente saec. XV. in sola Germania undeviginti editiones ejus prodiisse dignoscantur [5]. Et nonnullae quidem harum editionum sunt sine loco, vel anno, vel nomine typographi (s. l. a. vel typ. n.), aliae autem exhibent omnes hujusmodi determinationes. Omnium editionum prima habetur illa, quae s. a. prodiit *Argentorati* apud Henricum Eggesteyn [6], apud quem etiam primam Decreti editionem prodiisse supra (p. 57.) meminimus. Prima editio, omnibus illis determinationibus instructa, est illa, quae prodiit Moguntiae a. 1473 apud Petrum Schoiffer de Gernsheim [7]. Quam brevi tempore plurimae aliae secutae sunt.

---

[1] Cfr. gl. ad cit. bull. v. *modestos,* v. *sui prodiga* et v. *honeste vivat.*

[2] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 114. sq.

[3] Cfr. gl. ad cit. bullam: *Rex pacificus,* v. *pudicos,* v. *lex proditur;* gl. ad c. 1. X. de Summa Trinit. I. 1. v. *quocunque*; gl. ad c. 7. X. de const. I. 2. v. *personarum assensu*; gl. ad c. 10. eod. v. *non conventi;* gl. ad c. 7. X. de rescript. I. 3. v. *datam litterarum;* gl. ad c. 12. eod. v. *in expensis;* gl. ad c. 14. eod. v. *ambigitur;* gl. ad c. 4. X. de elect. I. 6. v. *pro unitate.* Cfr. *Schulte* l. c. p. 495. Cum his additamentis exhibetur glossa collectionis Gregorianae jam in hujus editione Romana a. 1474. (*Hain*, Repertorium bibliographium. Stuttgart. et Paris. 1826 sq., vol. I. part. 2. p. 514. n. 8000.)

[4] In suo tractatu: Die Rechtshandschriften der Stiftsbibliotheken, in citt. relatt. sess. tom. LVII. p. 577. n. 49. et n. 50. et p. 604. n. 72. Item: Iter gallicum, in citt. relatt. sess. tom. LIX. p. 366. n. I. a.; p. 380. n. X., p. 393. n. XLIII.; p. 403. n. LXXII.; p. 420. n. XC.; p. 427. n. CXXI. et CXXII.; p. 429. n. CXXX.; p. 443. n. CXXVIII.; p. 445. n. CLXXX.—CLXXXIII.; p. 451. n. CCIV.; p. 467. n. CCXXII. et n. CCXXIV.; p. 476. n. CCLII. et n. CCLV.; p. 478. n. CCLXIV.; p. 490. n. CCLXXVIII. Item: Die canonistischen Handschriften der Bibliotheken ... in Prag, Pragae 1868, p. 22. n. XII.—XV.; p. 78. n. CXCVI. Item: Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 21. not. 1.

[5] *Panzer,* Annales typographici, Norimberg. 1793 sqq., vol. V. p. 176. sqq.; *Idem,* Conspectus monumentorum typographicorum saec. XV., ed. Norimberg. 1797, p. 176 sqq.; *Hain* l. c. p. 514. sqq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II., p. 22. not. 3.; *Friedberg,* in Corp. jur. can. parte II. prolegg. col. XXXIX. sq.

[6] *Hain* l. c. p. 514. n. 7996. [7] *Hain* l. c. n. 7999.

Longe plurimae illarum editionum exhibent textum cum glossa ordinaria; quaedam autem solum textum absque glossa [1].

§ 85. Varia additamenta, quae huic collectioni successu temporis accesserunt.

Quamvis in nulla editionum, quae currente saec. XV. prodierunt, ulla recensendo textui cura impensa fuerit, tamen pedetentim in eis varia additamenta textui ejusdem collectionis apposita sunt. Quorum quidem additamentorum alia tum in glossatis, tum in non glossatis, alia in glossatis tantummodo editionibus occurrunt. Ad priora pertinent:

1. Capitum *summaria,* quae breviter tenorem eorundem capitum indicant [2]. Quae summaria, uti etiam ad plura eorum adnotatum est, e lecturis seu commentariis ad hanc collectionem adornatis, hausta sunt, et praesertim quidem e commentariis *Hostiensis* [3], *Abbatis (antiqui)* [4], *Joannis Andreae* [5], *Antonii de Butrio* [6], *Joannis de Imola* [7] et *Nicolai de Tudeschis (Panormitani, Abbatis Siculi, moderni)* [8] infra memorandis.

In nonnullis horum summariorum etiam posteriorum collectionum decretalium ratio habetur [9].

Nonnulla tamen capita summarium non habent [10].

2. *Partes decisae* [11]. Quum nimirum illo interdum nimio brevitatis studio, quo ductus *Raymundus de Pennaforte* e decretalibus et aliis auctoritatibus, e quibus *capita* hujus collectionis adornabat, plura

---

[1] Ita editio Venet. 1478, Basil. 1479, Lovan. 1480, Mediol. 1482, Venet. 1489, Lugd. 1495 et Paris. 1499.

[2] Quae quidem jam occurrunt in editionibus Venet. 1491, Norimb. 1493, Venet. 1494, 1496, 1500. (*Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II., p. 23. not. 6.)

[3] Cap. 1. X. de frig. et malef. IV. 15.

[4] Cap. 11. 14. X. de rescript. I. 3.; c. 1. 15. 28. X. de elect. I. 6.; c. un. X. de sacra unct. I. 15.; c. 6. X. de jud. II. 1.; c. 2. X. de confess. II. 18.; c. 4. X. de test. cogend. II. 21.; c. 3. X. de cland. desp. IV. 3.; c. 18. X. de homicid. V. 12.; c. 4. X. de crim. fals. V. 20.

[5] Cap. 11. 12. X. de rescript. I. 3.; c. 1. X. de translat. episc. I. 7.; c. 6. X. de fil. presbyt. I. 17.; c. 13. X. de off. jud. deleg. I. 29.; c. 8. X. de test. cogend. II. 21.

[6] Cap. 5. X. de off. archid. I. 23; c. 1. X. de off. primic. I. 25.

[7] Cap. 10. X. de reb. eccl. alienand. vel non. III. 13.

[8] Cap. 1. 2. X. de Summa Trinit. I. 1.; c. 3. 10. 12. X. de const. I. 2.; c. 7. 12. 19. 24. X. de rescript. I. 3.; c. 2. 4. X. de consuetud. I. 4.; c. 28. 43. X. de off. jud. deleg. I. 29.; c. 7. X. de off. leg. I. 30.; c. 43. X. de arbitr. I. 43.

[9] Ita v. g. in summario c. 7. X. de injur. V. 36. respicitur ad collectionem Papae *Clementis V.,* a. 1317 publicatam; de qua vide infra sect. V. cap. 1. sqq.

[10] Ita v. g. c. 5. X. de pact. I. 35.; c. 3. X. de postul. I. 37; c. 1. X. de test. II. 20.; c. 2. 4. 5. X. de vit. et honest. cler. III. 1.; c. 5. X. de cler. non resid. III. 4.; c. 6. X. de cler. aegrot. III. 6; c. 35. X. de decim. III. 30.; c. 1. X. de furt. V. 18.; c. 4. X.. de injur. V. 36.

[11] Cfr. supra p. 137.

omisit seu *decidit (partes decisae)*, multa *capita* obscura et intellectu difficilia evasissent, quippe quae contineant voces: *verum, nam, enim, quapropter, propterea, ad haec, de caetero, nunc autem* et similes, ea autem, ad quae voces illae spectant, haud referant [1]: ideo successu temporis viri eruditi illas *partes decisas* capitibus, a Raymundo concinnatis, addere sategerunt. Quorum primus fuit *Antonius Contius*, jam supra laudatus, qui in sua editione hujus collectionis, quae prodiit Antverpiae 1570 in 8° sub tit.: „Epistolae Decretales S. S. Pontificum a Gregorio IX. P. M. collectae", pluribus capitibus *partes decisas*, e Compilationibus antiquis haustas, apposuit, quas tamen, idque minus apte, ipsi textui capitum, a Raymundo concinnato et a Papa Gregorio IX. per bullam: *Rex pacificus* approbato, inseruit, utique notis distinctas; qua quidem in re *Contio* adstitit *Joannes Quintinus*, supra (p. 60. sq.) occasione Decreti Gratiani memoratus [2].

Post *Contium* idem fecerunt *Justus Henning Böhmer* [3], item *Aemilius Ludovicus Richter* [4] atque *Aemilius Friedberg* [5], qui viri partes decisas ipsi capitum textui, utique aliis typis impressas, inseruerunt, dum in aliis editionibus [6] illae partes decisae aptius et rectius textui capitum in fine *adnexae* et litteris vel numeris distinctae sunt; quibus litteris vel numeris etiam in textu capitum congruo loco positis lector ad ipsas partes decisas remittitur.

3. *Indices alphabetici* seu *tabulae* rubricarum titulorum et *capitum* [7].

Ad posteriora additamenta, quae videlicet tantummodo in editionibus glossatis occurrunt, pertinent:

1. *Divisiones* titulorum atque capitum, similes divisionibus *distinctionum* et *quaestionum* Decreti, supra (p. 42.) memoratis. Quae qui-

---

[1] Cfr. v. g. c. 17. X. de elect. I. 6.; c. 3. X. de translat. episc. I. 7.; c. 2. X. de cland. desp. IV. 3.

[2] Quod consilium *Contii* et *Quintini* jure reprobat *Ant. Augustinus* (Antiquae Collectiones Decretalium, ed. Ilerd. 1576, in praefatione ad Papam Gregorium XIII.), dicens: „Audacius Antonius Contius nuper et Joannes Quinctinus (sc. hujus collectionis illustrandae periculum fecerunt), qui multa inserere ausi sunt Pontificiis rescriptis. Eorum ego ingenium laudo, atque quod dat, minime aspernor; id tamen mihi malo exemplo fieri videtur, si, quod publica auctoritate accepimus, liceat nobis privata voluntate interpolare. Illi quidem praeclare notas addunt, quibus sua ab alienis distinguantur: at res est plena periculi, cum facile in his librarii labi soleant, et aliena verba vel longius separata in nostrorum verborum numerum referre. Huc accedit, quod illi permulta aut dedita opera, aut alia quacumque de causa omittunt, quae non minus utilia sunt, quam ea, quae adscribunt."

[3] In editione hujus collectionis, in Corp. jur. can., ed. Halae Magd. 1747, tom. II.

[4] In editione ejusdem collectionis, in Corp. jur. can., ed. Lips. 1839, part. II

[5] Item in editione hujus collectionis, in Corp. jur. can., ed. Lips. 1879 sqq., part. II.

[6] Uti nominatim in illa, quae habetur in Corpore jur. can., ed. Colon. Munat. 1730, tom. II., porro in ea, quae refertur in Corpore jur. can., ad modum *Christophori Henr. Freiesleben*, ed. Colon. Munat. 1735, tom. II.

[7] Hujusmodi tabulae occurrunt jam in editionibus *Venet.* 1491, 1492; *Norimb.* 1493; *Basil.* 1494; *Venet.* 1494; *Norimb.* 1496; *Venet.* 1496, 1498, 1500; *Basil.* 1500. (*Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 23. not. 5.)

dem divisiones supra memorato *Nicolao de Tudeschis (Panormitano)* adscribuntur [1].

2. *Loci paralleli,* ex Decreto Gratiani hausti; qui quidem immediate post divisiones titulorum positi sunt [2].

3. *Casus,* supra (p. 47.) memorati occasione Decreti Gratiani [3].

4. *Paratitla,* i. e. succincti conspectus graviorum sectionum glossae, ad marginem hujus positi [4].

5. Item huc pertinet peculiare opus, in quo loci Decreti Gratiani, locis hujus decretalium collectionis congruentes, una cum his exhibentur. Quod opus *Ludovicus Bologninus*, patria Bononiensis, a. 1447 natus, juris civilis et canonici in pluribus Universitatibus professor († 1508), exaravit sub titulo: „Tabula Ludovici Bolognini, concordans Decretales cum Decreto". Quae tabula apposita est editioni collectionis decretalium Gregorii Papae IX., ab ipso *Ludovico Bolognino* curatae, quae prodiit a. 1472 (s. l.), ut videtur, Bononiae; item in editione Romana authentica a. 1582, atque in editione Lugd. 1671, tom. II. [5]

ARTICULUS SECUNDUS.

Inde ab editione hujus collectionis authentica Romana a. 1582 usque ad hoc tempus.

§ 86. Editio hujus collectionis authentica Romana a. 1582.

Papa *Gregorius XIII.* (1572—1585) Correctoribus Decreti Romanis (cfr. supra p. 63. sqq.) etiam revisionem collectionis decretalium Gregorianae mandavit. Quod quidem mandatum pontificium *Franciscus Pegna*, natione Hispanus, auditor et serius decanus Rotae Ro-

---

[1] Cfr. gl. ad bullam: *Rex pacificus* v. *Sane;* porro divisionem X. I. 2. de constitt., ita incipientem: „Haec rubrica potest" etc.; divisionem cap. 1. eod.: „Primo statuit. Secundo confirmando declarat; ibi: *et nemo*"; item divisionem cap. 2. sqq. eod.; cap. 1. sqq. X. de rescript. I. 3. Quae *divisiones* textuum pariter jam inveniuntur in editionibus supra p. 151. not. 2. adductis, in quibus *summaria* capitum occurrere diximus.

[2] Cfr. quae notantur statim post divisiones v. g. X. I. 2., X. I. 3 et X. I. 5.

[3] Qui exhibentur jam in editionibus *Norimb.* 1491 atque 1496. (*Hain*, Repertorium bibliographicum, vol. I. part. 2. p. 520. n. 8030. et p. 521. n. 8034.)

[4] Cfr. hujusmodi paratitlum ad gl. c. 8. X. de consuet. I. 4. v. *a suspensis,* quod incipit: „Quasi velit indicare" etc.; item, quod incipit: „Suspensus a canone" etc., atque: „Ubi quid a jure communi" etc. Praeterea paratitlum ad gl. c. 11. eod. v. *legitime sit praescripta,* incip.: „Quid requiritur ad hoc, ut consuetudo" etc.

[5] Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 347. Eidem fini, videlicet, ut loci paralleli Decreti Gratiani ad singula capita collectionis Gregorianae inveniantur, inservit supra (p. 56.) memoratum opus *Joannis a Turrecremata*, inscriptum: „Gratiani Decretorum Libri Quinque, secundum Gregorianos Decretalium Libros Titulosque distincti", et editum cura *Justi Fontanini* Romae 1726, in quo partitio Decreti accommodata partitioni collectionis Gregorianae est.

manae († 1612)[1], et *Sixtus Fabri,* patria Lucensis, O. S. D., magister S. Palatii[2] et serius Minister generalis Ordinis († 1594)[3], exsecuti sunt[4]. Textus ita adornatus et jam a. 1580 in typographia Populi Romani impressus[5], a Papa *Gregorio XIII.* per breve: *Quum pro munere pastorali,* d. d. 1. Julii 1580, quod in fronte Corporis juris canonici positum esse solet, pro authentico declaratus est ita, ut ei aliquid addere aut demere vel aliter eum mutare nemini liceret[6]. Publici juris autem haec collectio facta est jussu et auctoritate ejusdem Summi Pontificis *Gregorii XIII.* Romae a. 1582, uno tomo, fol., sub titulo: „Decretales D. Gregorii Papae IX. suae integritati una cum glossis restitutae Romae. In aedibus Populi Romani 1582.“ [7]

---

[1] *Jöcher,* Allgemeines Gelehrten-Lexikon, ed. Lips. 1750 sq., tom. III. col. 1345.

[2] Lexicon eccl. Friburg., ed. Friburg. Brisg. 1847 sqq., tom. VI. p. 736. sq.

[3] *Jöcher* l. c. tom. II. col. 478.

[4] *Ant. Augustinus,* De emendatione Gratiani Dialogg. lib. I. dialog. 20; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 23. not. 10.; *Friedberg,* in citt. prolegg. col. XLI.

[5] Impressum eum jam illo anno fuisse, patet e brevi Papae *Gregorii XIII.: Quum pro munere pastorali,* d. d. 1. Jul. 1580, ubi collectio haec jam typis impressa dicitur his verbis: „Una cum dictis Decretalibus felicis recordationis Gregorii IX., praedecessoris nostri, jam impressis.“

[6] „Nos opportune providere volentes“, ita ibidem *Gregorius Papa XIII.* verbotenus statuit de textu tum hujus, tum reliquarum collectionum, ad Corpus juris canonici pertinentium, „ut hoc Jus Canonicum sic expurgatum ad omnes ubique Christifideles sartum tectum perveniat, ac ne cuiquam liceat eidem operi quidquam addere, vel immutare aut invertere, nullave interpretamenta adjungere, sed prout in hac nostra Urbe Roma nunc impressum fuit, semper et perpetuo integrum et incorruptum conservetur: motu proprio et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicae potestatis plenitudine omnibus et singulis . . . in virtute sanctae obedientiae ac sub excommunicationis majoris latae sententiae . . . aliisque arbitrii nostri poenis . . . Apostolica auctoritate tenore praesentium inhibemus et interdicimus, ne“ etc. (quibus Populo Romano conceditur privilegium circa impressionem Corporis juris canonici, supra p. 70. jam memoratum).

[7] Quae editio ab initio per 14 folia, numeris non signata, post operis titulum et brevem notationem circa ipsius auctores (Gregorium IX. et Raymundem de Pennaforte) et ejus glossae (Bernardum de Botone, Parmensem), exhibet omnes rubricas titulorum collectionis Gregorianae, Libri Sexti et Clementinarum, et tum alphabeticum indicem rubricarum titulorum collectionis Gregorianae; deinde alphabeticum indicem capitum collectionis Gregorianae; postea alphabeticum indicem singularium materiarum, quae in glossis hujus collectionis adnotantur, et insuper correctionem quattuor errorum typi, regestum ejusdem collectionis et imaginem Summi Pontificis Gregorii IX. cum imaginibus Moysis, Jobi, Davidis, Jesaiae, Jeremiae, quattuor Evangelistarum, S. Pauli Apostoli, SS. Patrum Ambrosii, Hieronymi, Augustini et Gregorii.

Deinde col. 1.—1966. exhibetur ipse textus decretalium cum glossa ordinaria, et sequentibus tribus foliis, non tamen numeros gerentibus, arbor consanguinitatis et arbor affinitatis cum earum declaratione. Tum interjecto folio vacuo, per pagg. 1.—9. refertur tabula, in qua principales materiae singulorum titulorum exhibentur, a Ludovico Bolognino, supra (p. 153.) memorato, a. 1472 adornata, deinde pag. 10.—42. alphabeticus index realis materiarum, quae in capitibus hujus collectionis tractantur — sic dicta Margarita Decretalium — et in fine in uno folio, sine appositione numeri, repertorium verborum, quae in praefata Margarita continentur.

Textus capitum hic adducitur cum *summariis,* attamen *absque partibus decisis.*

§ 87. Recentiores editiones criticae hujus collectionis.

Post authenticam Romanam editionem a. 1582 nonnullae aliae criticae editiones hujus collectionis prodierunt. Et quidem

1. editio, quam instruxerunt duo jurisconsulti Galli *Petrus* et *Franciscus, gemini fratres Pithoei* (supra p. 72. laudati) et quam *Michael le Peletier*, Petri et Francisci Pithoeorum e sorore pronepos, e bibliotheca *Claudii le Peletier* per *Franciscum Desmares* Parisiis 1687 typis imprimi curavit [1].

Quae editio exhibet summaria capitum, partes decisas, non tamen textui insertas, sed subjunctas; notas editionis Romanae cum appositione: „Corr. Rom.“; porro dictorum fratrum Pithoeorum notas, cum appos.: „Pith.“, nec non alias. In hac editione nonnullae inscriptiones capitum emendatae sunt [2].

2. Editio, quam curavit supra memoratus *Justus Henning Böhmer* [3]. In qua editione *Böhmer* partes decisas, jam a Contio adductas, auxit easque pariter, utique aliis litterarum formis, ipsi capitum textui inseruit; porro varias lectiones et plures notas adjunxit. Insuper autem notabiliter a textu editionis Romanae a. 1582 recessit et hunc textum castigandum, uti ipse *Friedberg* notat [4], „nonnunquam audacius, quam felicius“ suscepit.

3. Editio, quam adornavit jam memoratus *Aemilius Ludovicus Richter* [5]. Haec editio accurate textum editionis Romanae exhibet, cui, typis antiquis impresso, auctor partes decisas, e plurimis antiquis operibus (e Collectionibus Lips., Cassel., Appendice Concil. Lateran., Quinque Compilatt. antiqq., Rainer. Pompos., Registro Papae Leonis I., Gregor. I. et Innocent. III., Collect. Concill. Mansii et Annalibus Raynaldi) haustas, typis cursivis impressas inseruit. Porro ibi auctor exhibet summaria capitum, atque sub textu in peculiaribus notis fontes singulorum capitum, nec non lectiones variantes, et in-

---

Glossa autem exhibetur cum supra (p. 150. sqq.) memoratis additamentis, nimirum cum „Additionibus“ *Joannis Andreae*, porro cum *divisionibus* titulorum et capitum atque cum *casibus*. Praeterea tum textui capitum tum glossae ad marginem *paratitla* apposita sunt.

Porro rubricae titulorum rubro, reliqua omnia nigro colore atque textus capitum majoribus, reliquus textus minoribus litterarum formis impressus exhibetur.

Nonnullos errores hujus collectionis in nominibus praesertim personarum et locorum notavit *Friedberg*, in cit. Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. XLI.

Editio illa, nunc admodum rara, habetur in c. r. bibliotheca palatina Vindobonensi.

[1] In Corporis juris canonici, ibidem editi, tom. II.

[2] *Friedberg*, in citt. prolegg. col. XLI.; *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 23. sq.

[3] In Corporis juris canonici, ed. Halae Magdeb. 1747, tom. II.

[4] In citt. prolegg. col. XLII. Cfr. *Schulte* l. c. p. 24.

[5] In Corporis Jur. can., ed. Lips. 1839, part. II.

terdum ad singulas decretales et constitutiones ecclesiasticas etiam annum, quo originetenus emissae sunt [1].

4. Editio, quam paravit item jam memoratus *Aemilius Friedberg* [2]. In qua quidem auctor pluribus codicibus mss. magnae auctoritatis et collectionis Gregorianae et Compilationum antiquarum accurate collatis, tum editionis Romanae textum exhibuit, tum etiam eum, quem *Raymundus* concinnaverat, indicare sategit, porro partes decisas, ipsi capitum textui insertas, adduxit et plurimas notas, e multis codicibus mss. et aliis operibus, uti Jafféi et Potthastii Regestis Romm. Pontiff., haustas adnexuit [3].

CAPUT SEXTUM.

Hodiernus valor collectionis decretalium Gregorianae in genere et singulorum, quae in ea continentur, in specie. Praecipui commentarii in hanc collectionem decretalium.

§ 88. Hodiernus valor hujus collectionis decretalium in genere.

Characterem juristicum, supra (§ 78.) expositum, collectio decretalium Papae Gregorii IX. qua collectio retinuit usque in hodiernum diem [4]. Non autem etiam omnia ipsius capita valorem suum usque nunc retinuerunt. Horum enim nonnulla successu temporis vel omnino vel ex parte sublata sunt, et quidem partim per sequentes decretalium collectiones publicas, nominatim per Librum Sextum Papae Bonifacii VIII. [5], partim per decreta Concilii generalis Tridentini [6], partim per recentiorem Ecclesiae disciplinam seu praxin, ab illa saec. XIII. haud parum differentem [7], partim vero etiam per recentiorem civitatis ad Ecclesiam relationem, a relatione saec. XIII. plurimum diversam, qua mutatione suae relationis ad Ecclesiam civitas omnes fere res civiles, quas olim propter earum intimum cum rebus spiritualibus et ecclesiasticis nexum Ecclesiae administrandas et judicandas reliquerat, uti sunt v. g. *causae testamentorum* [8] et similes,

[1] *Friedberg*, in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. XLII.; *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 24.

[2] In Corporis Jur. can., ed. Lips. 1879 sqq., part. II.

[3] In reliquum de ratione hujus editionis cfr. ipsius editoris relationem, in citt. prolegg. col. XLII. sqq. positam. Aliae editiones hujus collectionis infra (part. III. cap. 3.) inter editiones totius Corporis jur. can. adducentur.

[4] „Quae“ (sc. collectio Papae Gregorii IX.), ita de ea ait Papa *Benedictus XIV.* in in cit. bulla: *Jam fere sextus*, „vim et auctoritatem ad hanc usque diem perpetuo retinuit.“

[5] Uti v. g. c. 7. § 2. X. de elect. I. 6. mutatum est per c. 14. eod. in Sext. I. 6.

[6] Ita cap. 8. X. de consangu. et affinit. IV. 14. mutatum est per Conc. Trid. sess. XXIV. de reform. matrim. cap. 3. et 4.

[7] Ad quam praxin provocatur etiam in Concord. austr., d. d. 18. August. 1855, artt. IV. et XXXIV.

[8] Cfr. X. III. 26.: de testamentis.

Ecclesiae subtraxit et ad se revocavit. Unde illa capita hujus collectionis, quae de talibus materiis constituunt, nunc pristino valore legali non amplius gaudent [1].

In quantum autem nulla rationum, supra memoratarum, abrogata vel mutata sunt, capita hujus collectionis pristinum valorem legis ecclesiasticae universalis etiam nunc habent.

§ 89. Capita hujus collectionis in se [2].

Textus capitum, prouti a Raymundo adornatus fuit, a Papa *Gregorio IX.* per bullam publicationis: *Rex pacificus* approbatus est et qua talis per se valorem legis ecclesiasticae universalis habet.

Attamen quando caput illud e rescripto (decretali) alicujus Summi Pontificis adornatum est, non semper universus capitis textus valorem legis ecclesiasticae habet, sed tantummodo illa capitis pars, quae ipsam Summi Pontificis ordinationem vel decisionem continet *(pars dispositiva)*. Reliqua autem, quae ibidem praeterea forte occurrunt, uti v. g. enarratio casus, vel expositio petitionis, vel allegationes partium litigantium, in se et per se nequaquam valorem ecclesiasticae legis habent [3]. Immo neque vim interpretamenti ad sensum illius ordinationis vel decisionis pontificiae eruendum habent, nisi tunc tantummodo, quando eorum in condenda illa ordinatione vel decisione pontificia ratio habita fuisse dignoscitur.

Aliter autem res se habet, quum caput constitutionem Summi Pontificis continet, uti v. g. c. 11. X. de consuet. I. 4. In hoc enim casu omnia et singula, quae a Summo Pontifice cum intentione constituendi in capite illo proferuntur, valorem ecclesiasticae legis, et quidem universalis, habere dicenda sunt.

§ 90. Capita hujus collectionis in relatione ad se invicem [4].

Quum Papa *Gregorius IX.* collectionem, a Raymundo adornatam, approbando omnes normas juristicas, in ea comprehensas, suas ipsius fecerit, ita, ac si omnes et singulae ab ipso originetenus conditae fuissent, sequitur inde, in interpretatione singulorum capitum hujus collectionis, si quando aliqua eorum sibi invicem adversari dignoscantur, nequaquam posse, fontium, e quibus illa capita adornata sunt, habita ratione,

---

[1] Cfr. *Benedict. XIV.*, De synod. dioec., ed. Rom. 1755, lib. IX. cap. 9. n. 1. sqq.

[2] *Ponsius*, Jus canonicum juxta nativam ejus faciem, tom. I. p. 186. sq.; *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 18.; *Idem*, Die Lehre von den Quellen, p. 343.

[3] Cfr. v. g. cap. 15. X. de accusatt. V. 1.

[4] *Benedict. XIV.* l. c. lib. XI. cap. 4. n. 6. sq.; *Schulte*, Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 177. et 342. sqq.; *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 16.

applicari regulam: *Lex posterior derogat priori.* Etenim universa capita, quae in hac collectione comprehenduntur, qua talia, simul uno eodemque momento, eo videlicet, quo collectio ipsa a Papa *Gregorio IX.* per bullam: *Rex pacificus* publicata est, i. e. die 5. Septembris 1234, valorem legis ecclesiasticae acceperunt; unde inter ea hoc respectu, juristice loquendo, *prius* et *posterius* nullatenus assumi potest.

Si quando igitur inter duo capita hujus collectionis pugna deprehendatur, ea secundum alias interpretandi regulas solvenda erit. Quo respectu inter cetera considerari debebit, num forte alterum horum capitum velit statuere regulam, quae communiter valere debeat, alterum autem exceptionem ab illa regula, in casibus singularibus valituram. Qua ratione Papa *Benedictus XIV.*[1] in specie conciliandum censet cap. 9. X. de cohabit. cler. et mulier. III. 2. cum cap. 1. eod.

§ 91. Partes decisae capitum[2].

Partes decisas ullum valorem legalem non habere, inde sequitur, quod ipsae nullatenus a Papa Gregorio IX. approbatae sunt, quippe quae in textu hujus collectionis, e parte Raymundi concinnato et Papae Gregorio IX. proposito, nequaquam adessent. Neque etiam in editionem hujus collectionis authenticam, jussu et auctoritate Papae Gregorii IX. Romae a. 1582 factam, receptae sunt.

Porro neque momentum exegeticum eis tribui potest, nisi tantummodo tunc, quum eae decisae seu omissae esse dignoscuntur tanquam *superfluae,* nequaquam autem, quum eas constat omissas fuisse tanquam juri, tunc vigenti, *contrarias*[3].

§ 92. Inscriptiones capitum[4].

Inscriptiones capitum, quamvis et ipsae a Raymundo assumptae et una cum reliquo textu Papae Gregorio IX. propositae fuerint, tamen valorem legalem nullatenus habent. Etenim Summus Pontifex *Gregorius IX.* Raymundo nequaquam mandaverat, ut opus historicum,

---

[1] De Synod. dioec. lib. XI. cap. 4. n. 6. sq.

[2] *Joan. Andreae,* Novella comment., in Gregor. IX. bullam publicat.: *Rex pacificus,* v. *Rex,* I. n. 39.; Papae *Benedicti XIV.* litterae: *Redditae nobis,* die 4. Decembris 1744 ad archiepiscopum S. Dominici in insula Hispaniola (St. Domingo) Indiae Occidentalis datae, § 9. sqq., (Bullar. Roman. ed. Luxemburg. 1727 sqq., tom. XVI. p. 262.); *Giraldi,* Expositio Jur. pontif. juxta recent. Ecclesiae discipl., ed. II. Rom. 1829 sq., part. I. tom. 2. pag. 541. sect. 733.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 17.

[3] Qua ratione *Joan. Andreae* l. c. n. 39., provocando ad *Vincentium Hispanum,* ait: „Dixit (Vincentius) etiam, quod, si dubitatur de decretali hic contenta, qualiter intelligi debeat, partem resecatam inducere possumus. Quod verum est, si sit remota, quia superflua, vel prolixa, non, quia juri contraria."

[4] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 343. et p. 359.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 19.

v. g. Regestum Pontificum Romanorum, exararet, in quo accurate auctor et tempus singularum epistolarum decretalium et constitutionum pontificiarum exhiberetur, sed, ut ecclesiasticum *codicem* seu *librum legalem* componeret, qui indigentiis aevi illius plene satisfaceret et nomen ipsius Summi Pontificis *Gregorii IX.* gereret. In codice hujusmodi autem nihil interest, a *quo* praecise decretalis epistola vel constitutio, e qua capita ipsius adornata sunt, originetenus provenerit, eo quod respectivum caput hujus codicis non ab originario auctore illius decretalis epistolae vel constitutionis pontificiae, sed ab auctore hujus codicis, videlicet Papa Gregorio IX., qui hunc codicem adornari jussit et adornatum approbavit, suum valorem legalem obtinet.

Porro hic attendendum est, plures illarum inscriptionum manifeste falsas aut corruptas esse [1], et quidem etiam in editione Romana a. 1582 [2].

Interdum tamen inscriptiones illae, quum eas genuinas esse constat, momentum exegeticum habent, nimirum pro determinatione significationis vocum, quae in illa originali epistola decretali in peculiari significatione illius regionis aut dioeceseos, quorsum haec missa erat, adhibitae sunt, et quas Papa *Gregorius IX.* in hoc capite eadem significatione accepit. Qua ratione v. g. inscriptio capitis 27. X. de spons. et matrim. IV. 1.: „Idem (Innocentius III.) Episcopo Belvacensi (i. e. Beauvais in Gallia)“, lucem affert ad inveniendam significationem dictionis: „banna matrinii“, quae, in illa regione Galliae usitata, in eodem capite occurrit [3].

§ 93. Summaria capitum [4].

Summaria capitum valorem legalem nequaquam habere, jam inde consequitur, quod ipsa a Papa Gregorio approbata non sunt, immo neque a Raymundo proveniunt, sed demum post illum successu temporis ab editoribus hujus collectionis e lecturis seu commentariis ad eam adornatis, v. g. Abbatis antiqui, Joannis Andreae, Abbatis Siculi (Panormitani) et aliorum canonistarum hausta et capitibus istis praefixa sunt. Unde patet, eis solummodo doctrinalem valorem inesse,

---

[1] Perperam gl. ad c. 24. de elect. in Sext. I. 6. v. *Praedicatorum*, et post eam *Reiffenstuel*, Jus canon. univ., Prooem. n. 108. sqq. asserit, inscriptiones seu, uti tum dicta glossa, tum *Reiffenstuel* eas vocat, *superscriptiones*, esse authenticas, et posse ex illis fieri illationes. Utique, ubi illas certo constet esse authenticas seu reapse a Curia Romana ita conceptas, posse ex iis circa jus, in Curia Romana agnitum, inferri, per se patet. Attamen ex eo solo, quod inscriptiones illae in hac collectione Decretalium occurrunt, inferri nequaquam potest, eas esse authenticas.

[2] Cfr. *Friedberg*, in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. XLI.

[3] Porro cfr. inscriptionem cap. 19. X. de jurejurand. II. 24.: „Idem (Innocent. III.) Consulibus et Populo Tudertino.“

[4] *Reiffenstuel*, Jus canon. univ., Prooem. n. 106.; *Schulte*, Die Lehre von den Quellen, p. 360.; *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 20. in not.

qui scilicet omnino pendet a rationibus, quibus ipsa innituntur, nominatim ab eo, utrum reapse tenori capitum congruant, necne.

Porro autem eadem summaria testimonium perhibent, *quo sensu* respectiva capita tunc temporis accepta a canonistis fuerint [1].

§ 94. Rubricae titulorum.

Rubricae titulorum, eo quod ab ipso Raymundo propositae et una cum capitum textu a Papa *Gregorio IX.* per bullam publicationis: *Rex pacificus* approbatae sunt [2], eundem ac ille textus valorem legalem habent. Et hinc non solum vim interpretamenti habent pro indagando sensu singulorum capitum, quae sub illa rubrica tanquam species sub genere posita sunt [3], verum etiam, quum plenum fundunt sensum, i. e. quando completam propositionem constituunt, plane pro lege ecclesiastica allegari possunt [4].

§ 95. Glossa ordinaria [5].

Glossa ordinaria hujus collectionis legalem valorem non habet, eo quod demum post publicationem hujus collectionis et tantummodo a viris privatis composita, nec deinceps a Sede Apostolica approbata est.

Verumtamen magnum valorem doctrinalem habet, et quidem jam propter insignem eruditionem theologicam et juristicam, qua ejus auctores pollebant.

Quo factum est, ut plures ejus opiniones vel ab ipsis Summis Pontificibus adoptarentur et valore ecclesiasticae legis donarentur seu canonizarentur.

Praeterea autem valori glossae doctrinali augmentum inde accedit, quod ejus auctores origini hujus collectionis fere coaevi erant, et hinc gravissimi testes super eo sunt, quo sensu hoc vel illud caput, vel

---

[1] Cfr. v. g. summarium cap. 12. X. de temp. ordinatt. I. 11., porro Papae *Benedict. XIV.* const.: *In postremo,* d. d. 20. Oct. 1756, § 3. sqq. (Bullar. Rom. ed. Luxemburg. 1727 sqq., tom. XIX. p. 253. sqq.).

[2] Immo jam prius plurimas earum approbavit Papa *Innocentius III.* per bullam: *Devotioni vestrae,* sub qua Compilationem III., suo jussu adornatam, Universitati Bononiensi transmisit. Cfr. supra p. 112. not. 2.

[3] Qua ratione v. g. ex rubrica X. IV. 3.: „de clandestina desponsatione" deducitur, contractum matrimonii, de quo in capp. 1.—3. eod. agitur, recte dici posse desponsationem, et hinc ipsum matrimonium etiam *sponsalia* (utique *de praesenti,* secundum cap. 31. X. de spons. IV. 1.) dici posse.

[4] V. g. X. II. 6.: Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam definitivam (subaudi: *statuitur*).

X. II. 16.: Ut lite pendente nihil innovetur.

X. III. 9.: Ne sede vacante aliquid innovetur.

X. III. 50.: Ne clerici vel monachi negotiis saecularibus se immisceant. Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 18. sq.

[5] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen, p. 361.

quo significatu haec vel illa capitis vocula jam inde ab exordio hujus collectionis in Ecclesia accipi consueverit.

Idem juxta modum tenendum est etiam circa diversa additamenta glossae ordinariae, uti sunt v. g. *casus*, *divisiones* et reliqua[1].

§ 96. Praecipui commentarii in hanc collectionem decretalium.

Commentarios in hanc collectionem inter ceteros exaraverunt

1. *Guilielmus Naso,* supra (p. 148. not. 5.) laudatus[2].

2. Papa *Innocentius IV.* (1243—1254), dum Lugduni post absolutum ibidem, Concilium generale, Lugdunense I., 26. Jun.—17. Jul. 1245 celebratum, morabatur. Quod opus prodiit inter cetera Lugd. 1525, Venet. 1570 et alibi, sub titulo: „Innocentii IV. Pontificis Maximi in Quinque Decretalium Libros commentaria." Quod tamen opus Papa Innocentius IV. privata tantummodo auctoritate adornavit, uti testatur Papa Benedictus XIV. (1740—1758) in praefatione sui operis: De synodo dioecesana, ed. Rom. 1755[3].

3. *Joannes de Deo,* supra (p. 55.) occasione Decreti Gratiani memoratus, sub titulo: „Lectura in Decretales."[4]

4. *Bernardus,* natione *Hispanus,* Papae *Innocentii IV.* capellanus, a beneficio ecclesiastico, quod *Compostellae* in Hispania possidebat, dictus *Compostellanus* et, ut ab alio *Bernardo Compostellano,* qui temporibus Papae *Innocentii III.* (1198—1216) florebat (cfr. supra p. 111.), distingueretur, Bernardus Compostellanus *junior (modernus)* cognominari solitus. Cujus lectura huc spectans, non tamen absoluta, sub diversis titulis occurrit, uti: Casus decretalium, Notabilia, Apostillae, Apparatus, Lectura[5].

5. *Henricus de Segusio (de Segusia),* Segusii (Susa) in Pedemontio nobili Bartholomaeorum genere natus, Bononiae et Parisiis juris canonici professor, postea Ebredunensis (Embrun) in Gallia archiepiscopus et inde a die 4. Decembris 1261 Cardinalis episcopus *Ostiensis,* unde communiter *Hostiensis* appellatur († 1271). Ejus commentarius, intitulatus: „Lectura seu Apparatus domini Hostiensis super Quinque Libris Decretalium", prodiit inter cetera *Argentinae* 1512, 2 tomm. in fol.[6].

6. *Abbas antiquus,* supra (p. 148. not. 5.) memoratus, qui exaravit: „Lectura seu Apparatus ad Decretales Gregorii."[7]

---

[1] Cfr. cap. 12. X. de temp. ordinat. I. 11. et casum hujus capitis.

[2] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 79.

[3] Quod opus Papae Innocentii IV. hujus capellanus Bernardus Compostellanus, cognomento *junior*, in compendium redegit, sub titulo: *Margarita Compostellana.* Cfr. *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 317. sqq. et p. 349. sqq.

[4] *Schulte* l. c. p. 106.

[5] *Schulte* l. c. p. 118. sq. [6] *Schulte* l. c. p. 123. sqq.

[7] *Schulte,* Beiträge zur Literatur über die Decretalen Gregors IX. etc., in citt. relatt. sess. tom. LXVIII. p. 90. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 130. sq.

7. *Aegidius Fuscararius,* patria Bononiensis († 1289). Opus ejus, huc spectans, inscribitur: „Lectura in Decretales." [1]

8. *Franciscus,* a loco natali: Vercellae (ital. Vercelli, in Sardinia) *Vercellensis* cognominatus, florens altero dimidio saec. XIII.; cujus opus, huc pertinens, gerit titulum: „Apparatus in Decretales Gregorii IX." [2]

9. *Boatinus,* etiam *Bovettinus de Bovettinis* dictus, patria Mantuanus, juris canonici in Universitate Patavina per annos quadraginta tres professor et inde ab a. 1267 Capituli cathedralis Patavini canonicus († 1300), cujus opus, huc spectans, inscribitur: „Lectura super decretales Gregorii IX." [3]

10. *Joannes,* Rifredi prope oppidum Mugellum in ditione Florentina c. a. 1270 natus, a patre *Andrea* (mater ejus dicebatur *Novella*) *Joannes Andreae* cognominatus, in Universitate Bononiensi juris canonici professor, qui, quando propter infirmitatem corporis praelectiones ipse habere non valebat, easdem scriptis mandatas a filia sua *Novella,* obducto aulaeo, scholaribus recitari curabat († 1348) [4]. Ejus commentarius, huc spectans, quem in honorem suae matris ac filiae intitulavit: „*Novella* commentaria in Decretales Gregorii IX.", prodiit Romae 1476, Venet. 1581 et iterum 1612 et alibi, 5 voll. in 2 tomm. in fol.

11. *Baldus de Ubaldis,* patria Perusinus (Perugia), juris canonici Bononiae et in aliis Universitatibus Italiae professor († 1400), scripsit: „Lectura super Lib. I. II. et III. decretalium", quae prodiit Lugd. 1585.

12. *Petrus de Ancharano,* nobili Farnesiorum genere in castro Tusciae, dicto *Ancharano,* c. a. 1350 natus, juris canonici in Universitate Bononiensi et in aliis professor († 1416), scripsit: „Commentaria in Decretales", quae prodierunt Lugd. 1535—43, 5 voll. in fol.

13. *Franciscus de Zabarellis,* patria Patavinus, juris canonici in Universitatibus Patavina et Florentina professor, deinde Florentinus archiepiscopus et postea Cardinalis († 1417 Constantiae), exaravit „Commentaria in quinque Libros Decretalium", quae prodierunt Venet. 1622 in fol.

14. *Antonius de Butrio,* patria Bononiensis, juris can. in Universitate Bononiensi professor († 1408), adornavit: „Commentaria in quinque Libros Decretalium", quae edita sunt Venet. 1501 et 1585.

15. *Dominicus a S. Geminiano,* in castro S. Geminiani in ditione Florentina altero dimidio saec. XIV. natus, juris canonici in Bononiensi Universitate professor († saec. XV.), scripsit: „Commentarius in libros decretalium", ed. Venet. 1585.

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 139. sq.

[2] *Schulte* l. c. p. 157.

[3] *Schulte,* Beiträge zur Literatur über die Decretalen Gregors IX. etc., l. c. p. 98. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 157. sqq.

[4] *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts, tom. VI. p. 100. sqq.; *Schulte* l. c. p. 205. sqq.

16. *Joannes de Nicoletis*, a loco natali *Imola* in Patrimonio S. Petri communiter *Joannes de Imola* dictus, juris canonici in Universitatibus Bononiensi, Ferrariensi et Patavina professor († 1436), scripsit: „Commentaria seu Lectura super Quinque Libros Decretalium", ed. Venet. 1575 in 3 voll.

17. *Nicolaus de Tudeschis*, Cataneae in Sicilia versus finem saec. XIV. natus, O. S. B., juris canonici in Universitatibus Senensi et Bononiensi professor, anno 1425 S. Mariae Maniacensis (de Maniacio) in dioecesi Messanensi in Sicilia abbas, unde etiam *Abbas Siculus* dici et, ut ab *Abbate antiquo*, supra (p. 148. sq.) memorato, distingueretur, *Abbas modernus* seu *novus* cognominari solet, anno 1427 archiepiscopus Panormitanus factus, unde simpliciter *Panormitanus* appellatur, et serius Cardinalis († 1453), adornavit: „Lectura in Decretales", ed. Lugd. 1524 et alibi saepius.

18. *Andreas de Barbatia*, Messanae in Sicilia natus, unde etiam *Andreas Siculus* dicitur, a promissa barba, uti nonnulli putant, quam gestasse fertur, *de Barbatia* cognominatus, juris canonici in Bononiensi et Ferrariensi Universitatibus professor († 1479), scripsit: „Commentaria super I., II. et III. Libro Decretalium", ed. Venet. 1508, 1511 et 1571, 5 voll. in fol.

19. *Alexander Tartagnus*, a loco natali *Imola* in Patrimonio S. Petri etiam *Alexander ab Imola* dici solitus, juris canonici in Bononiensi et aliis Universitatibus professor († 1477), adornavit: „Lectura in Librum III. Decretalium", ed. Bonon. 1485.

20. *Alexander de Nevo*, patria Vincentinus (*Vicenza* in ditione Veneta), juris canonici in Universitate Patavina professor († versus finem saec. XV.), exaravit: „Commentum in libros Decretalium." [1]

21. *Felinus Sandeus*, natus *Felinae* in dioecesi Regiensi ducatus Mutinensis, juris canonici in Universitatibus Ferrariensi et Pisana professor, deinde Lucensis episcopus († 1503), scripsit: „Lectura in varios titulos Libri I., II., IV. et V. decretalium", quae prodiit Basil. 1567 in 4 voll. in fol.

22. *Augustinus Berojus*, patria Bononiensis, juris canonici in Bononiensi Universitate per annos quinquaginta professor († 1554), scripsit: „Commentaria super Decretales", ed. Lugd. 1550, Venet. 1580.

23. *Paulus Laymannus*, patria Oenipontanus (Innsbruck in Tyroli), natus a. 1575, S. J., juris canonici Dillingae, Monaci et in aliis academiis professor († 1635) [2], scripsit: „Jus canonicum, sive commentaria in Libros Decretalium", quod prodiit Dilling. 1663, 1666 et 1673, et Tubing. 1666—1698, 3 voll. in 4°, voluminibus IV. et V. incendio, ut fertur, absumptis [3].

---

[1] *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 330. sq.

[2] *Jöcher*, Allgem. Gelehrten-Lex., tom. II. col. 2209.; *Bäcker*, Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de Jésus. Liège 1853 ss., I. série, p. 448. ss.

[3] *Schulte* l. c. tom. III. part. 1. p. 135.

24. *Augustinus Barbosa*, Ugentinus in ditione Neapolitana episcopus († 1649)[1], composuit commentarium in Gregorii Papae IX. decretales, qui habetur in ipsius „Collectaneis Doctorum in Jus pontificium universum", ed. Lugd. 1637, 1647, Venet. 1716—1719, tom. I.—III.

25. *Emmanuel Gonzalez de Tellez*, natione Hispanus, juris canonici in Universitate Salmanticensi professor († 1649)[2], qui scripsit: „Commentaria perpetua in singulos textus quinque Librorum Decretalium Gregorii IX.", ed. Lugd. 1673, 1713 in 5 voll. in fol., item Francoford. a. 1690 in 5 voll. in fol., in quo commentario auctor cum amplissima eruditione singula capita, attamen in ea forma, quam illa in Compilationibus antiquis habent, exponit; unde hic commentarius potius historico, quam juristico et practico respectu usui esse dicendus est.

26. *Prosper Fagnanus*, natus Romae 1598, professor juris canonici in Universitate Romana, deinde S. Congr. Concil. Tridentini[3] secretarius († 1678)[4], exaravit praeclarissimum opus, inscriptum: „Jus canonicum sive commentaria in quinque Libros Decretalium", ed. Rom. 1659, Colon. Agripp. 1681, et alibi, 5 voll. in fol., in quo commentario adductis plurimis resolutionibus dictae S. Congregationis singula, non omnia tamen, sed solum graviora, capita hujus collectionis quam accuratissime exponit.

Tandem hic quadamtenus memorandus est

27. *Ubaldus Giraldi a S. Cajetano*, clericorum regularium scholarum piarum rector collegii Romani[5]. Cujus opus, huc spectans, inscribitur: „Expositio juris pontificii juxta recentiorem Ecclesiae disciplinam", et prodiit Romae 1769, et iterum ibid. 1829 sq., 3 tomm. in fol., in quo opere ad singula capita hujus collectionis etiam posteriorum collectionum decretalium, decretorum Concilii Tridentini atque recentiorum constitutionum pontificiarum ratio habetur[6].

---

[1] *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. III. part. 1. p. 746. sq.

[2] *Schulte* l. c. p. 742.

[3] Cfr. de hac congregatione *Bangen*, Die Römische Curie. Monaster. 1854, p. 145. sqq.

[4] *Schulte* l. c. p. 485. [5] *Schulte* l. c. p. 534. sq.

[6] Porro plures alii commentarii ad hanc collectionem decretalium memorantur, uti *Fratris Jacobi*, *Petri Bertrandi*, *Joannis de Lignano*, *Henrici Bohic (Boyk, Boich, Voich)*, *Aegidii Bellamerae*, *Bohuslai Pragensis*, *Joannis Poggii* (*de Podio)*, *Mariani Sacini*, *Joannis de Anania*, *Jacobi de Zacchis de Ferraria*, *Angeli de Castro*, *Francisci de Accoltis (Aretini)*, de quibus vide *Schulte* l. c. tom. II. pp. 178., 235. sq., 275. sqq., 286. sqq., 274., 285., 311. sq., 319. sq., 321., 327. sq., 331. et 333. sq.

SECTIO TERTIA.

Collectiones decretalium, post collectionem Papae Gregorii IX. a. 1234 usque ad Pontificatum Bonifacii VIII. (1294—1303) adornatae [1].

§ 97. Generatim.

Collectio decretalium Papae *Gregorii IX.*, die 5. Septemb. 1234 publicata, haud diu indigentiis fori ecclesiastici plene satisfaciebat. Mox enim novae decretales epistolae et constitutiones pontificiae prodierunt, tum ab ipso Papa *Gregorio IX.* († 22. August. 1241), tum, excepto *Coelestino IV.*, qui paucis tantummodo diebus (25. Oct. u. ad 10. Nov. 1241) Ecclesiae praefuit et nullam decretalem epistolam aut constitutionem emisit, ab ejus successoribus, qui usque ad *Bonifacium VIII.* (24. Dec. 1294—11. Oct. 1303) Ecclesiae praefuerunt, nominatim ab *Innocentio IV.* (1243—1254), *Alexandro IV.* (1254 u. ad 1261), *Urbano IV.* (1261—1264), *Clemente IV.* (1265—1268), *Gregorio X.* (1271—1276), *Innocentio V.* (21. Jan.—22. Jun. 1276), *Hadriano V.* (11. Jul.—18. Aug. 1276), *Joanne XX.* [2] (8. Sept. 1276 u. ad 20. Maji 1277), *Nicolao III.* (1277—1280), *Martino IV.* (1281—1285) [3], *Honorio IV.* (1285—1287), *Nicolao IV.* (1288—1292) et *Coelestino V.* (5. Jul.—13. Dec. 1294).

Quae decretales et constitutiones pontificiae, quia in collectione *Gregoriana* non comprehendebantur, sed extra eam vagabantur, dictae sunt *extravagantes.*

Quas tum nonnulli Summorum Pontificum, uti certo *Innocentius IV.*, *Gregorius X.* et *Nicolaus III.*, et verosimiliter etiam *Alexander IV.*, *Urbanus IV.* et *Clemens IV.* [4], tum plures etiam virorum eruditorum

---

[1] *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 345.—354.; *Schulte,* Die Decretalen zwischen den „Decretales Gregorii IX." und „Liber VI. Bonifacii VIII." (quem tractatum heic brevitatis causa voc.: „Die Decretalen" citabimus), in citt. relatt. sess. tom. LV. p. 701.—797.; *Idem,* Beiträge zur Literatur über die Decretalen Gregors IX. etc., in citt. relatt. sess. tom. LXVIII. p. 55.—127; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 29.—34.

[2] Alias XXI., quae differentia inde venit, quod nonnulli historici illum, qui post mortem Papae *Joannis XIV.* († 20. August. 984) substitutus fuit tanquam Summus Pontifex, nomine *Joannis XV.*, et post menses quattuor obiit, inter Summos Pontifices numerant, alii autem, et recte quidem ideo, quod non legitime electus fuit, omnino omittunt; hi posteriores igitur *Joannem XX.* dicunt, quem illi *Joannem XXI.* nominant. Cfr. *Hergenröther,* Handbuch der allgem. Kirchengeschichte, ed. III. Friburg. Brisgov. 1884—1886, tom. II. p. 38. not. 3.

[3] Quem tanquam *Martinum IV.* illi numerant, qui post *Martinum I.* (649—655) eum, qui alias *Marinus I.* (882—884) dicitur, nominant *Martinum II.*, et *Marinum II.* (943—946) dicunt *Martinum III.* Alii hunc, quem scripsimus *Martinum IV.*, numerant *Martinum II.* Cfr. *Hergenröther* l. c. tom. II. p. 1062. sq. et p. 1126. col. 2.; *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm., vol. II. p. 1756. in not. *.

[4] *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 703. sqq., p. 713. in not. 42., p. 714. sq.

privatorum in collectiones, magis minusve amplas, redegerunt. Qua ratione mox plures illarum extravagantium collectiones, publicae et privatae, ortae sunt.

Et nonnulli Summi Pontifices, uti nominatim *Innocentius IV.*, *Gregorius X.* et *Nicolaus III.* [1], plane praeceperunt, ut decretales et constitutiones, ipsorum collectionibus comprehensae, collectioni *Gregorianae* in titulis, ad unamquamque earum indicatis, insererentur. Et illae quidem, quae in collectionibus Papae *Innocentii IV.* continebantur, decretales et constitutiones pontificiae, in pluribus exemplaribus collectioni Gregorianae reapse insertae sunt, uti non solum multi codices mss. hujus collectionis, sed etiam apparatus exegeticus, a Papa *Innocentio IV.* ad eandem collectionem Gregorianam adornatus [2], in quo praefatae decretales et constitutiones ipsius in fine competentium titulorum collectionis Gregorianae adnexae adducuntur et exponuntur, manifeste demonstrant [3]. Non in *omnibus* exemplaribus collectionis Gregorianae, et praesertim in glossatis, has decretales et constitutiones pontificias posteriores, et quidem nec solius Papae Innocentii IV., dictae collectioni Gregorianae inseri potuisse, nimirum propter defectum congrui spatii, facile intelligitur. Et hinc saepius dictae decretales et constitutiones seorsim, sive tanquam appendix collectionis Gregorianae, sive tanquam peculiaris collectio, occurrunt.

Utrum decretales et constitutiones, collectionibus Summorum Pontificum *Gregorii X.* et *Nicolai III.* comprehensae, collectioni Gregorianae insertae fuerint, non constat; immo verosimile est, eas, et quidem propter causam praedictam, videlicet propter defectum spatii, insertas non fuisse [4].

Quarum collectionum, sive a Summis Pontificibus, sive a viris eruditis privatis adornatarum, nonnullae in sequentibus in medium adducentur [5].

§ 98. Collectiones decretalium et constitutionum Papae Innocentii IV. et quidem: A. publicae.

I. Collectio, die 21. Aprilis 1246 publicata. Nimirum Papa *Innocentius IV.* (25. Jun. 1243—7. Dec. 1254), quum Lugduni in Gallia moraretur, absoluto Concilio generali Lugdunensi I., ibidem 26. Junii

et p. 758.; *Idem*, Lehrbuch des katholischen und evangelischen Kirchenrechts, ed. IV. Giessae 1886, p. 26. sq.

[1] *Schulte*, Die Decretalen, in citt. relatt. sess. p. 705. et 718.

[2] Memoratus supra p. 161. [3] *Schulte* l. c. p. 759. sq.

[4] *Schulte* l. c. p. 711. et 722. sq.; *Idem*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. 32.

[5] E praefato, quem *Schulte* adornavit, tractatu: Die Decretalen, l. c. p. 705. sqq., in quo auctor plures illarum decretalium et constitutionum pontificiarum verbotenus adducit, porro egregias notas chronologicas et criticas apponit insuperque monstrat, quatenus aliqua illarum decretalium et constitutionum pontificiarum in Librum Sextum Papae Bonifacii VIII. recepta fuerit.

u. ad 17. Julii 1245 habito [1], constitutionem: *Romana Ecclesia,* quam occasione causae, inter Juellum, Rhemensem archiepiscopum, et ejus suffraganeos coram se Lugduni agitatae et ab ipso decisae, ibidem die 17. Martii 1246 ediderat [2], in *decem* capita, quibus omnibus initiales voces ejusdem constitutionis, *Romana Ecclesia,* praefixit, divisam, una cum decretali Papae *Gregorii IX.,* quae incipit: *Praesentium,* post publicationem ipsius collectionis decretalium (a. 1234) ad Rothomagensem in Gallia archiepiscopum circa causam, inter abbatem et conventum cujusdam monasterii dioeceseos Andegavensis (Angers) atque priorem et conventum cujusdam monasterii dioeceseos Lingonensis (Langres) agitatam, directa [3], sub peculiari bulla: *Cum inter venerabiles,* d. d. Lugduni die 21. Aprilis 1246 [4], ad Parisiensem Universitatem transmisit, cum mandato, ut haec illis constitutionibus in judiciis et in scholis uteretur easque insuper collectioni decretalium Gregorianae in titulis juxta ipsas designatis inseri curaret [5].

---

[1] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm. vol. II. p. 992.—996.

[2] Scribitur esse data: „XVI. Kal. April. Pontificatus a. 3." Vide *Potthast* l. c. p. 1020. sub: „a. 1246, Mart. 17. Lugduni"; porro *Élie Berger,* Les registres d'Innocent IV. Paris 1884—1887, tom. I. p. 273. n. 1831. Inde autem manifestum est, non potuisse hanc constitutionem Papae Innocentii IV. jam *ante* Concilium Lugdunense I. publicari, uti asserit *Schulte* (Die Decretalen, in citt. relatt. sess. p. 706. not. 16.).

[3] Quae decretalis refertur in Corporis jur. can., ed. Just. Henning Böhmer, Halae Magd. 1747, tom. II. append. III. col. 355. sq. cap. 20.

[4] Data esse scribitur: „XI. Kal. Maji Pontificatus a. 3.", quod est: die 21. Aprilis 1246 (*Potthast* l. c. p. 1022. n. 12062.). Proinde hoc *Schulte* l. c. minus recte reddit, dicens: „Also 21. Apr. 1245." Nam inde a die 25. Jun. 1243 usque ad diem 24. Jun. 1244 currit Pontificatus Innocentii IV. annus 1.; inde a 25. Jun. 1244 — 24. Jun. 1245 annus 2., atque inde a 25. Jun. 1245 — 24. Jun. 1246 annus 3. Qua ratione dies XI. Kal. Maji (21. April.) Pont. a. 3. nequaquam ad annum 1245, sed ad annum 1246 pertinet. Inde simul patet, non potuisse hanc bullam jam ante Concilium generale Lugdunense I. emitti, uti putat *Schulte* (Die Decretalen, l. c. p. 706. not. 16.).

[5] Quae bulla, ab *Augustino Theiner* in codice ms. bibliothecae nationalis Parisienis (lat. mbr. n. 4295.) inventa, ubi gerit inscriptionem: „Institutiones et decretales Innocentii IV. super causa coram ipso inter archiepiscopum rehemensem et ejus suffraganeos agitata", et ab eo in ipsius: Recherches sur plusieurs collections inédites des Décretales, Paris 1832, p. 66., nec non in ipsius: Disquisitiones criticae, ed. Paris 1836, p. 137. descripta, in Corpore jur. can., ed. *J. H. Böhmer,* l. c. col. 352. cap. 6. adducta est his verbis: „Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis universitati magistrorum scolarium Parisiis commorantibus salutem et apostolicam benedictionem. Cum inter venerabiles fratres nostros Remensem archiepiscopum ex parte una et ipsius suffraganeos ac dilectos filios tam cathedralium quam aliarum ecclesiarum capitula, nec non abbates et conventus monasteriorum provinciae Remensis ex altera, super diversis articulis quaestione pendente, nos diffinitivam super eis sententiam duximus promulgandam, et nonnulla, quae terminata per sententiam hujusmodi extiterunt, fecimus postmodum specialiter elici: volentes ea deinceps a ceteris observari, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus illis in judicio utamini et in scholis, sub certis titulis, prout in pagina distinguimus, inseri facientes. Hujus vero statuta sunt haec." Et nunc dicta decem capita ipsa adducuntur. Post quae Papa Innocentius IV. praefatam decretalem epistolam Papae Gregorii IX.: *Praesentium* his verbis adducit:

II. Collectio serius, certo autem ante diem 19. Sept. 1251, ab ipso Lugduni adornata et publicata.

Videlicet post editam collectionem, supra memoratam, Papa Innocentius IV., dum tamen adhuc Lugduni morabatur [1], plures constitutionum, in Concilio generali Lugdunensi I. editarum, eas nimirum, quas communi usui fore dignoscebat, illis, quae tantummodo temporales erant, omissis [2], porro nonnullas decretales et constitutiones suas extra illud Concilium emissas, et in specie illas, quae supra sub n. I. memoratae sunt, in peculiarem collectionem redegit, quam in 28 titulos, ad instar collectionis Gregorianae, et in 42 capita divisam, sub bulla: *Cum in Concilio Lugdunensi* [3] ad Parisiensem et Bononiensem Universitates nec non ad Bononiensem episcopum [4] transmisit, mandans, ut decretales et constitutiones, in illa collectione relatae, in judiciis et in scholis adhiberentur atque etiam collectioni Gregorianae in titulis ad singulas earum indicatis insererentur [5].

Collectio ipsa adducitur in pleno verborum tenore apud *Böhmer* [6] et *Mansi* [7], et in compendio, videlicet solummodo cum rubricis titulorum atque initialibus vocibus singularum decretalium et constitutionum, apud *Schulte* [8].

Lugduni autem hanc collectionem adornatam esse, et sic certo ante diem 19. Septembris 1251, qua Papa Innocentius IV. Lugduno, Romam reversurus, discessit [9], dubio caret. Narrat enim *Thomas Diplovataccius,*

„*Ad haec*, quia in quadam epistola felicis recordationis Gregorii, Papae IX., praedecessoris nostri, quaedam invenimus declarata, ipsius tenorem epistolae vobis transmittimus, sub titulo: *de testibus* adnectendam, quae talis est: Gregorius episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri nostro, archiepiscopo Rothomagensi, salutem et apostolicam benedictionem. Praesentium tibi auctoritate mandamus, quatenus in causa, quae inter abbatem et conventum sancti Nicholai Andegav. ex parte una, et priorem“ etc. Apud *Böhmer*, Corp. jur. can., tom. II. append. III. col. 356. cap. 20.

[1] Morabatur autem ibi usque ad diem 19. Sept. 1251, qua, reversurus Romam, Lugduno discessit. (*Potthast*, Regesta Pontiff. Rom., vol. II. p. 1180.)

[2] Huc pertinent v. g. illius Concilii constitutiones de subsidio, mittendo Imperatori Constantinopolitano, de Tartaris, super Cruciata. (*Harduin.*, tom. VII. col. 388. sqq. n. 13. sqq.; *Mansi*, tom. XXIII. col. 622. sqq.; *Schulte*, Die Decretalen, l. c. p. 709. not. 26.)

[3] Datum hujus bullae certo determinari nequit.

[4] *Schulte* l c. p. 705. not. 14.

[5] Quae bulla, ad Parisiensem Universitatem data (apud *Schulte* l. c. p. 705.), sonat, ut sequitur: „Innocentius episcopus, servus servorum Dei, universitati magistrorum et scholarium Parisiis salutem et apostolicam benedictionem. Cum in Concilio Lugdunensi quasdam constitutiones super certis articulis duximus promulgandas, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus eis, quas sub bulla nostra vobis transmittimus, uti velitis amodo tam in judiciis quam in scholis, ipsas sub titulis, prout sub qualibet earum exprimitur, inseri facientes.“

Bulla, ad *Bononiensem* Universitatem directa, ejusdem fere tenoris verborum, adducitur apud *Böhmer* l. c. col. 351. sq.

[6] L. c. col. 351.—368. [7] Collect. Concill. tom. XXIII. col. 651. sqq.

[8] L. c. p. 705.—708. [9] *Potthast* l. c. vol. II. p. 1180.

jurisconsultus saec. XVI. († 1541)[1], et post illum *Sarti*[2], Innocentium IV., dum moram traheret Lugduni post Concilium ibi celebratum, composuisse apparatum super illis constitutionibus et decretalibus, insertum in ipsius apparatu super collectione decretalium Papae Gregorii IX. in fine cujuslibet tituli[3]. Unde necessario consequitur, illam collectionem, has Papae Innocentii IV. decretales et constitutiones continentem, Lugduni, et hinc certe ante diem 19. Septembris 1251 adornatam esse debuisse.

III. Collectio, die 9. Septemb. 1253 edita. Quum nempe Papa *Innocentius IV.* cognovisset, a nonnullis aliquas tales decretales et constitutiones suas collectioni Gregorianae inseri, quas ille communi usui non destinaverat, immo vel nonnullas omnino spurias, hinc ipse anno 1253 omnium constitutionum et decretalium epistolarum, quas hucusque ediderat et quas communiter observari et hinc collectioni Gregorianae inseri voluit, *voces initiales* cum designatione competentium titulorum, quibus illae inserendae essent, sub bulla: *Ad expediendos* (al. *Ad explicandos*), d. d. Assisii, V. Idus Sept. Pont. a. 9. (i. e. 9. Sept. 1253)[4], ad Philippum, Bononiensem archidiaconum, transmisit, cum mandato, ut hic illas decretales et constitutiones magistris et scholaribus Bononiensibus exponeret et collectioni Gregorianae in titulis ad singulas earum adnotatis inseri curaret et insuper nomine Summi Pontificis prohiberet, quominus quis alias praeter istas decretales vel constitutiones, a Papa *Innocentio IV.* sive jam editas, sive adhuc edendas, absque mandato Sedis Apostolicae speciali inserere collectioni Gregorianae auderet[5].

---

[1] *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts etc., tom. III. p. 40.

[2] De clar. archigymn. Bonon. professoribus, t. I. part. 1. p. 345. not. 3.

[3] Qui apparatus prodiit inter cetera Venetiis 1570, sub titulo: „Innocentii IV· P. M. in Quinque Decretalium Libros, nec non in Decretales per eundem Innocentium editas, quae modo sunt in Sexto Decretalium libro insertae, commmentaria.“ Cfr. supra p. 161.

[4] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm., vol. II. p. 1245. n. 15129.

[5] Haec bulla, primum a Papa *Benedicto XIV.* in archivio Vaticano detecta (cfr. ejus const.: *Jam fere sextus*, in fronte ipsius Bullarii positam), verbotenus sonat, ut sequitur: „Ad expediendos (al. explicandos) nodos multiplicium quaestionum, quos de rebus jugiter emergentibus contra varios positivi juris articulos humanae indaginis inducit infirmitas, nonnulla temporibus nostris novarum decretalium, constitutionum, epistolarum remedia emanarunt, quae praedecessorum nostrorum strenuis sunt subjecta laboribus, per quas fuit ad communem omnium et maxime studentium utilitatem vigilantissimis excogitationibus desudatum. Verum sicut accepimus, eis constitutionibus decretalibus quaedam aliae sub nostro confectae nomine ab aliquibus inseruntur, quas nostrae approbationis eo non provexit auctoritas, ut cum aliis, quas locum habere censuimus, in judiciis et in scholis debeant eisdem juris articulis contineri. Ne ergo per commixtionem hujus opinionis cujuslibet umbra speciem veritatis usurpans aliquos in confusionis abducat errorem, constitutionum decretalium et epistolarum, quas tempore Pont. n. edidimus, quasque in corpore juris [intelligit collectionem Papae Gregorii IX.] contineri decrevimus, tibi competentibus assignatas titulis duximus transmittendas, discretioni v. per apostolica scripta mandamus, quatenus ea magistris et scolaribus diligenter exponens ex parte

Sunt autem illa decretalium et constitutionum Papae Innocentii IV. *initia* universim 54, quorum quidem 42 ad decretales et constitutiones, jam in collectione supra sub n. II. adducta comprehensas, et 12 ad alias pertinent. *Tituli* autem, in quibus illae decretales et constitutiones collectioni Gregorianae inserendae erant, summatim 33 sunt[1].

§ 99. Collectio decretalium et constitutionum Papae Innocenti IV., et quidem: B. privata.

Praeter supra (§ 98.) memoratas alia etiam innotuit decretalium et constitutionum Papae Innocentii IV. collectio, privato studio adornata[2]. Quae collectio, in 33 titulos divisa, comprehendit decretales et constitutiones 59, e quibus tamen una, tit. IX.: *de arbitris* sub n. 16.: *Contingit interdum* adducta, proprie non est nisi cap. 8. X. de arbitr. I. 43., et hinc nullatenus huc pertinet.

§ 100. Interpretes et glossatores decretalium et constitutionum Papae Innocentii IV.

Quarum decretalium et constitutionum Papae Innocentii IV. plurimas viri eruditi commentariis explanaverunt et etiam glossaverunt, et quidem nominatim

1. Papa *Innocentius IV.* ipse, in suo praefato apparatu super Quinque Libris Decretalium, post absolutum Concilium generale Lugdunense I. Lugduni exarato[3], in quo suas decretales et constitutiones, quae in ipsius collectione, supra (§ 98. sub n. II.) memorata, referuntur, collectioni decretalium Papae Gregorii IX. sub congruis titulis insertas, exposuit.

2. Papae *Innocentii IV.* capellanus, Bernardus Compostellanus, cognomento *junior,* qui non solum modo dictum apparatum Papae *Innocentii IV.* in compendium redegit, verum etiam, idque e mandato Papae Innocentii IV., ipsius decretales et constitutiones glossavit, et quidem pariter collectioni decretalium Papae *Gregorii IX.* insertas[4].

3. *Henricus de Segusio* seu *Hostiensis*[5], qui illas decretales et constitutiones commentario explanavit, et quidem pariter collectioni

---

nostra districtius prohibeat, ne quis aliquas sub nomine nostro editas vel edendas in judiciis vel in scholis admittat absque mandato sedis apostolicae speciali. Principia vero illarum sunt haec et hi earum tituli, prout per ordinem subscriptum videtur et competere dignoscuntur." (*Sarti,* De claris archigymnasii Bononiensis professoribus, tom. I. part. 2. p. 124.; *Theiner,* Disquisitt. critt., p. 66. not. 4.; *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 709. sq.)

[1] Quae collectio adducitur apud *Schulte* l. c. p. 710. sq.

[2] Eam e bibliothecae Universitatis *Erlangensis* cod. ms. (mbr. n. 464. fol saec. XIV.) summarie exhibuit *Schulte* l. c. p. 762.—764.

[3] Cfr. de eo supra p. 169. not. 3.

[4] *Schulte* l. c. p. 761. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 119.

[5] Cfr. supra p. 161.

Gregorianae insertas, in sua „Lectura super Quinque Libris Decretalium Gregorii Papae IX.“, jam supra (p. 161.) laudata.

4. *Petrus de Sampsone,* supra (p. 148. not. 4.) laudatus, qui praefatas decretales et constitutiones Papae *Innocentii IV.* seorsim, *non* collectioni decretalium Gregorianae insertas, explanavit [1].

5. *Abbas,* cognomento *antiquus* [2], qui plures (36) dictarum decretalium et constitutionum, in peculiarem collectionem redactas, *non* in collectionem Gregorianam insertas, explicavit [3].

6. *Boëtinus* seu *Boatinus,* patria Mantuanus, juris canonici in Universitate Patavina professor († 1300) [4], qui decretales et constitutiones Papae *Innocentii IV.,* numero 72, eadem ratione ac Papa Innocentius IV. ipse, collectioni Gregorianae sub competentibus titulis insertas, exposuit, et quidem in sua „Lectura super decretales Gregorii IX“ [5].

§ 101. Collectiones decretalium et constitutionum Papae Alexandri IV.

Etiam decretales et constitutiones Papae *Alexandri IV.* (12. Dec. 1254 u. ad 25. Maji 1261) in unum collectae sunt, et quidem tum absque appositione rubricarum titulorum collectionis Gregorianae, ad quos spectant, tum cum illarum rubricarum appositione. Hujusmodi collectionem, et quidem

A. absque adnotatione titulorum collectionis Gregorianae, 19 decretales dicti Papae complectentem, e regiae bibliothecae palat. Monacensis codice ms. (lat. n. 213. mbr. saec. XIII. in XIV.) evulgavit *Schulte* [6].

B. Aliam collectionem decretalium et constitutionum Papae Alexandri IV., cum adnotatione competentium titulorum collectionis Gregorianae, 16 decretales et constitutiones dicti Papae, in 8 titulos distributas, comprehendentem, idem *Schulte* [7] e bibliothecae Universitatis Erlangensis codice ms. (n. 464. fol.) publicavit.

§ 102. Collectio decretalium et constitutionum Papae Urbani IV.

Item collectiunculam unius decretalis et unius constitutionis Papae *Urbani IV.* (29. Aug. 1261—2. Octob. 1264), quarum prior incipit:

---

[1] *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 770. sq.; *Idem,* Beiträge zur Literatur über die Decretalen Gregors IX. etc., in citt. relatt. sess. tom. LXVIII. p. 87. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 109. sq.

[2] Cfr. supra p. 148. not. 5.

[3] *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 767. sqq.; *Idem,* Beiträge zur Literatur über die Decretalen Gregors IX. etc., l. c. p. 96. sq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 132.

[4] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 157. sqq.

[5] *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 771. sqq.; *Idem,* Beiträge zur Literatur über die Decretalen Gregors IX. etc., l. c. p. 99. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 158. sq. Cfr. supra p. 162.

[6] Die Decretalen, l. c. p. 712. sq. [7] L. c. p. 713. sq.

Significaverunt, altera: *Transiturus de mundo ad patrem* [1], idem *Schulte* e praefato codice ms. (n. 464.) bibliothecae Universitatis Erlangensis publicavit [2].

§ 103. Collectio decretalium et constitutionum Papae Clementis IV.

Decretalium et constitutionum Papae *Clementis IV.* (5. Febr. 1265 u. ad 29. Nov. 1268) plures collectiones existunt. Et quidem

A. collectionem 6 decretalium et constitutionum dicti Papae, in 3 titulos dispartitam, *Schulte* evulgavit e supra memorato codice ms. bibliothecae Erlangensis (n. 464.) [3].

B. Earundem 6 decretalium et constitutionum Papae Clementis IV. collectionem, in 5 titulos divisam, idem *Schulte* e codice ms. bibliothecae Universitatis Regiomontanae publicavit [4].

Idem vir eruditus

C. e codice ms. Musaei bohemici Pragae (I. B. 4) [5] collectionem *septem* decretalium et constitutionum Papae Clementis IV. publici juris fecit [6].

§ 104. Explanatio praedictarum collectionum decretalium et constitutionum Summorum Pontificum Alexandri IV., Urbani IV. et Clementis IV.

Glossa aut lectura seu commentarius praefatarum collectionum decretalium *Alexandri IV., Urbani IV.* et *Clementis IV.* existere non videtur.

Id quod non solum inde infertur, quod hucusque nullum vestigium hujusmodi operis inventum est, sed etiam inde colligitur, quod *Joannes Andreae,* auctor glossae ordinariae *Libri Sexti,* qui in hac glossa ad illas decretales, quae jam prius, quam in Librum Sextum insererentur, glossatae vel commentario explanatae erant, hujus antiquioris glossae vel commentarii semper accurate meminit, ad praefatorum Summorum Pontificum decretales, in librum Sextum relatas, nullius hujusmodi glossae aut commentarii vel minimam mentionem facit [7].

Tantummodo *Summa* quaedam ad nonnullas constitutiones dictorum Summorum Pontificum inventa est, videlicet in reg. bibl. palat. Monac. codice ms. (lat. n. 213.) [8].

---

[1] Quae constitutio data est III. Id. Augusti Pontif. a. 3., i. e. die 11. Aug. 1264 (*Potthast,* Regesta Pontiff. Romm., vol. II. p. 1538. n. 18998.), eaque Papa *Urbanus IV.* patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis notificat, se ad exaltationem catholicae fidei annuam festivitatem cum Octava Sanctissimi Corporis et Sanguinis statuendam duxisse et ad hoc designasse feriam quintam proximam post Octavam Pentecostes, cunctosque hortatur, ut eam devote celebrent singulis annis, ac plures indulgentias concedit iis, qui Missae et divino Officio interfuerint, sive in die, sive in decursu Octavae.

[2] Die Decretalen, l. c. p. 714. [3] L. c. p. 714. sq.

[4] L. c. p. 715. [5] De quo cfr. *Schulte* l. c. p. 724. sq.

[6] L. c. p. 715. sqq. [7] Cfr. *Schulte* l. c. p. 774. sq.

[8] De quo cfr. *Phillips,* Kirchenrecht, p. 523. sqq.; *Schulte* l. c. p. 781. sqq.

§ 105. Collectio decretalium et constitutionum Papae Gregorii X.

Papa Gregorius X. (1. Sept. 1271—10. Januar. 1276) constitutiones, in Concilio generali Lugdunensi II. (7. Maji—17. Julii 1274)[1] editas, et nonnullas alias constitutiones et decretales, ab ipso postea emissas, in unum colligi jussit, et collectionem ita adornatam, in 15 titulos et 31 capita divisam, sub bulla: *Cum nuper,* d. d. Kal. Novemb. Pontif. a. 3. (i. e. 1. Nov. 1274)[2], ad Universitates Bononiensem, Patavinam et Parisiensem, nec non ad Parisiensem episcopum transmisit, cum mandato, ut decretales et constitutiones in ea comprehensae in judiciis et in scholis adhiberentur atque etiam collectioni Gregorianae in titulis ad eas designatis insererentur[3].

Proinde etiam haec, uti supra (§ 98.) memoratae collectiones Papae Innocentii IV., publica seu authentica fuit[4].

§ 106. Interpretes et glossatores collectionis decretalium et constitutionum Papae Gregorii X.

Praefatam collectionem decretalium et constitutionum Papae Gregorii X. sive interpretando, sive glossando explanaverunt

1. *Guilielmus Durantis (Duranti),* supra (p. 55.) memoratus, cujus „Commentarius in constitutiones Papae Gregorii X.“[5] tum in pluribus codicibus mss.[6] occurrit, tum etiam typis impressus est[7].

2. *Joannes Garsias,* natione Hispanus, juris canonici in Universitate Bononiensi professor, florens versus finem saec. XIII.[8], qui hanc collectionem glossavit[9].

---

[1] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm., vol. II. p. 1677—1681.

[2] *Potthast* l. c. p. 1689. n. 20950. sq.

[3] Bullam, directam ad Parisiensem episcopum et Universitatem, e citato codice ms. bibl. reg. Univ. Erlangensis (n. 464.) exhibet *Schulte* (Die Decretalen, l. c. p. 718.), ut sequitur: „G. E. S. S. D. ven. fratri Episcopo et dil. filiis univers. magistr. et scolar. Parisien. s. et ap. b. Cum nuper in concilio generali lugdun. et post quasdam constitutiones super certis articulis duximus promulgandas, univ. vestrae per apost. [scripta] mandamus, quatenus eis, quas sub bulla nostra vobis transmittimus, uti velitis amodo tam in judiciis quam in scolis, ipsas sub suis titulis, prout super eis exprimitur, inseri facientes.“

[4] *Harduin.,* tom. VII. col. 705. sqq.; *Mansi,* tom. XXIV. col. 90. sq.

[5] Cfr. de eo *Savigny,* Gesch. des röm. Rechts im Mittelalter, tom. V. p. 597.

[6] Eos memorat *Savigny* l. c. p. 597.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 154. not. 41.

[7] *Fani,* apud Jacobum Moscardum a. 1569 sub titulo: „In sacrosanctum Lugdunense Concilium sub Gregorio X. *Guilielmi Duranti,* cognomento *Speculatoris,* commentarius.“

[8] *Schulte* l. c. p. 160. sq.

[9] Haec glossa in pluribus codicibus mss. exhibetur. Eos refert *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 775. sqq.

3. *Boëtinus (Boatinus),* supra (p. 171.) laudatus, qui pariter illam collectionem glossavit [1].

Praeterea etiam *Summa* hujus collectionis ab aliquo ignoto auctore adornata est [2].

§ 107. Collectio decretalium et constitutionum Papae Nicolai III.

Etiam Papa *Nicolaus III.* (21. Nov. 1277—22. Sept. 1280), non, ut quandoque perperam refertur, *Nicolaus IV.* (22. Febr. 1288 u. ad 7. April. 1292) [3], quinque decretalium et constitutionum suarum in unum colligi jussit et hanc collectionem, in 7 titulos dispartitam, sub bulla: *Cum quasdam constitutiones,* d. d. Romae apud S. Mariam Majorem X. Kal. April. Pont. n. a. 3. (i. e. 23. Mart. 1280) [4], Parisiensi Universitati transmisit, cum mandato, ut haec illis decretalibus et constitutionibus in judiciis et in scholis uteretur easque insuper collectioni Gregorianae sub titulis, ad eas indicatis, inseri curaret [5].

Ipsam collectionem e praefato codice ms. bibliothecae Universitatis Erlangensis (n. 464.) evulgavit *Schulte* [6].

Glossata e decretalibus et constitutionibus praefatae collectionis Papae *Nicolai III. una* tantum, videlicet illa, cujus initium: *Cupientes,* tit.: de electione, est, et quidem a supra (§ 106.) memorato *Joanne Garsia* [7].

§ 108. Collectiones per se subsistentes decretalium et constitutionum reliquorum Summorum Pontificum usque ad Bonifacium VIII.

Decretalium et constitutionum reliquorum Summorum Pontificum post *Nicolaum III.* († 22. Septembr. 1280) usque ad *Bonifacium VIII.*

---

[1] Hujus glossa refertur in codice ms. Musaei bohem. Pragae (I. B. 4.), supra (p. 172.) memorato. Cfr. *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 777. sqq. *Joannes Andreae* in sua glossa Libri Sexti apparatuum *Garsiae* et *Durantis* frequentissime, *Boatini* vero apparatus nunquam meminit. Cfr. *Schulte* l. c. p. 775. et 777.

[2] Eam continet reg. bibl. palat. Monac. codex ms. (lat. n. 213.). Cfr. *Schulte* l. c. p. 781.

[3] Cfr. *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 354. not. 27.

[4] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm., vol. II. p. 1752. post n. 21695.

[5] Quam bullam e praefato codice ms. bibliothecae Universitatis Erlangensis (n. 464.) exhibet *Schulte* (l. c. p. 718.), ut sequitur: „Nic. E. S. S. D. dil. filiis univ. magistr. et scol. parisiens. s. et a. b.

„Cum quasdam constitutiones super certis articulis duxerimus promulgandas, universitati vestrae per apost. scripta mandamus, quatenus eis, quas vobis sub bulla nostra transmittimus, uti velitis tam in judiciis quam in scolis, ipsas sub suis titulis, prout super eis exprimitur, inseri facientes.“

[6] L. c. p. 718. sqq.

[7] Quae glossa in pluribus codicibus mss. occurrit; quos refert *Schulte* l. c. p. 779. sq.

(24. Decemb. 1297—11. Octobr. 1303), nominatim *Martini IV.* (22. Febr. 1281—28. Mart. 1285), *Honorii IV.* (31. Mart. 1285 u. ad 30. April. 1287), *Nicolai IV.* (22. Februar. 1288—4. April. 1292) et *Coelestini V.* (5. Jul.—13. Decembr. 1294) collectiones, per se subsistentes, hucusque nullae innotuerunt [1]. Singulae autem decretalium et constitutionum praefatorum Summorum Pontificum, in collectionibus communibus decretalium et constitutionum pontificiarum illius aevi insertae, occurrunt (cfr. infra § 109.).

§ 109. Collectio decretalium et constitutionum plurium simul Summorum Pontificum inde a Gregorio IX. usque ad Bonifacium VIII.

Non solum collectiones decretalium et constitutionum singulorum Summorum Pontificum, sed etiam communes decretalium et constitutionum plurium Summorum Pontificum illius temporis collectiones adornatae sunt.

Et certe quidem una hujusmodi collectio, non tamen absoluta, sed cum principio cap. 92. in fine paginae abrupta, absque glossa, ad nos pervenit. Ea refertur in jam memorato Musaei bohemici Pragae codice ms. (I. B. 4., fol. saec. XIV.) [2], e quo eam evulgavit *Schulte* [3].

E maxima parte divisa est in titulos, collectionis Gregorianae titulis congruentes, atque in 92 capitibus exhibet, licet hoc in inscriptione sua non indicet, decretales et constitutiones Summorum Pontificum inde a *Gregorio IX.* usque ad *Bonifacium VIII.*, collectionibus authenticis seu publicis illius aevi non comprehensas, nominatim *Gregorii IX.*, *Innocentii IV.*, *Alexandri IV.*, *Urbani IV.*, *Clementis IV.*, *Nicolai III.*, *Martini IV.* et *Bonifacii VIII.* Quae decretales et constitutiones pontificiae, quatenus simul de pluribus materiis praecipiunt, in totidem partes divisae et singulae harum partium in peculiaribus capitibus collocatae sunt [4].

Inscripta est collectio haec ita: „Incipiunt constitutiones domini *Alexandri* Papae IV., et primo *de rescriptis,* sub quo compilatae sunt quaedam *extravagantes* domini *Gregorii* Papae X. et *Innocentii* Papae IV. et constitutiones *Urbani* et domini *Clementis* sub titulis suis.“ Quam inscriptionem sequitur collectio ipsa.

Quia collectio haec in altera sui parte refert decretales et constitutiones Papae *Bonifacii VIII.* (1294—1303), patet, eam, et certe hanc ejus partem, non ante Pontificatum *Bonifacii VIII.* adornatam fuisse [5].

---

[1] Cfr. *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 722. [2] *Schulte* l. c. p. 724. sq.
[3] L. c. p. 725. sqq. [4] Cfr. *Schulte* l. c. p. 793.
[5] In reliquum de ea vide *Schulte* l. c. p. 755. sqq.

§ 110. Explanatio decretalium et constitutionum pontificiarum, in hac collectione comprehensarum.

Etiam decretalibus et constitutionibus pontificiis hujus collectionis explanandis a viris eruditis aliquam curam impensam fuisse, elucet e *Summa,* quae in codice ms. (lat. n. 213. fol. mbr. saec. XIII. in XIV.) reg. bibliothecae palatinae Monacensis refertur. Haec *Summa* in compendio refert 77 decretales et constitutiones, a Summis Pontificibus *Gregorio IX.* usque ad *Bonifacium VIII.* editas, publicis seu authenticis collectionibus Summorum Pontificum *Innocenti IV.*, *Gregorii X.* et *Nicolai III.* non comprehensas (extravagantes), inter quas sunt 58 e decretalibus et constitutionibus pontificiis, in supra (§ 109.) memorata collectione relatis, quarum in hac *Summa* strictim exhibetur scopus et argumentum. Quae *Summa,* uti jam ex ejus peculiari dispositione elucet, alium, atque praefata collectio, auctorem habuisse dignoscitur [1].

SECTIO QUARTA.

Liber Sextus decretalium Papae Bonifacii VIII. a. 1298 [2].

CAPUT PRIMUM.

Causa adornandae hujus decretalium collectionis, ejus designatio et divisio, et eam citandi ratio.

§ 111. Causa adornandae hujus decretalium collectionis.

Quum Papa *Bonifacius VIII.* (24. Dec. 1297—11. Oct. 1303) videret, decretalium et constitutionum pontificiarum, post collectionem Gregorianam editarum, collectiones, quae tunc exstabant, non esse completas, et tali ratione saepe evenire, ut genuinae decretales et constitutiones pontificiae, illis collectionibus non comprehensae, in judiciis et in scholis pro spuriis haberentur et rejicerentur; quum porro animadvertisset, inter decretales et constitutiones illas sat multas reperiri, quae tantummodo pro certo aliquo negotio singulari editae seu mere temporales erant; porro alias earum esse multum prolixas, alias iterum esse aliis perquam similes vel prorsus aequales et hinc superfluas; alias autem esse sibi invicem vel vigentibus tunc juris ecclesiastici normis contrarias; quumque insuper consideraret, continua novarum decretalium et constitutionum pontificiarum insertione in collectionem Gregorianam multa hujus collectionis exemplaria destrui, certe corrumpi, et sic frequenter necessarium fore, ut nova ejusdem

---

[1] *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 780. sqq.

[2] *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 355.—373.; *Schulte,* Die Decretalen, l. c.

collectionis exemplaria, non absque magnis expensis et multo labore, conficerentur; quum porro etiam a multis de hoc esset rogatus [1]: hinc consilium cepit, decretales et constitutiones, ab ipsius praedecessoribus post publicationem collectionis Gregorianae (die 5. Sept. 1234) editas, nec non suas ipsius decretales et constitutiones, usque tunc emissas, ad instar collectionis Gregorianae in novam, per se subsistentem, redigendi collectionem, quae collectionem Gregorianam continuaret, indigentiis aevi illius plene satisfaceret simulque ab omni superfluitate et prolixitate atque contrarietate immunis esset.

Quod consilium Papa Bonifacius VIII. exsequendum mandavit *Guilielmo de Mandagotto,* Ebrudunensi [2] in Gallia archiepiscopo [3], *Berengario Fredoli,* Biterensi [4] in Gallia episcopo [5], et *Richardo Petrono,* patria Senensi (Siena), Ecclesiae Romanae vicecancellario, eisque ad hunc finem consequendum, necessarias in textu praedictarum decretalium et constitutionum pontificiarum mutationes faciendi, plenam potestatem contulit [6].

Qui viri collectionem hanc, ad instar collectionis Gregorianae dispositam, anno 1298 absolverunt, eique tanquam *appendicem* 88 regulas juris, a jurisconsulto *Dino de Rossonibus,* patria Mugellensi in Tuscia, professore juris civilis in Universitate Bononiensi († 1303) [7], e jure civili romano concinnatas [8], adjunxerunt.

§ 112. Ejus designatio et divisio.

Dicitur collectio illa, habita ratione collectionis Gregorianae, in *quinque libros* divisae, cujus continuatio ipsa est, tum etiam habito respectu ad valorem *numeri senarii* (6) symbolicum, qui numerus rem completam seu perfectam significare creditur [9], *Liber Sextus.*

Divisa est collectio haec, uti collectio Gregoriana, in quinque *libros,* qui subdivisi sunt in *titulos,* summatim 76 (*appendice* de regulis juris non computata), qui porro distincti sunt in *capita,* universim 359 [10].

---

p. 786.—796.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 34.—44.; *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. XLIX.—LVII.

[1] Et nominatim quidem ab Universitate Bononiensi, uti refert *Joannes Andreae* in suis Novellis commentariis in Sextum decretalium Librum, in bullam publicationis: *Sacrosanctae,* d. d. 3. Mart. 1298, v. *a multis.*

[2] Ebrudunum = Embrun in Gallia.

[3] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 183. sqq.

[4] Biterae = Beziers in Gallia meridionali. [5] *Schulte* l. c. p. 180. sqq.

[6] Cfr. cit. bullam publicationis hujus collectionis: *Sacrosanctae,* in fronte hujus collectionis positam.

[7] *Schulte* l. c. p. 176. sq.

[8] *Sarti,* De claris archigymnasii Bononiensis professoribus, tom. I. part. 1. p. 234. sqq.; *Savigny,* Gesch. des röm. Rechts im Mittelalter, tom. V. p. 447. sqq.

[9] Cfr. gl. ad cit. bullam publicationis *Sacrosanctae,* v. *senarium* et v. *perfectus.*

[10] Liber I. habet titt. 22 et capp. 134; lib. II. titt. 15 et capp. 47;

§ 113. Eam citandi ratio, hodierna et pristina.

Citatur collectio illa *nunc* indicando *caput* et *titulum*, cum additamento: *in Sext.,* vel *in* VI., vel *in* 6.

Caput et *titulus* indicantur eodem modo, ac supra de collectione Gregoriana dictum est. V. g. c. Si episcopus. de suppl. neglig. praelatt. in Sext.; c. 3. de suppl. neglig. praelatt. in VI.; c. Si episcopus. 3. de suppl. neglig. praelatt. in Sext.

Numeri *libri* et *tituli,* in quibus locus citatus occurrit, eodem modo quaerendi sunt, uti supra de collectione Gregoriana notatum est. In indice rubricarum titulorum *communi* determinationes, ad Librum Sextum pertinentes, signantur voc.: *in Sext.* Porro in hoc indice communi numerus *libri* non *expresse* positus est, quia idem est, ac in praece-

---

lib. III. titt. 24 et capp. 94; lib. IV. titt. 3 et capp. 5 atque lib. V. titt. 12 et capp. 79.

Rubricae titulorum hae sunt:

Lib. I. tit. 1. de Summa Trinitate et fide catholica; 2. de constitutionibus; 3. de rescriptis; 4. de consuetudine; 5. de postulatione praelatorum; 6. de electione et electi potestate; 7. de renuntiatione; 8. de supplenda negligentia praelatorum; 9. de temporibus ordinationum et qualitate ordinandorum; 10. de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum; 11. de filiis presbyterorum et aliis illegitime natis; 12. de bigamis; 13. de off. vicarii; 14. de off. et pot. judicis delegati; 15. de off. legati; 16. de off. ordinarii; 17. de majoritate et obedientia; 18. de pactis; 19. de procuratoribus; 20. de iis, quae vi metusve causa fiunt; 21. de restitutione in integrum; 22. de arbitris.

Lib. II. tit. 1. de judiciis; 2. de foro competenti; 3. de litis contestatione; 4. de juramento calumniae; 5. de restitutione spoliatorum; 6. de dolo et contumacia; 7. de eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae; 8. ut lite pendente nihil innovetur; 9. de confessis; 10. de testibus et attestationibus; 11. de jurejurando; 12. de exceptionibus; 13. de praescriptionibus; 14. de sententia et re judicata; 15. de appellationibus.

Lib. III. tit. 1. de vita et honestate clericorum; 2. de clericis conjugatis; 3. de clericis non residentibus in ecclesia vel praebenda; 4. de praebendis et dignitatibus; 5. de clerico aegrotante vel debilitato; 6. de institutionibus; 7. de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis; 8. ne sede vacante aliquid innovetur; 9. de rebus ecclesiae non alienandis; 10. de rerum permutatione; 11. de testamentis et ultimis voluntatibus; 12. de sepulturis; 13. de decimis, primitiis et oblationibus; 14. de regularibus et transeuntibus ad religionem; 15. de voto et voti redemptione; 16. de statu regularium; 17. de religiosis domibus; 18. de capellis monachorum; 19. de jure patronatus; 20. de censibus, exactionibus et procurationibus; 21. de consecratione ecclesiae vel altaris; 22. de reliquiis et veneratione sanctorum; 23. de immunitate ecclesiarum, coemeteriorum et aliorum locorum religiosorum; 24. ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.

Lib. IV. tit. 1. de sponsalibus et matrimoniis; 2. de desponsatione impuberum; 3. de cognatione spirituali.

Lib. V. tit. 1. de accusationibus, inquisitionibus et denunciationibus; 2. de haereticis; 3. de schismaticis; 4. de homicidio; 5. de usuris; 6. de excessibus praelatorum; 7. de privilegiis; 8. de injuriis et damno dato; 9. de poenis; 10. de poenitentiis et remissionibus; 11. de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti; 12. de verborum significatione.

denti collectione *Gregoriana*. Qua ratione citatum illud dignoscitur esse in Sext. lib. I. tit. 8.

Hujus collectionis appendix: *de regulis juris* simpliciter ita citatur: V. g. R. J. 53. in Sext., i. e. regula juris 53. in Sext.

Glossatores et alii *antiqui* interpretes Libri Sexti, quum exponentes hunc Librum citant aliquem locum in parte ejus anteriori positum, ne sit dubium, an forte citent locum collectionis Gregorianae, apponunt litterae s. (supra) voculas: *eod. lib.* (eodem libro); dum autem citant locum collectionis Gregorianae, tunc dictae litterae s. illas voculas non apponunt. V. g. interpretantes cap. 2 de consuet. in Sext. I. 4. et alludentes ad cap. 1. de rescript. in *Sext.* I. 3., citant sic: de hoc vide s. *eod. lib.* de rescript. c. Ipso jure. Alludentes autem ad *collectionis Gregorianae* cap. 1. de rescript. I. 3., ita citant: de hoc vide s. de rescript. c. Sicut Romana [1].

In reliquum de citatione Libri Sexti eadem valent, quae supra de collectione Gregoriana hoc respectu diximus.

CAPUT SECUNDUM.

Modus in adornando Libro Sexto observatus.

§ 114. Quae sit ejus materia et unde hausta fuerit.

Materia Libri Sexti sunt canones generalium Conciliorum *Lugdunensis* I., a. 1245 sub Papa *Innocentio IV.* habiti, et II., a. 1274 sub Papa *Gregorio X.* celebrati, atque aliae pontificiae constitutiones et decretales, post publicatam collectionem Gregorianam editae. Et quidem ex universis 359 capp. Libri Sexti capita 130 adornata sunt e decretalibus et constitutionibus Summorum Pontificum *Bonifacii VIII.* praedecessorum, nimirum capp. 9 e decretalibus et constitutionibus *Gregorii IX.*, capp. 49 *Innocentii IV.*, capp. 24 *Alexandri IV.*, capp. 2 *Urbani IV.*, capp. 9 *Clementis IV.*, capp. 30 *Gregorii X.*, capp. 5 *Nicolai III.* et capp. 2 *Martini IV.*; reliqua capp. 229 e decretalibus et constitutionibus Papae *Bonifacii VIII.* composita esse dignoscuntur [2].

Quae materia quoad maximam partem hausta est e collectionibus decretalium prioribus, post Gregorianam collectionem adornatis [3]; quoad reliquam partem, et praesertim, quod ad decretales et constitutiones

---

[1] Cfr. *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 368.; *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 43. not. 30.

[2] *Schulte*, Die Decretalen, l. c. p. 788. sqq. E quibus decretalibus et constitutionibus pontificiis collectionum priorum singula capita Libri Sexti adornata sint, exponit idem auctor l. c. p. 706. sqq.

[3] Cfr. supra p. 165. sqq.

Papae *Bonifacii VIII.* spectat, materia hujus Libri e pontificiis regestis desumpta est[1].

§ 115. Rubricae titulorum et capita hujus collectionis.

Rubricae titulorum Libri Sexti omnes e collectione Gregoriana desumptae eodemque etiam ordine, ac in illa collectione, collocatae sunt[2].

Etiam quoad *capita* Libri Sexti idem fere modus observatus est ac in adornanda collectione Gregoriana. Qua ratione illae decretales et constitutiones pontificiae, a praedecessoribus Papae Bonifacii VIII. post collectionem Gregorianam editae, quae nonnisi ad aliquod negotium singulare spectabant (quae tantummodo temporales erant), vel quae sibi invicem vel aliis tunc vigentibus juris ecclesiastici normis adversabantur (quae sibi ipsis vel aliis juribus contrariae erant), vel quae superfluae esse videbantur, quia erant aliis nimium similes aut plane aequales, prorsus omissae (penitus resecatae) sunt[3].

Quae assumendae videbantur decretales et constitutiones pontificiae, ut plurimum in iisdem titulis collocatae sunt, in quibus collocatae erant in collectionibus prioribus. Nonnullae autem earum majoris congruentiae causa in aliis titulis positae sunt[4].

Porro capita in singulis titulis ordine chronologico collocata sunt, prouti decretales et constitutiones pontificiae, e quibus adornata sunt, originetenus editae fuisse videbantur[5].

Inscriptiones singulis capitibus eaedem praefixae sunt, quae respectivis decretalibus et constitutionibus pontificiis in prioribus collectionibus praefixae erant[6]. Attamen plurimum abbreviatae sunt inscriptiones illae, ita ut interdum solum fere nomen respectivi Summi Pontificis contineant; quod utique maxime in illis capitibus locum

---

[1] *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 792. sqq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 36. sq.; *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. L. Una decretalis Papae *Bonifacii VIII.*, videlicet illa, e qua cap. 2. de jud. in VI. II. 1. adornatum est, refertur jam in supra (p. 175.) memorata collectione decretalium et constitutionum pontificiarum codicis ms. Musaei bohemici Pragae cap. 83. (*Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 753. et p. 792.).

[2] Cfr. supra p. 178. in nota.

[3] Hac ratione plurimae decretales et constitutiones pontificiae illius temporis omissae sunt. Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom II. p. 37.

[4] Sic v. g. decretalis Papae Gregorii IX.: *Mediatores per quos*, in praefata collectione codicis ms. bibliothecae Musaei bohemici Pragae (collectionis Pragensis) in tit. *de simon.* cap. 51. (apud *Schulte*, Die Decretalen, p. 745.) posita, in Libro Sexto collocata est in cap. 1. *de test. et attest.* II. 10.

[5] Cfr. v. g. capp. 1. sqq. de rescript. I. 3.; capp. 1. sqq. de elect. I. 6.; capp. 1. sqq. de temp. ordinat. I. 9.

[6] Qua occasione utique simul etiam plures spuriae inscriptiones enatae sunt. Cfr. v. g. cap. 1. de test. et attest. in Sext. II. 10., quod inscriptum est: Gregor. IX. in concilio Lugdunensi, quum tamen decretalis illa primum a Papa Gregorio IX. emissa et postea a Papa Innocentio IV. renovata fuisse dignoscatur. Cfr. *Schulte* l. c. p. 710. not. 33., p. 711. et p. 745. not. 58.

habet, quae referunt Papae Bonifacii VIII. decisiones, recte tunc, quum Liber Sextus adornaretur, ab eo pro solutione dubiorum et controversiarum editas [1]. Subscriptio aut designatio temporis, quo respectiva decretalis aut constitutio pontificia edita fuit, capitibus apposita non est, uno excepto, videlicet cap. *Exiit.* 3. de V. S. V. 12., referente constitutionem Papae *Nicolai III.,* cui capiti tempus editae hujus constitutionis appositum est, et quidem vitandae, ut videtur, confusionis gratia, quia nimirum haec satis prolixa constitutio olim in dicto capite sua tantum voce initiali adduci consuevit.

Decretales et constitutiones pontificiae, de pluribus materiis agentes, in totidem partes dissectae et singulae partes in peculiaribus capitibus positae sunt [2].

Item e decretalibus et constitutionibus pontificiis earumve fragmentis, in singula capita referendis, brevitatis gratia illa, quae videbantur esse superflua, omissa sunt [3]. Item ea, quae juri tunc vigenti erant *contraria,* e dictis decretalibus et constitutionibus earumve fragmentis vel omnino omissa vel convenienter mutata sunt [4]; quumque in eis ratione relationum vel indigentiarum illius aevi aliqua lacuna esset, ea congruo additamento expleta est [5].

Nonnulla tamen liber Sextus prae collectione Gregoriana hoc respectu habet peculiaria. Quorsum pertinet,

1. quod singulis partibus dissectae decretalis aut constitutionis pontificiae, quae in peculiaribus capitibus collocatae sunt, non ita constanter, uti in collectione Gregoriana, *initiales voculae* illius decretalis aut constitutionis praefixae sunt. Etenim in Libro Sexto id tantum-

---

[1] Cfr. c. 1. de const. I. 2.; c. 3. de suppl. neglig. praelatt. I. 8.; c. un. de aetat. et qualit. I. 10.; c. 1. 2. de fil. presbyt. I. 11.; c. un. de M. et O. I. 17.

[2] Id quod ex parte jam in prioribus collectionibus, quae Librum Sextum praecesserunt, factum esse dignoscitur. Cfr. *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 792. sq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 38.

[3] Id factum est v. g. de Papae *Martini IV.* decretali: *Sicut dilectus* (in collect. Prag. cap. 84.), quae refertur in c. 22. de elect. in VI. I. 6. Cfr. *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 753. not. 86. Pariter hoc factum est in Papae *Alexandri IV.* decretali: *Quia nonnulli* (in eadem collect. Prag. cap. 22.), e qua adornatum est cap. 1. de immunit. Eccles. III. 23. Cfr. *Schulte* l. c. p. 734. et 743.; *Friedberg* ad cit. cap. 1. de immunit. Eccles. not. g, in Corp. jur. can., ed. Lips. 1879 sqq., part. II.

[4] Hoc alterum in specie factum est in Papae *Gregorii IX.* decretali: *Habita* (in cit. collect. Prag. cap. 49., apud *Schulte* l. c. p. 743.), postea a Papa *Clemente IV.* renovata (cfr. *Schulte* l. c. not. 53.), et in cap. 1. Ne cler. vel monach. in Sext. III. 24. relata, in quo capite pro verbis illius decretalis: „qui non possunt ab illis sine sua culpa removeri", positum est: „nequeuntes ab ipsis absque causa rationabili amoveri". Cfr. *Schulte* l. c. p. 744. not. 55.

[5] Uti factum est v. g. in Papae *Alexandri IV.* decretali: *Contingit* (collect. Prag. cap. 3., apud *Schulte* l. c. p. 726.), e qua adornatum est cap. 4. de rescript. in Sext. I. 3. Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 37. et cit. bullam: *Sacrosanctae;* econtra *Friedberg,* in prolegg. ad Librum Sextum, Corp. jur. can., part. II. col. LI., qui lacunas, si quae in antiquis decretalibus aderant, nunquam expletas esse ait.

modo in 19 capitibus locum habet, nimirum in 10 capitibus, quae continent fragmenta constitutionis Papae *Innocentii IV.: Romana Ecclesia*, d. d. 17. Mart. 1246, quae praefixas habent voces: *Romana Ecclesia*, quas sequitur: *et infra*[1], et in 9 capitibus, quae referunt fragmenta constitutionum, in concilio generali Lugdunensi I. a. 1245 editarum, quae capita praemissam habent respectivae constitutionis voculam initialem, quam item sequitur: *et infra*[2]. Id quod ceterum jam a Papa *Innocentio IV.* in collectione ab ipso Lugduni adornata factum fuerat[3].

In reliquis capitibus Libri Sexti id locum non habet[4].

2. Quod, quum in contextu decretalis vel constitutionis pontificiae, in aliquo capite collocatae, aliquid *omissum* est, illa omissio, licet sit maxima, nequaquam, uti in collectione Gregoriana, vocibus: *et infra,* vel *et j.* indicata est, atque, dum in dicta collectione partes ita omissae seu decisae plerumque facile in contextum capitis ita adornati inseri possunt, id in Libro Sexto fieri nequit.

Qua ratione Liber Sextus semet multo magis quam collectio Gregoriana tanquam librum legalem seu codicem ecclesiasticum per se subsistentem et ab aliis collectionibus juris ecclesiastici independentem, eumque Papae *Bonifacii VIII.* proprium, exhibere dignoscitur[5].

CAPUT TERTIUM.

Approbatio et publicatio Libri Sexti.

§ 116. Generatim.

Collectionem, a praefatis viris (p. 177.) ita adornatam Papa *Bonifacius VIII.* approbavit, tanquam continuationem collectionis Gregorianae, in *quinque libros* divisae, simul respectu ad vim numeri senarii symbolicam habito[6], *Librum Sextum* appellavit et publicavit ac sub

---

[1] Quae capita sunt haec: c. 1. de suppl. neglig. praelatt. I. 8.; c. 1. de off. vicar. I. 13.; c. 1. de off. ordin. I. 16.; c. 1. de for. compet. II. 2.; c. 3. de test. et attest. II. 10.; c. 3. de appellat. II. 15.; c. 1. de cens. III. 20.; c. 1. de poenis. V. 9.; c. 1. de poenit. V. 10. et c. 5. de sent. excomm. V. 11. Cfr. *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 38. not. 13.

[2] Illa capita sunt: c. *Grandi.* 2. de supplend. neglig. praelatt. I. 8.; c. *Ad Apostolicae.* 2. de sent. et re judic. II. 14.; c. *Abbate sane.* 3. eod.; c. *Quia cunctis.* 1. de concess. praebend. III. 7.; c. *Dudum.* 1. de reb. Eccles. non alienand. III. 9.; c. *Non solum.* 2. de regular. III. 14. (quae constitutio a nonnullis perperam tribuitur Papae *Alexandro IV.* (cfr. cit. cap. in ed. Corp. Jur. can. *Aemil. Ludov. Richterii*); c. *Dilecto filio decano Aurelian.* 6. de sent. excomm. V. 11.; c. *Venerabilibus.* 7. eod.; c. *Veniens.* 1. de V. S. V. 12. Cfr. *Schulte* l. c.

[3] Cfr. *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 706. sqq.

[4] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 38. Cfr. supra p. 167.

[5] *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 793. sq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 39. sq.; *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. L. sq.

[6] Cfr. supra p. 177. § 112.

bulla: *Sacrosanctae,* d. d. 3. Mart. 1298, ad Universitates Bononiensem et Parisiensem [1], seriusque sub bulla: *Cum nuper,* d. d. 23. Sept. 1298, priori bullae quoad substantiam consona, etiam ad Salmanticensem [2] transmisit, cum mandato, ut illae Universitates hac collectione de cetero in judiciis et in scholis uterentur ac nullas alias decretales aut constitutiones, a quibuscunque ipsius Papae Bonifacii VIII. praedecessoribus post editionem collectionis Gregorianae promulgatas, praeter eas, quae in hac collectione insertae aut specialiter reservatae erant, ulterius reciperent aut pro decretalibus haberent.

§ 117. Bulla publicationis: Sacrosanctae, d. d. 3. Martii 1298.

Bulla: *Sacrosanctae,* d. d. 3. Mart. 1298, sub qua Liber Sextus ad Bononiensem et Parisiensem Universitates transmissus est, hunc habet tenorem verborum:

„Sacrosanctae Romanae Ecclesiae, quam imperscrutabilis divinae providentiae altitudo universis dispositione incommutabili praetulit Ecclesiis et totius orbis praecipuum obtinere voluit magistratum, regimini praesidentes, curis sollicitamur continuis, et assidua meditatione urgemur, ut juxta creditae nobis dispensationis officium subditorum commodis (in quorum prosperitate utique prosperamur) jugi, quantum nobis ex alto concessum fuerit, sollicitudinis studio intendamus. Amplectimur quippe voluntarios pro ipsorum quiete labores, et noctes quandoque transimus insomnes, ut scandala removeamus ab ipsis, et quas humana natura (novas semper deproperans edere formas) [3] lites quotidie invenire conatur, nunc antiquorum declaratione, nunc vero novorum editione jurium, prout nobis est possibile, reprimamus.

„Sane, cum post volumen Decretalium, a felicis recordationis Gregorio Papa IX. praedecessore nostro tam provide, quam utiliter compilatum, nonnullae ab eo, et ab aliis Romanis Pontificibus successive super diversis dicerentur articulis editae Decretales, de quarum aliquibus, an Decretales existerent [4], earumque auctoribus dubitabatur sollicite in judiciis et in scholis [5]: nos, ad apicem Summi Pontificatus superna dispositione vocati, super hoc cum instantia requisiti a multis [6], ambiguitatem et incertitudinem hujusmodi, dispendium pluribus afferentem, omnino tollere ac elucidare, quae de Decretalibus

[1] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm., vol. II. p. 1971. n. 24 632.

[2] *Potthast* l. c. p. 1978. n. 24 726. Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 35. not. 6.

[3] Id pariter observavit Imperator *Justinianus I.* const.: *Tanta,* d. d. 16. Decemb. 533, § 18., qua publicavit Pandectas seu Digesta. (Vide l. 2. § 18. Cod. De veteri jure enucleando. I. 17.; cfr. infra append. cap. I. art 3.)

[4] I. e. utrum genuinae essent, nec ne.

[5] Gl. ad h. bullam v. *auctoribus:* „Sicut erat in decretali Gregorii IX., inf. de restit. in integr. c. 1. (i. e. cap. 1. de restit. in integr. I. 21.), quam quidam attribuebant Alexandro III.; et idem in similibus.“

[6] Cfr. supra p. 177. not. 1.

ipsis teneri [1], quaeve deberent in posterum refutari [2], gratia suffragante divina pro utilitate publica desiderabiliter affectantes, per venerabiles fratres nostros Guilielmum, Archiepiscopum Ebrudunensem, et Berengarium, Episcopum Biterensem, ac dilectum filium magistrum [3] Richardum de Senis, Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellarium [4], juris utriusque doctorem, Decretales hujusmodi [5] diligentius [6] fecimus recenseri, et tandem pluribus ex ipsis (cum vel temporales, aut sibi ipsis, vel aliis juribus contrariae, seu omnino superfluae viderentur) penitus resecatis [7], reliquas, quibusdam ex eis abbreviatis [8], et aliquibus in toto [9] vel in parte mutatis [10], multisque correctionibus, detractionibus [11] et additionibus (prout expedire vidimus) factis in ipsis, in unum librum, cum nonnullis nostris constitutionibus (in quibus ad correctionem morum subditorumque quietem multa statuuntur salubria, fructus uberes Deo propitio in domo Domini allatura, et plurima in judiciis et extra frequentata dubia deciduntur) [12], redigi mandavimus et sub debitis titulis [13] collocari.

„Quem librum, quinque libris aliis dicti voluminis Decretalium annectendum, Sextum censuimus nuncupari, ut idem volumen [14] senarium (qui numerus est perfectus) [15] librorum, illo [16] adjuncto, numerum

---

[1] I. e. retineri et observari. [2] I. e. rejici. Cfr. gl. v. *refutari.*

[3] I. e. doctorem S. Theologiae. Cfr. supra p. 45.

[4] Is tempore, dum *Joannes Andreae* glossam Libri Sexti adornabat, erat Cardinalis diaconus tit. S. Eustachii. Cfr. gl. ad h. bull. v. *vicecancellarium.*

[5] Scilicet editas post volumen Gregorii IX. Ita gl. ad h. bull. v. *hujusmodi.*

[6] I. e. perquam seu valde diligenter.

[7] I. e. prorsus omissis. Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 37.

[8] Gl. ad h. bull. v. *abbreviatis* ait: „Ut est videre in Decretali Gregorii IX. infra de decim. c. 1. (c. 1. de decim. III. 13.), quae per longiora verba extravagabatur et incipiebat: *Gravem nobis.*" Cfr. *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 740. sq.

[9] Gl. ad h. bull. v. *in toto:* „Ut patet in Decretali Innocentii IV., quae incipiebat: *Grave nimis,* quae per brevia verba ponitur *ne cler. vel mon.* c. 2. (c. 2. Ne cler. vel monach. III. 24.); et per decretalem, quae olim incipiebat: *Sicut dilecti,* quae per brevia verba ponitur *infra de elect. c. statutum* (i. e. cap. 22. de elect. I. 6.), et in decretali infra de testament. c. 1. (c. 1. de testament. III. 11.), quae olim incipiebat: *Joannes Frangiapani,* Extravagans Innocentii IV."

[10] Ad quod gl. v. *mutatis* notat: „Infra de rescript. c. statutum" (i. e. c. 11. de rescript. I. 3.).

[11] Quibus in oppositione ad abbreviationes superius memoratas intelligendae sunt illae vocum omissiones, quae sensum propositionis mutant. Cfr. gl. ad h. bull. v. *detractionibus* et gl. ad c. 4. de sent. excomm. in Sext. V. 11. v. *de episcopis; Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 37. not. 11.

[12] Quibus intelliguntur in specie constitutiones, a Papa *Bonifacio VIII.* recte tunc, quum haec collectio adornaretur, editae, ad instar constitutionum hujusmodi, a Papa *Gregorio IX.* editarum. Cfr. supra p. 139. sq.

[13] Sc. collectionis Gregorianae, ad quos illae pertinent. Ad quod gl. ad h. bull. v. *titulis:* „Nota," inquit, „rubricas (sc. titulorum) esse authenticas."

[14] Sc. Decretalium, uti notat gl. sub. h. v., et quidem Papae Gregorii IX.

[15] Cfr. gl. ad h. bull. v. *senarium* et v. *perfectus.*

[16] Sc. Libro Sexto Papae Bonifacii VIII.

comprehendens, perfectam in rebus agendis formam tribuat et in moribus disciplinam.

„Nec sine causa morem praedecessorum nostrorum (qui, cum constitutiones aliquas promulgabant noviter, eas mandabant sub antiquarum serie situari) [1] omisimus in hac parte servare; haec enim fecimus, ne infinitos libros destrui [2], et alios non sine maximis dispendiis, laboribus et expensis de novo fieri oporteret.

„Universitati vestrae igitur per Apostolica scripta mandamus, quatenus librum hujusmodi cum multa maturitate digestum, quem sub bulla nostra vobis transmittimus, prompto suscipientes affectu, eo utamini de caetero [3] in judiciis et in scholis, nullas alias praeter illas, quae inseruntur aut specialiter reservantur in eo, Decretales aut Constitutiones, a quibuscunque nostris praedecessoribus Romanis Pontificibus post editionem dicti voluminis [4] promulgatas, recepturi ulterius, aut pro Decretalibus habituri."

CAPUT QUARTUM.

Character Libri Sexti.

§ 118. Considerati in se.

Quod ad characterem Libri Sexti spectat, est liber hic, uti e praefata bulla publicationis: *Sacrosanctae* elucet, collectio juris ecclesiastici publica seu authentica, et quidem universalis seu pro Ecclesia universa edita, ita ut

1. constitutiones ad aliquam materiam, Ecclesiae subjectam, pertinentes, ibidem positae (insertae), a quocumque originetenus provenerint, valorem legis ecclesiasticae universalis habeant, ita, ac si originetenus a Papa Bonifacio VIII. et pro Ecclesia universa conditae fuerint, eadem ratione, ac supra hoc respectu de collectione decretalium Papae Gregorii IX. dictum est.

Praeterea autem

2. etiam illae constitutiones et decretales pontificiae, quae in hoc Libro Sexto non quidem plene seu per extensum *relatae* (insertae),

---

[1] Gl. ad h. bull. v. *praedecessorum* ad haec notat, ut sequitur: „Innocentii IV. et Gregorii X.; scripserunt enim hi in prooemiis suis doctoribus et scholaribus, ut decretales, quas mittebant, sub suis titulis, prout exprimebatur in ipsis, inseri facerent; unde quidam faciebant ipsas scribi in fine titulorum compilationis Gregorii; et isti servabant mandatum. Quidam faciebant de eis volumina; et isti non servabant mandatum ipsorum, ut hic patet." Quare non potuerit universim haec insertio novarum decretalium fieri, ea de re cfr. supra p. 166.

[2] Ad quod gl. ad h. bull. v. *infinitos* observat dicens: „Omnes scilicet editos ante hujus libri compilationem."

[3] I. e., amodo seu in futuro. Cfr. gl. sub v. *de caetero.*

[4] Gl. ad h. bull. v. *voluminis:* „Scilicet compilationis Gregorii IX."

attamen in ipso *reservatae* sunt, eundem valorem legis ecclesiasticae universalis habent; uti pariter e praefata bulla publicationis manifestum est.

Reservatae autem in Libro Sexto sunt, idque sive adducta voce earum initiali, sive designatione materiae earum:

1. Papae *Nicolai III.* constitutio: *Exiit,* d. d. 14. (15.) August. 1279 [1], continens explanationem regulae Ordinis S. Francisci; quae constitutio amplissima in codicibus mss. et in antiquioribus editionibus Libri Sexti in c. 3. de V. S. V. 12. sola sua voce initiali: *Exiit* adducta, in editionibus autem hujus Libri recentioribus pleno tenore verborum relata est.

2. Papae *Coelestini V.* constitutio, definiens, licere Summo Pontifici, dignitati pontificiae renuntiare; quae constitutio designatione materiae suae reservata est in c. 1. § Nos igitur. de renunt. in Sext. I. 7.

3. Papae *Alexandri IV.* constitutio, interdicens, ne a clericis contra privilegium eis concessum exigatur *pedagium* (tributum a transeuntibus per vias publicas et per pontes persolvendum) et *guidagium* (tributum a peregrinatoribus solvendum pro praestito eis a publica potestate per loca periculosa militari conductu); quae constitutio item indicatione materiae ipsius reservata est in c. 4. de cens. in Sext. III. 20.

4. Constitutio, primum a Papa Gregorio IX. post publicatam a. 1234 collectionem decretalium emissa et deinde a Papa Clemente IV. renovata [2], quae restringit prohibitionem studii juris civilis atque scientiae medicae (physicae), a Papa *Honorio III.* certis clericis impositam et in cap. 10. X. Ne cler. vel monach. III. 50. relatam. Quae constitutio reservata est in c. 1. eod. in Sext. III. 24. [3]

5. Omnes constitutiones, a praedecessoribus Papae Bonifacii VIII. post publicationem collectionis Gregorianae circa modum procedendi in causis haereseos emissae, quatenus constitutionibus, super ea re in Libro Sexto et praesertim in c. 20. de haeret. V. 2. relatis, non contradicunt. Quae constitutiones item per designationem materiae suae reservatae sunt in cit. cap. 20. § *Constitutiones vero.* de haeret. V. 2. [4]

---

[1] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm., vol. II. p. 1746. n. 21628.

[2] Cfr. cit. collect. Prag. cap. 49.: *Habito cum fratribus,* apud *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 743. sq.

[3] Ita testatur gl. ad cit. cap. v. *Clementis,* dicens: „Quam (sc. constitutionem Papae Clementis) non habemus, sed ejus mentem hic inserit; et incipiebat: Habito cum fratribus nostris consilio.“

[4] Porro gl. ad bullam publicationis v. *reservantur* putat, huc aliquatenus etiam referendas esse illas Papae *Bonifacii VIII.* constitutiones, quibus hic quasdam concessiones circa obtinenda beneficia ecclesiastica, a suis praedecessoribus factas, abrogaverat. Attamen absque sufficienti ratione. Nam per praefatam bullam publicationis Libri Sexti Papa Bonifacius VIII. tantummodo suorum praedecessorum constitutiones et decretales, quae in Libro Sexto nec insertae nec reservatae sunt, nequaquam autem *suas* ipsius constitutiones et decretales abrogari voluit; hae igitur simpliciter in originario valore suo permanserunt, licet in Libro Sexto nec insertae, nec reservatae sint. *Schulte,* Die Decretalen, l. c. p. 795. sq.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 40. sqq.

Circa Libri Sexti appendicem *de regulis juris* Papa Bonifacius VIII. in praefata bulla publicationis prorsus nihil constituit; unde sequitur, huic appendici qua tali pro foro ecclesiastico valorem legalem non competere, et hinc singula, quae in ea continentur, nonnisi tantum valere, quantum ex se seu ex sua origine atque e rationibus internis, quibus innituntur, valoris habent [1].

§ 119. Considerati in relatione ad decretales et constitutiones pontificias, post publicationem collectionis decretalium Gregorianae editas, in Libro Sexto autem nec insertas, nec reservatas.

Quod spectat ad decretales et constitutiones pontificias, post publicationem collectionis decretalium Gregorianae editas, in Libro Sexto autem nec insertas, nec reservatas, distinguendum hoc respectu est, utrum sint decretales et constitutiones *praedecessorum* Papae Bonifacii VIII., an vero Papae *Bonifacii VIII. ipsius.* Quoad decretales et constitutiones, a praedecessoribus Papae *Bonifacii VIII.* post publicationem collectionis Gregorianae, ergo post diem 5. Septembris 1234, usque ad diem 24. Decembris 1294, qua die Papa Bonifacius VIII. electus est, editas, quae in Libro Sexto nec *insertae* nec specialiter *reservatae* sunt, est Liber Sextus collectio juris ecclesiastici authentica *exclusiva,* ita ut dictae decretales et constitutiones sint per Librum Sextum valore legali penitus destitutae seu abrogatae. Id enim e verbis praefatae bullae: „nullas alias praeter illas, quae inseruntur aut specialiter reservantur in eo, decretales aut constitutiones, a quibuscunque *nostris praedecessoribus* Romanis Pontificibus post editionem dicti voluminis promulgatas, recepturi ulterius aut pro decretalibus habituri", clare elucet [2].

Attamen dicta abrogatio pertinet solummodo ad illas decretales et constitutiones, a praedecessoribus Papae *Bonifacii VIII.* praefato tempore editas, quae ad jus ecclesiasticum *generale (commune)* spectant. Decretales enim et constitutiones pontificiae ad jus ecclesiasticum *speciale (singulare)* pertinentes, illo tempore a Papae Bonifacii VIII. praedecessoribus emissae, per hoc solum, quod in Libro Sexto nec insertae, nec specialiter reservatae sunt, originali suo valore destitutae non sunt, eo, quod juxta universales normas juris lex posterior generalis priorem specialem, sibi contrariam, non abrogat, nisi id specialiter edicat. Qua ratione privilegia seu indulta certis

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 44.

[2] Qua ratione etiam factum esse videtur, ut Papae *Urbani IV.* constitutio: *Transiturus de mundo,* d. d. 11. Aug. 1264 (cfr. supra p. 172.), qua is Festum SS. Corporis Christi pro universa Ecclesia instituerat, quia in Libro Sexto nec inserta nec specialiter reservata fuit, usque ad tempus generalis Concilii Viennensis a. 1311 non mandaretur exsecutioni. Cfr. *Benedicti XIV.,* De D. N. Jesu Christi Matrisque ejus festis, Patav. 1745, part. I. p. 211. sqq., capp. 534., 535. et 537.

personis vel locis prius concessa, licet in Libro Sexto nec inserta, nec specialiter reservata sint, hoc non obstante valorem et efficaciam suam retinuisse censenda sunt; id quod etiam expresse *in c. 1. de constit. in Sext. I. 2.* edicitur [1].

Quoad decretales et constitutiones Papae Bonifacii VIII. ipsius autem, ante publicationem Libri Sexti, nimirum inde a die 24. Decembris 1294 usque ad diem 3. Martii 1298, editas et in Libro Sexto nec insertas, nec specialiter reservatas, idem Liber exclusivus non est, quum Papa Bonifacius VIII. tantummodo suorum *praedecessorum,* et nequaquam *suas ipsius* decretales et constitutiones, ante publicationem Libri Sexti editas et in eo nec insertas, nec reservatas, abrogari voluerit. Proinde Papae Bonifacii VIII. decretales et constitutiones, ante publicationem Libri Sexti promulgatae, licet in hoc nec insertae, nec reservatae, originarium valorem suum retinuisse censendae sunt [2].

Earum multae adducuntur in collectione *Extravagantium communium,* inferius proposita [3].

§ 120. Considerati in relatione ad collectionem decretalium Papae Gregorii IX.

In relatione ad collectionem decretalium Papae Gregorii IX. Liber Sextus tanquam lex posterior, in quantum collectioni decretalium Gregorianae adversatur, huic praevalere debet, et hinc constitutiones in collectione Gregoriana relatae per constitutiones Libri Sexti, illis contrarias, abrogatae existimandae sunt [4].

CAPUT QUINTUM.

Fata Libri Sexti.

ARTICULUS PRIMUS.

Inde ab ejus ortu usque ad ejus editionem authenticam Romanam a. 1582.

§ 121. Publicae praelectiones super eo in Bononiensi Universitate habitae et varia opera litteraria, earum occasione super eo adornata.

Uti super collectione Gregoriana, ita etiam super Libro Sexto in Bononiensi, et serius etiam in aliis Universitatibus praelectiones habitae sunt. Verumtamen non ad ordinarios libros, uti Decretum

---

[1] Cfr. supra p. 145; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 42.

[2] *Schulte* l. c. p. 41.

[3] Sect. VI. cap. II. art. 2.

[4] *Schulte* l. c. p. 42. Qua ratione v. g. cap. 7. § 2. X. de elect. I. 6. per c. 14. eod. in Sext. I. 6. mutata esse dignoscitur.

Gratiani et collectio Gregoriana [1], sed ad *extraordinarios* Liber Sextus referebatur [2].

Quarum praelectionum occasione super Libro Sexto varia opera litteraria exarata sunt, uti v. g. *summae* seu *breviaria* [3], *apostillae (adnotationes)* [4], *casus* [5] et alia hujusmodi.

§ 122. Glossatores Libri Sexti, et ejus glossa ordinaria.

Glossationi Libri Sexti operam impenderunt *Joannes Andreae* et *Joannes Monachus,* et hi quidem eodem tempore, et post illos *Guido de Baysio* seu *Archidiaconus* [6].

Et quod spectat

1. ad *Joannem Andreae*, is in exarando hoc apparatu, uti ipse testatur, plurimum usus est *Rosario Decreti Guidonis de Baysio,* porro operibus litterariis Papae *Innocentii IV., Bernardi Compostellani, Hostiensis, Garsiae, Petri de Sampsone* et *Abbatis antiqui.* Absolutum opus illud a. 1304 vel 1305 esse videtur. Quae glossa in multis codicibus mss. et editionibus occurrit [7].

2. *Joannes Monachus,* natione Gallus, ex dioecesi Ambianensi (Amiens) oriundus, canonicus Parisiensis, tum inde a die 30. Septembris 1294 Cardinalis presbyter tit. SS. Petri et Marcellini, serius

---

[1] Cfr. supra p. 148. not. 3.

[2] Cfr. *Savigny*, Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, ed. II. tom. III. p. 266. not. h.

[3] Cujusmodi opera exaraverunt:

a) *Nicolaus de Anesiaco,* natione Gallus, O. S. D., qui primo dimidio saec. XIV. floruit, sub titulo: „Tabula Sexti.“ (*Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 231.)

b) *Joannes Koelner de Vanckel*, juris canonici professor in Universitate Coloniensi, qui floruit saec. XV., sub titulo: „Summarium textuale et conclusiones super Sexto“, ed. Colon. 1483 et Paris. 1509. (*Schulte* l. c. p. 384.)

c) *Paulus Florentinus,* Ordinis S. Spiritus, theologiae professor Romae saec. XV., sub titulo: „Breviarium Sexti.“ (*Schulte* l. c. p. 401.)

[4] Hujusmodi opus, intitulatum „Apostillae super lib. I. et II. Lib. VI. Decretalium“, refertur in quodam codice ms. bibliothecae Universitatis Regiomontanae; cujus codicis ms. meminit *Friedberg*, in Corp. juris can. part. II. prolegg. col. LII.

[5] Tale opus exaraverunt nominatim:

a) *Richardus de Senis,* unus e compilatoribus Libri Sexti, sub titulo: „Casus Libri Sexti.“ Iidem casus referuntur in reg. bibliothecae palat. Monac. cod. ms. lat. n. 329., quem memorat *Friedberg* l. c. b) *Arnoldus de Embecke*, canonista saec. XV., sub titulo: „Casus breves in Sextum.“ (*Schulte* l. c. p. 367.) c) *Helias Regnier*, professor juris canonici in Academia Pictaviensi, qui floruit versus finem saec. XV., sub titulo: „Casus longi Libri Sexti.“ (*Schulte* l. c. p. 374, ubi tamen pro: *Regnier* perperam scriptum est: *Bognier.*)

[6] Id testatur praefatus *Joannes Andreae,* in suo commentario in Librum Sextum in praefat. dicens: „Sciendum, . . . tres fuisse hujus libri compilatores, de quibus in prohemio, et tres fuisse glossatores, de quibus constat, scil. dominum Joannem Monachum et me, qui fuimus concurrentes, et Archidiaconum, qui scripsit primis apparatibus publicatis.“ Cfr. *Schulte* l. c. p. 213. not. 52.

[7] *Schulte* l. c. p. 213. sq.

episcopus Meldensis (Meaux) in Gallia, cui tamen dignitati postea renuntiavit, et tandem S. R. E. cancellarius et legatus. Apostolicus Avenione, ubi die 22. Augusti 1313 obiit [1]. Etiam hujus apparatus glossarum in Librum Sextum in multis codicibus mss. et editionibus exhibetur [2].

3. *Guido de Baysio*, supra (p. 55.) occasione Decreti Gratiani memoratus, suum apparatum glossarum in Librum Sextum, uti testatur *Joannes Andreae* (supra p. 189. not. 6.), post Joannem Andreae et Joannem Monachum adornandam suscepit eumque, uti videtur, demum ultimis annis vitae suae († 1313) absolvit [3].

Ex his tribus apparatibus glossarum apparatus *Joannis Andreae* in communem usum deductus et *glossa ordinaria* Libri Sexti appellatus est [4].

Quem quum Joannes Andreae deinceps nonnullis defectibus laborare cognovisset, habita praesertim ratione constitutionum Papae *Clementis V.* (1305—1314) et *Joannis XXII.* (1315—1334), complere sategit, exarato ad eum, uti videtur intra a. 1334 et a. 1342 [5], supplemento sub titulo: „*Additiones ad apparatum super Sexto.*“ Quae additiones deinde ad ipsum dictum apparatum adscribi et simul cum eo in editionibus Libri Sexti evulgari consueverunt [6].

§ 123. Codices manuscripti Libri Sexti et ejus primae editiones.

Codices mss. Libri Sexti, item ac collectionis Gregorianae, multi existunt [7].

Editiones Libri Sexti sunt plurimae. Et quidem inter glossatas editiones praeter tres editiones sine loco et anno (s. l. e. a.) [8], post primam, quae prodiit *Mogunt.* 1465 in fol. apud *Joan. Fust* et *Petrum Schoiffer de Gernsheym* [9], porro aliam, quae ibidem et apud eosdem a. 1470, et duas, quae prodierunt Romae 1472, altera apud *Leonh. Pflugel* et *Georg. Lauer*, altera apud *Udalr. Gallum* et *Simon. de Luca* [10], usque ad a. 1572 fere septuaginta glossatae, et nonnullae non

[1] *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 191. [2] *Schulte* l. c. 192.

[3] Qui apparatus, etiam voce commentarius designari solitus, editus est Mediolani 1480, item Venet. 1577.

[4] *Schulte* l. c. p. 214. [5] *Schulte* l. c. p. 219.

[6] *Schulte* l. c. p. 218. Cum his additionibus refertur glossa Libri Sexti inter cetera in editione Libri Sexti, quae prodiit Venet. apud Lucant. de Giunta 1514 in fol.

[7] Eos memorat *Schulte* l. c. p. 43. not. 31.; etiam *Friedberg*, in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LII. sqq.

[8] Quae adducuntur ex parte apud *Panzer*, Annales typographici, tom. IV. p. 100. 121. et 226.; omnes apud *Bickell*, Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corpus juris canonici. Maroburg. 1825, p. 118. sq.

[9] *Panzer* l. c. tom. II. p. 114.; *Bickell* l. c. p. 89. sq.

[10] *Panzer* l. c. tom. II. p. 433. 436.; *Bickell* l. c. p. 91.

glossatae numerantur [1]. Inter illas praesertim memorandae sunt eae, quae prodierunt Paris. 1500 apud Udalr. Gering et Berthold. Rembold [2], iterum ibid. a. 1503 [3] et iterum ibid. a. 1513 [4].

§ 124. Varia additamenta, quae Libro Sexto cursu temporis accesserunt.

Etiam varia additamenta cursu temporis Libro Sexto in ipsius editionibus accesserunt, et quidem nominatim *summaria capitum.* Quae quidem ut plurimum hausta sunt ex operibus canonisticis, ad eum adornatis, et quidem

1. *Zenzelini de Cassanis,* professoris juris canonici in Academia Montis Pessulani (Montpellier), † c. a. 1350 [5]. Cfr. v. g. Summ. c. 1. de renunt. I. 7.; Summ. cap. 4. de temp. ordin. I. 9.; Summ. cap. un. de vot. et vot. redempt. III. 15.

2. *Pauli de Liazariis,* canonistae, qui floruit saec. XIV. († 1356) [6]. Cfr. v. g. Summ. cap. 2. de sent. et re judic. II. 14.

3. *Joannis Andreae.* Cfr. Summ. capp. 1. 2. de const. I. 2.; capp. 1.—15. de elect. I. 6.

4. *Joannis de Fano,* O. S. D., natione Hispani, florentis versus finem saec. XIV. [7]. Cfr. Summ. capp. 4. 5. de regular. III. 14.

5. *Dominici a S. Geminiano,* professoris juris canonici in Universitate Bononiensi, jam supra (p. 162.) laudati [8]. Cfr. Summ. capp. 42. 44. de elect. I. 6.; Summ. cap. 4. de suppl. neglig. praelatt. I. 8.

6. *Nicolai de Tudeschis,* item supra (p. 163.) memorati. Cfr. Summ. cap. 38. de elect. I. 6.

Glossae Libri Sexti in specie additi sunt Casus et Notabilia *Heliae Regnier,* supra (p. 189.) memorati, atque conspectus materiarum, quae in glossa tractatae sunt [9].

---

[1] *Panzer,* Annales typographici, tom. I. p. 148. 535.; tom. II. p. 46. 123. 126. 147. 190.; tom. III. p. 20. 31. 114. 145. 146. 148. 181. 193. 208. et aliis locis; *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corpus juris canonici, p. 98. sqq.

[2] *Bickell* l. c. p. 100. [3] *Bickell* l. c. p. 101.

[4] *Bickell* l. c. p. 105.

[5] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 199.

[6] *Schulte* l. c. p. 246.

[7] Qui exaravit *Summam Juris* et *Tabulam super Decretales.* Cfr. *Jöcher,* Allgemeines Gelehrten-Lexikon., tom. II. col. 1920.; porro *(Zedleri)* Grosses vollständiges Universal-Lexikon, tom. IX. col. 219.

[8] *Schulte* l. c. p. 294. sq.

[9] Quae additamenta jam exhibentur in editione, quae a. 1514 prodiit Venet. in fol. apud Lucant. de Giunta.

ARTICULUS SECUNDUS.

Inde ab editione Libri Sexti authentica Romana a. 1582 usque ad hoc tempus.

§ 125. Editio Libri Sexti authentica Romana a. 1582.

Etiam recensio textus Libri Sexti a Correctoribus Decreti Romanis jussu Summorum Pontificum peracta et textus ab eis adornatus a Papa Gregorio XIII. brevi: Quum pro munere pastorali, d. d. 1. Jul. 1580, pro authentico declaratus est, ita ut nemini eum ullo modo mutare liceret, atque jussu et auctoritate ejusdem Papae Gregorii XIII. typis impressus prodiit Romae a. 1582, in aedibus Populi Romani, un. tom. in fol. (simul cum Clementinis et Extravagantibus earumque glossis), sub titulo: „Liber Sextus Decretalium D. Bonifacii Papae VIII. suae integritati una cum Clementinis et Extravagantibus, earumque Glossis restitutus." [1]

§ 126. Recentiores editiones Libri Sexti criticae.

Post editionem Libri Sexti authenticam Romanam editiones ejusdem Libri criticas paraverunt

1. jam memorati *Petrus* et *Franciscus* gemini fratres *Pithoei* [2].

2. *Justus Henning Böhmer,* qui duobus codicibus mss. collatis Libro Sexto plures varias lectiones addidit, attamen textum ejus a textu editionis Romanae authenticae a. 1582 in multis discrepantem construxit [3].

3. *Aemilius Ludovicus Richter,* qui uno codice ms. collato ad Librum Sextum novas lectiones variantes apposuit et textum editionis Romanae authenticae accurate servavit [4].

4. *Aemilius Friedberg,* qui plurimis codicibus mss., tum Libri Sexti, tum collectionum publicarum *Innocentii IV.* et *Gregorii X.,* tum aliarum

---

[1] In qua editione post titulum hujus operis primo exhibetur tabula alphabetica rubricarum titulorum et capitum, et tum inde a col. 1.—860. ipse textus Libri Sexti cum glossis. Et quidem *capita* exhibentur cum *inscriptionibus* atque cum *summariis.* Post haec, inde a col. 861.—870., ordine alphabetico dispositae regulae juris civilis romani, e quibus potissimum regulae juris canonici sumptae sunt. Tandem in tribus foliis, nullo numero signatis, arbor consanguinitatis cum ejus declaratione atque arbor affinitatis item cum ipsius declaratione.

Rubricae titulorum et vocula *cap.* cum respectivo numero impressae sunt rubro, reliqua nigro colore. Porro textus capitum majoribus, reliqua minoribus litterarum formis impressa sunt.

[2] Quae prodiit Paris. 1687 in tom. II. Corporis jur. can., ibidem post eorum mortem evulgati.

[3] Prodiit in tom. II. Corporis jur. can., ab eo editi Halae Magdeb. 1747. Cfr. de eo *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LI.

[4] Exhibetur in parte II. Corporis jur. can., ab eo editi Lips. 1839. Cfr. de eo *Friedberg* l. c.

collectionum decretalium Summorum Pontificum, inde a *Gregorio IX.* usque ad *Bonifacium VIII.* adornatarum, insuper etiam Regestis Pontificum Romm. *Augusti Potthast* et aliis operibus litterariis collatis textum editionis Romanae integrum exhibuit, atque sub eo in peculiaribus notis, quas signavit *numeris,* variantes lectiones, e codicibus mss. Libri Sexti haustas, et in aliis, quibus *litteras* praefixit, originarias lectiones illarum decretalium et constitutionum pontificiarum adduxit, e quibus *Bonifacius VIII.* eadem capita concinnavit [1].

Reliquae editiones inferius, quum de editionibus totius Corporis juris canonici sermo erit, memorabuntur.

CAPUT SEXTUM.

Hodiernus valor Libri Sexti in genere et singulorum, quae in eo continentur, in specie. Praecipui commentarii in Librum Sextum.

§ 127. Hodiernus valor Libri Sexti in genere et singulorum, quae in eo continentur, in specie.

Characterem suum originarium, supra (§ 118.) expositum, Liber Sextus tanquam collectio retinuit usque ad hunc diem.

Quod autem spectat ad singula ejus *capita,* horum utique haud pauca successu temporis sive e toto, sive e parte sublata sunt, et quidem iisdem rationibus, quibus plura capita collectionis Gregorianae ita sublata esse supra (§ 88.) observavimus [2].

Porro, quum Liber Sextus sit collectio juris publica seu authentica, patet, in interpretatione singulorum ejus capitum et determinatione mutuae eorum relationis non posse applicari consuetam interpretationis regulam: *lex posterior derogat priori,* eo quod omnia ejus capita simul uno eodemque momento valorem legis obtinuerunt, nimirum tunc, quum eadem collectio publicaretur, videlicet die 3. Mart. 1298; quare inter illa hoc respectu ullum discrimen temporis non datur, quemadmodum id etiam de capitibus collectionis Gregorianae obtinet (cfr. supra § 90.).

Circa inscriptiones et summaria capitum, circa rubricas titulorum et glossam Libri Sexti ordinariam item eadem valent, quae hoc respectu supra (§ 92. sqq.) de collectione Gregoriana dicta sunt.

---

[1] Textus Libri Sexti, ab eo curatus, evulgatus est in part. II. Corporis jur. can., ed. Lips. 1879 sqq. De ratione hujus editionis vide ipsum *Friedberg,* in cit. Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LII. sqq.

[2] Sic v. g. c. un. de spons. in Sext. IV. I. mutatum est per Concil. Trident. sess. XXIV. de reform. matrim. cap. 3.; item capp. 1.—3. de cognat. spirit. in Sext. IV. 3. per ejusdem Concil. Trid. l. c. cap. 2.

§ 128. Praecipui commentarii in Librum Sextum.

Inter eos, qui commentarios in Librum Sextum exaraverunt, prae ceteris memorandi sunt:

1. *Guilielmus de Monte Lauduno,* natione Gallus, monasterii Ordinis S. Benedicti in civitate Pictaviensi abbas, professor juris canonici Tolosae († 1343); cujus opus, huc spectans, inscribitur: „Lectura super Sextum.“ [1]

2. *Joannes Andreae,* supra laudatus, qui, postquam apparatum glossarum in Librum Sextum exaraverat (cfr. supra p. 189.), posterioribus annis vitae suae, et quidem, ut videtur, intra a. 1334 et 1342, commentarium ad eundem Librum Sextum adornavit, in quo quidem commentario adornando ad plurima alia opera litteraria, et praesertim ad apparatum glossarum *Joannis Monachi* et *Guidonis de Baysio* (cfr. supra p. 189. sq.), et ad commentarium praefati *Guilielmi de Monte Lauduno* respexit. Quem commentarium habita ratione prius exarati ab ipso apparatus glossarum ad Librum Sextum appellavit *Novella Commentaria;* quae appellatio hujus operis cum designatione commentarii ejusdem Joannis in Decretales Papae Gregorii IX. (cfr. supra p. 162.) nihil habet commune.

3. *Zenzelinus (Genzelinus, Gaucellinus) de Cassanis,* supra (p. 191.) memoratus, exaravit opus, inscriptum: „Lectura super VI. Decretalium.“ [2]

4. *Petrus Bertrandus,* natione Gallus, oriundus ex dioecesi Viennensi, juris canonici in Academiis Avenionensi, Montis Pessulani, Aurelianensi et Parisiensi professor, serius episcopus Nivernensis (Nevers) et deinde Augustodunensis (Autun), et tandem Cardinalis presbyter tit. S. Clementis († 1349), scripsit: „Lectura in Sextum.“ [3]

5. *Lapus Tactus (Tuctus),* monasterii S. Miniati, O. S. B., prope Florentiam abbas, primo dimidio saec. XIV., exaravit: „Lectura super Sexto.“ [4]

6. *Petrus de Ancharano,* supra (p. 162.) laudatus, exaravit: „Lectura super Sexto“, quae prodiit Lugd. 1517, et simul cum Commentariis in Decretales Gregorii IX. et super Clementinis prodiit Lugd. 1535—1543, 5 voll. in fol., Bonon. 1581 et 1583, 6 voll. in fol.

7. *Antonius de Butrio,* item jam supra (l. c.) laudatus, exaravit: „Commentaria in Sextum“, ed. Venet. 1499 in fol., et iterum 1575 in fol.

8. *Dominicus a S. Geminiano,* pariter jam supra (p. 162. et 191.) adductus, adornavit egregium et amplum „Commentarium in Sextum“, qui prodiit inter cetera Venet. 1558 et 1579 in fol.

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 197.
[2] *Schulte* l. c. p. 199. [3] *Schulte* l. c. p. 235. sq.
[4] *Schulte* l. c. p. 239.

9. *Joannes de Nicoletis,* a loco natali *Imola* in Patrimonio S. Petri *Joannes ab Imola* dici solitus, jam occasione collectionis Gregorianae memoratus (cfr. supra 163.), exaravit: „Commentarius in Librum Sextum.“ [1]

10. *Petrus Maurocenus,* patria Venetus, juris decretalium in Universitate Patavina professor, serius Protonotarius Apostolicus et Cardinalis diaconus tit. S. Mariae in Cosmedin († 1424), exaravit: „Lectura in Sextum.“ [2]

11. *Nicolaus de Tudeschis,* jam supra (p. 163.) laudatus, exaravit: „Lectura in Sextum“, quae prodiit Venet. 1479, et iterum ibidem 1592.

12. *Joannes de Anania,* a loco natali in Patrimonio S. Petri ita cognominatus, juris canonici in Universitate Bononiensi professor († 1457), exaravit commentarium „Super Sexto Decretalium“, qui prodiit Mediolani 1492 in fol., et una cum ejus commentario in Decretales Gregorii IX. Lugd. 1546, et iterum 1553 in fol. [3]

13. *Philippus Francus,* patria Perusinus, juris canonici Perusiae, Papiae et Ferrariae professor († 1471), exaravit: „Lectura super Sexto“, quae prodiit Venet. 1499, et iterum 1504 in fol. [4]

14. *Benedictus Capra,* patria Perusinus, juris canonici Perusiae professor († ut videtur, a. 1470), scripsit: „Lectura in Sextum.“ [5]

15. *Joannes a Prato,* patria Florentinus, juris canonici in Universitate Patavina altero dimidio saec. XV. professor, scripsit „Lectura super Sextum.“ [6]

16. *Ludovicus Gomez (Gomesius),* natione Hispanus, juris canonici Patavii professor, deinde Auditor Rotae Romanae et postea Sarnensis in ditione Neapolitana episcopus († 1553), exaravit commentarium in Librum Sextum, qui tamen solummodo aliquos ejusdem titulos complectitur et prodiit Romae 1539 in 4°. [7]

17. *Augustinus Barbosa,* supra (p. 164.) laudatus, cujus commentarius huc spectans habetur in ipsius „Collectaneis Doctorum in Jus pontificium universum“, ed. Venet. 1716 sqq., tom. IV. atque tom. VI. p. 119. sqq., ubi adducuntur „Praetermissa et Additamenta“.

18. *Petrus Maria Passerini,* O. S. D., juris canonici in Romana Universitate (Sapienza) professor, florens saec. XVII., cujus praeclarus commentarius, huc spectans, sub titulo: „Commentaria in Sextum Librum Decretalium“ prodiit Romae 1667—1673, IV. tomm. in fol. [8]

Porro in Libri Sexti appendicem de *Regulis Juris* commentarios adornaverunt:

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 298.
[2] *Schulte* l. c. p. 403. [3] *Schulte* l. c. p. 320. sqq.
[4] *Schulte* l. c. p. 342. [5] *Schulte* l. c. p. 344. sq.
[6] *Schulte* l. c. p. 360. [7] *Schulte* l. c. p. 354. sq.
[8] *Lucii Ferraris* Prompta bibl. canon., ed. *Migne* Paris 1860, tom. VIII. col. 668.

a) *Dinus de Rossonibus,* supra (p. 177.) occasione adornationis Libri Sexti memoratus, qui scripsit commentarium „Super regulis juris", qui in plurimis codicibus mss. et etiam in multis editionibus, uti v. g. Rom. 1472, occurrit [1].

b) *Philippus Francus,* supra (p. 195.) laudatus, cujus commentarius, inscriptus: „Lectura super titulo de regulis juris in VI.", prodiit Venet. 1499 [2].

SECTIO QUINTA.

Collectio constitutionum Papae Clementis V. a. (1314) 1317 [3].

CAPUT PRIMUM.

Ejus origo et publicatio, ejus designatio et divisio et eam citandi ratio, hodierna et pristina.

§. 129. Ejus origo et publicatio.

Publicato die 3. Mart. 1298 Libro Sexto mox aliae prodierunt decretales et constitutiones pontificiae, tum Papae *Bonifacii VIII.* († 11. Octobr. 1303), tum ejus successorum, *Benedicti XI.* (22. Octobr. 1303—7. Jul. 1304), *Clementis V.* (5. Jun. 1305—20. April. 1314), et hujus quidem tum in generali Concilio *Viennensi* (1. Octobr. 1311 u. ad 6. Maji 1312) [4], tum ante et post illud editae, porro *Joannis XXII.* (7. August. 1316—4. Decembr. 1334), *Benedicti XII.* (20. Decembr. 1334—25. April. 1342) et reliquorum.

Inter dictos Summos Pontifices *Clemens V.,* quum nonnullas illarum constitutionum suarum jam prius publicavisset [5], plures earum, quas tum in generali concilio Viennensi, tum ante ac post illud ediderat, in unum collegit et hanc collectionem, ad instar priorum collectionum decretalium dispositam, in consistorio Cardinalium, in castro de *Montiliis* (Monteaux) prope Carpentoratum (Carpentras) in Gallia meridionali, die 21. Mart. 1314 habito, publicavit [6], atque etiam sub pecu-

---

1 *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 176. sq.

2 *Schulte* l. c. p. 342.

3 *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 373.—392.; *Schulte* l. c. p. 45.—50.; *Friedberg,* in cit. Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LVII.—LXIV.

4 Constitutiones, in Concilio generali *Viennensi* editae, referuntur inter cetera apud *Harduinum* tom. VII. col. 1321.—1362.

5 *Joan. Andreae* in glossa ad Papae *Joan.* XXII. const.: *Quoniam nulla,* in fronte hujus collectionis positam, v. *de caetero; Friedberg* l. c. col. LVII. sq.

6 *Ptolemaeus de Fiadonibus* (*Bartholomaeus Lucensis,* † 1327), Hist. eccl., in *Muratori,* Scriptores rerum italic., ed. Mediol. 1723 sqq., tom. XI. col. 1241.; *Conradus Halberstadiensis* (O. S. D., florens saec. XIV.), Summa studentium, in *Georgii Ludovici Böhmer,* Jsci. Germ. († 1797), Observatt. jur. canon., ed. Gotting. 1767,

liari bulla ad *Aurelianensem* Universitatem, quam, quia in ipsa studiis vacaverat, speciali favore prosequebatur [1], nec non ad *Parisiensem* transmisit, quibus, ut hac collectione in judiciis et in scholis uterentur, iisdem fere verbis mandavit, ac ejus praedecessores *Innocentius IV.*, *Gregorius X.* et *Nicolaus III.* (cfr. supra pp. 168. sqq.) id de collectionibus suis fecerant [2].

Quum autem in hac collectione mox graves defectus deprehendisset, eam ulterius evulgari vetuit eamque denuo recenseri et corrigi jussit, atque exemplaria ejus, jam evulgata, ab iis, qui ea habebant, sub poena excommunicationis intra certum tempus Camerae Apostolicae restitui, vel deleri mandavit [3]. Antequam autem recensio et correctio illa perfecta esset, ipse die 20. Aprilis 1314 obiit.

---

p. 39.; *Friedberg*, in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LVIII. — Econtra nonnulli alii scriptores referunt, anno 1313 Papam Clementem V. illam collectionem constitutionum suarum publicavisse. Qui tamen scriptores simul, uti et superius memorati, narrant, eundem Papam Clementem V. die XXX. post factam hujus suae collectionis publicationem obiisse; obiit autem Papa Clemens V., uti certo constat, die 20. April. 1314. Qua ratione dies publicationis praefatae dies 21. Mart. ejusdem anni 1314 fuisse dignoscitur. Differentia illa circa publicationis annum inde venit, quod hi posteriores scriptores annos Incarnationis Domini secundum calculum *Florentinum* computant, juxta quem annus die 25. mensis Mart. (festo Annuntiationis B. M. V.) inchoatur, et die 24. Mart. anni sequentis finitur (cfr. *Brinckmaier*, Praktisches Handbuch der hist. Chronologie, ed. II. Berol. 1882, p. 93.; etiam *Jaffé*, Regesta Pontiff. Romm., ed. II. Berol., Praef. col. VIII.), ita ut annus 1313, juxta hunc calculum computatus, inde a 25. Mart. anni vulgaris 1313 usque ad diem 24. Mart. anni vulgaris 1314 currat. Cfr. *Friedberg* l. c. col. LIX. Quo sensu v. g. biographus Papae *Clementis V.* (in *Baluzii*, Vitae Paparum Avenionensium, ed. Paris. 1693, tom. I. p. 60., in Vita III.) refert, ut sequitur: „Anno autem dominicae incarnationis 1313 circa finem hujus anni in festo S. Benedicti Abbatis (i. e. die 21. Mart.) in castro de Montiliis prope Carpentoratem civitatem, in qua tunc Curia morabatur, Clemens papa fecit coram se in auditorio publicari constitutiones, quas prius fecerat ordinari, ex quibus decreverat fieri librum unum, quae dicuntur constitutiones Clementinae. Coepitque exinde agrotare, unde post obiit XXX. die, sc. XII. Kal. Maji (i. e. die 20. April.)." Apud *Friedberg* l. c. col. LVII.

[1] Cfr. *Böhmer*, Observatt. jur. canon., p. 21.

[2] Bulla, ad Aurelianensem Universitatem data, a praefato *Georgio Ludovico Böhmer* (l. c. p. 21.) adducta, ita sonat: „Clemens ep. S. S. D. Dilectis filiis magistris, doctoribus et scolaribus Aurel. sal. et ap. ben. Cum nuper in generali Concilio Viennensi et ante et post quasdam constitutiones super certis articulis duximus promulgandas, vobis per ap. scripta mandamus, quatenus eis, quas sub bulla nostra transmittimus, utamini amodo tam in judiciis, quam in scolis." Apud *Friedberg*, l. c. col. LX., qui insuper ibidem (col. LX. sq.) refert, se in duobus codicibus mss., Maroburgensi et Carnotensi, aliam Papae Clementis V. bullam invenisse, ad Universitatem Parisiensem directam et ejusdem omnino tenoris, ac sit bulla supra adducta. Quae transmissio hujus collectionis ad Universitates, e parte Papae Clementis V. facta, plures scriptores illius aevi latuit, et inter eos etiam ejusdem Papae biographum, supra (p. 196. not. 6.) memoratum, qui (in *Baluzii*, Vitae Paparum Avenionensium, tom. I. p. 60.), postquam de obitu dicti Papae Clementis V. retulit, pergit, dicens: „Et sic constitutiones illae non fuerunt missae ad studia generalia, ut est moris." (Apud *Friedberg* l. c. col. LX.)

[3] Super quo *Joannes Andreae* in gl. ad cit. Papae *Joannis XXII.* const.: *Quoniam*

Demum sub ejus successore, Papa *Joanne XXII.* (7. August. 1316 — 4. Decembr. 1334), illa recensio et emendatio absoluta est; quo facto idem Papa *Joannes XXII.* collectionem sic emendatam denuo publicavit eamque sub bulla: *Quoniam nulla,* d. d. Avenione VIII. Kal. Nov. Pont. a. 2., i. e. die 25. Octobr. 1317, ad Bononiensem Universitatem transmisit, cum mandato, ut ipsa dictas decretales et constitutiones prompto affectu susciperet eisque de cetero in judiciis et in scholis uteretur. Verbotenus bulla illa[1] sonat, ut sequitur:

„Joannes Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis doctoribus et scholaribus universis Bononiae commorantibus salutem et apostolicam benedictionem.

„Quoniam nulla juris sanctio, quantumcunque perpenso digesta consilio, ad humanae naturae varietatem et machinationes ejus inopinabiles sufficit, nec ad decisionem lucidam suae nodosae ambiguitatis attingit, eo praesertim, quod vix aliquid adeo certum clarumque statuitur, quin ex causis emergentibus, quibus jura jam posita mederi non possint, in dubium revocetur; quia etiam ab adolescentia viri proclivis ad malum sensualitas humana declinat[2], per quod morum subversio in clero et populo frequenter obrepit: necessaria est superioris auctoritas, ut tam per determinationis opportunae suffragium tollat ambigua, lites auferat, altercationes dirimat et obscura succidat, quam per cultoris providi sarculum[3] exstirpet vitia, virtutes inserat, corrigat excessus moresque reformet.

„Haec sane felicis recordationis *Clemens* Papa V. praedecessor noster prudenter attendens, et provide cupiens deformatorum reformationi prospicere, solvere difficilia, ac sanctiones quaestionibus et negotiis imminentibus consonas promulgare, dudum, nedum in Concilio Viennensi, quin etiam ante et post ipsum Concilium, constitu-

---

nulla v. *de caetero* notat, dicens: „Quia patuit, aliquas ex illis (sc. constitutionibus Papae Clementis V.) inepte, aliquas prolixe, aliquas defective compositas, aliquas etiam non expedire, noluit Clemens, quod compositio illa procederet; sed (ut fertur) sub excommunicationis poena mandavit, quod illas habentes intra certos dies restituerent Camerae, vel incenderent vel dilacerarent etiam easdem. Demum per peritiores fecit illas recenseri, qui aliquas, et paucas in totum reservaverunt, aliquas in totum resecarunt, aliquas mutaverunt, quoad verba, mente servata; in aliquibus menti et verbis detraxerunt et addiderunt, et has, licet non sub his verbis in Concilio publicatae fuissent, voluit sub nomine Concilii reservari, et multas constitutiones utiles addens, de quibus non fuerat in Concilio tractatum, . . . et fecit illas una cum quibusdam constitutionibus, quas prius ediderat, sub debitis titulis compilari.“ Ad quem locum *Joannis Andreae* provocat etiam Papa *Benedictus XIV.* in const.: *Redditae nobis,* d. d. 5. Decemb. 1744, § 10. sq. (Bullar. Rom., ed. Luxemb. 1727 sqq., tom. XVI. p. 262.). Cfr. *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LX. sqq.

[1] Posita est in fronte hujus collectionis.

[2] Cfr. Gen. 6, 5.; 8, 21.; c. 1. C. XII. qu. 1.; c. 2. C. XX. qu. 3.

[3] Gl. ad h. bull. v. *sarculum:* „Instrumentum, inquit, quo evelluntur malae et inutiles herbae, quae nascuntur inter bonas.“

tiones plurimas edidit, in quibus multa utilia statuit atque salubria, et nonnulla dubia in judiciis et extra frequentata decidit. Et licet eas, collectas in unum volumen et sub congruis titulis collocatas, mittere decrevisset et dare in commune subjectis: assidua tamen occupatio circa magna, ac sortis humanae conditio, quae ipsum de medio sustulit, in causa fuerunt, quare suum in hac parte propositum non implevit. Nos etiam, sicut eidem, licet immeriti, in Apostolatus officio Domino permittente successimus, sic et in affectus plenitudine in his, quae compendium universi concernunt, successisse debemus, tot grandibus agendis et arduis fuimus a nostrae promotionis exordio circumsepti, quod tam ex hoc, quam ex causis rationabilibus, quas sub silentio providimus committendas, praedictas vobis communicare constitutiones fuimus hactenus impediti. Nunc igitur opportunitate captata illas vobis sub bulla nostra transmittimus, universitati vestrae per apostolica scripta mandantes, quatenus eas prompto affectu suscipiatis et studio alacri, eis, sic vobis manifestatis et cognitis, usuri de caetero in judiciis et in scholis. Data Avinione VIII. Kal. Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.“ [1]

§ 130. Ejus designatio.

Nuncupata collectio illa olim quandoque fuit, uti e pluribus codicibus mss. [2] elucet, habita ratione *Libri Sexti* Papae *Bonifacii VIII.*, *Liber Septimus,* quo titulo eam ipse quoque Papa *Joannes XXII.* designavisse perhibetur [3]. *Joannes Andreae* autem eam titulo: *Constitutiones Clementis V.* nec non simpliciter: *Clementinae* designavit [4]. Quae designatio hujus collectionis, auctoritate *Joannis Andreae* in communem usum deducta, usque ad praesens perduravit.

§ 131. Ejus divisio et eam citandi ratio, hodierna et pristina.

Constat collectio illa consuetis quinque *libris*, qui divisi sunt in *titulos,* summatim 52, subdivisos in *capita,* universim 106 [5].

---

[1] Contra probra, quae *Schulte* (Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 45. sqq.) occasione hujus bullae in Papam *Joannem XXII.* jactanda censuit, eundem Papam generose et solide defendit *Friedberg,* in Corp. juris can. part. II. prolegg. col. LVII. sqq.

[2] *Friedberg* l. c. not. 5.

[3] Cfr. *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 386. sqq.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 48. not. 10.

[4] In glossa ad praefatam bullam: *Quoniam nulla* v. *Joannes episcopus*, dicens: „Per fiduciam clementiae divinae has *Clementinas* glossandas aggredior.“ Cfr. ibid. gl. v. *de caetero,* et v. *pontificatus.*

[5] Lib. I. habet titt. 11 et capp. 28; lib. II. titt. 12 et capp. 22; lib. III. titt. 17 et capp. 33; lib. IV. tit. 1 et cap. 1; lib V. titt. 11 et capp. 22.

Rubricae titulorum hae sunt:

Lib. I. tit. 1. de Summa Trinitate et fide catholica; 2. de rescriptis; 3. de electione et electi potestate; 4. de renunciatione; 5. de supplenda negligentia prae-

Citari haec collectio nunc ita solet, ut indicetur *caput* et *titulus,* cum additamento: *Clem.,* vel: *in Clem.* Caput autem et titulus eodem modo indicantur, ac supra de collectione *Gregoriana* et *Libro Sexto* dictum est. V. g.: C. Quum rationi. de elect. in Clem.; c. 1. de elect. in Clem.; c. Quum rationi 1. de elect. in Clem.

Numeri libri et *tituli* in indice rubricarum titulorum alphabetico eodem modo quaerendi sunt, uti supra hoc respectu de collectione Gregoriana et Libro Sexto diximus. In indice titulorum *communi* determinationes ad hanc collectionem spectantes signantur voce: *in Clem.*

Plerumque autem nunc in citatione hujus collectionis etiam numeri *libri* et *tituli* apponi solent, v. g. ita: c. 1. de elect. in Clem. I. 3. (1. 3.).

A nonnullis [1] collectio haec etiam ita citatur, ut indicetur illud *caput,* et quidem tanquam *Clementina* (sc. constitutio), cum ipsius *numero* atque rubrica respectivi *tituli.* V. g.: *Clementina 1. de elect.* [2]

---

latorum; 6. de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum; 7. de off. vicarii; 8. de off. et potest. judicis delegati; 9. de off. judicis ordinarii; 10. de procuratoribus; 11. de restitutione in integrum.

Lib. II. tit. 1. de judiciis; 2. de foro competenti; 3. de causa possessionis et proprietatis; 4. de dolo et contumacia; 5. ut lite pendente nihil innovetur; 6. de sequestratione possessionum et fructuum; 7. de probationibus; 8. de testibus; 9. de jurejurando; 10. de exceptionibus; 11. de sententia et re judicata; 12. de appellationibus.

Lib. III. tit. 1. de vita et honestate clericorum; 2. de praebendis et dignitatibus; 3. de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis; 4. de rebus ecclesiae non alienandis; 5. de rerum permutatione; 6. de testamentis et ultimis voluntatibus; 7. de sepulturis; 8. de decimis, primitiis et oblationibus; 9. de regularibus et transeuntibus ad religionem; 10. de statu monachorum et canonicorum regularium; 11. de religiosis domibus, ut episcopo sint subjectae; 12. de jure patronatus; 13. de censibus, exactionibus et procurationibus; 14. de celebratione Missarum et aliis divinis officiis; 15. de baptismo et ejus effectu; 16. de reliquiis et veneratione sanctorum; 17. de immunitate ecclesiarum.

Lib. IV. tit. un. de consanguinitate et affinitate.

Lib. V. tit. 1. de magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi; 2. de Judaeis et Sarracenis; 3. de haereticis; 4. de homicidio voluntario vel casuali; 5. de usuris; 6. de excessibus praelatorum; 7. de privilegiis et excessibus privilegiatorum; 8. de poenis; 9. de poenitentiis et remissionibus; 10. de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti; 11. de verborum significatione.

[1] Etiam a Papa *Benedicto XIV.* Cfr. *ejusdem* opus: De synod. dioec. lib. X. cap. 6. n. 1.

[2] Immo quandoque haec collectio, utique minus rationabiliter, tanquam collectio extravagantium voce: *extra* citatur. Ita v. g. fit a synodo dioecesana *Coloniensi* a. 1321 cap. 3. (*Hartzheim,* Concilia Germ., ed. Colon. Agripp. 1759 sqq., tom. IV. p. 278.), ubi cap. 1. de vit. et honest. cler. in Clem. III. 1. ita citatur: „poenis, in constitutione Clementis Papae V. *extra:* de vita et honest. cler., quae incipit: *dioecesanis.*" Item ibi caput 2. eod. ita citatur: „In ipsa constitutione *Clementina,* quae est *extra:* de vita et honest. cleric. et incipit: *quoniam qui.*" Atque cap. 2. de aetat. et qualit. et ord. praefic. in Clem. I. 6. citatur ita: „Licet *canon* fel. rec. Clementis P. V. *extrav.:* de aetat. et qual. ord., qui incipit: *ut hi.*"

Glossa hujus collectionis, quum citat aliquod caput *hujus collectionis ipsius*, in anteriori (superiori) ejus parte positum, apponit citationi voc.: *eod. lib. (eodem libro)* vel: *ead. compil. (eadem compilatione)* [1].

Porro eadem glossa, quum citat aliquod caput *Libri Sexti* Bonifacii VIII., citationi apponit voc.: *in lib. 6.* [2]

Quando autem citat aliquod caput collectionis *Gregorianae,* citat simpliciter sine ullo hujusmodi additamento [3].

CAPUT SECUNDUM.

Modus in adornanda hac collectione observatus.

§ 132. Quae sit materia hujus collectionis.

Materia hujus collectionis sunt, praeter constitutionem Papae *Bonifacii VIII.: Super cathedram,* d. d. Lateran. XII. Kal. Mart. Pontif. a. VI. (i. e. 18. Febr. 1300) [4], quam Papa *Benedictus XI.* per const.: *Inter cunctas,* d. d. Lateran. XIII. Kal. Mart. Pontif. a. I. (i. e. 17. Febr. 1304) [5], abrogaverat, Papa *Clemens V.* autem in Concilio generali *Viennensi* per const.: *Dudum,* illam constitutionem Papae *Benedicti XI.: Inter cunctas* abrogando, renovavit et postea in cap. 2. de sepult. in Clem. III. 7. collocavit, atque praeter constitutionem Papae *Urbani IV.* (29. Aug. 1261—2. Oct. 1264): *Transiturus de mundo,* d. d. 11. Aug. 1264 [6], quam, publicatione *Libri Sexti* die 3. Mart. 1298 evacuatam, item Papa *Clemens V.* in Concilio generali *Viennensi* per const.: *Si Dominum* renovavit et deinde in cap. un. de reliqu. et venerat. sanctor. in Clem. III. 16. posuit, constitutiones unius Papae Clementis V.; unde etiam hac ratione ipsa collectio tota quanta convenienter *Clementinae constitutiones* appellatur.

---

[1] Qua ratione v. g. gl. ad c. 1. de jud. in Clem. II. 1. v. *litterarum* citat cap. Ne Romani. 2. § Sane cum. de elect. in Clem. I. 4. ita, ut sequitur: „Propter hoc decretalis: Ne Romani. § Sane. sup. *eo. lib.* de elect. dicit: *causarum et litterarum audientia.*“ — Item gl. ad cit. cap. 1. de jud. in Clem. II. 1. v. *majoris* citat cap. Causam 3. § Quodsi forsan. 1. de elect. in Clem. I. 3. his verbis: „Non dicit: cathedralis, sicut sup. *ead. compil.* de elect. c. Causam. § 1.“

[2] Ita v. g. gl. ad c. 2. de jud. in Clem. II. 1. v. *canonicatibus* citat c. 1. de elect. in Sext. I. 6., dicens: „Concordat de elect. c. 1. lib. 6.“

[3] Qua ratione v. g. gl. ad c. 2. de jud. in Clem. II. 1. v. *electionibus* citat cap. *Dudum.* 54. X. de elect. I. 6., his verbis: „sup. (supra) de elect. c. dudum. 2.“ Quid sub „c. *dudum* 2.“ sit intelligendum, de eo vide supra p. 9. Porro conferatur, quod supra (p. 179.) dictum est de citatione *Libri Sexti,* e parte glossae hujus Libri observari solita.

[4] *Potthast,* Regesta Pontiff. Romm. vol. II. p. 1992. n. 24913.

[5] *Potthast* l. c. p. 2081. n. 25370.

[6] *Potthast* l. c. p. 1538. n. 18998.

Quae tamen ex his constitutionibus fuerint in Concilio generali Viennensi editae et quae extra illud Concilium, sive ante sive post ipsum, emissae, certo definiri nequit, quum in codicibus mss. hujus collectionis inscriptio: *in generali concilio Viennensi* ad capita ejusdem collectionis saepe irrationabiliter sive apposita, sive omissa sit, et posteriores synodi, quae constitutiones hujus collectionis tanquam in generali Concilio Viennensi editas allegant [1], simpliciter fidem praefatorum codicum mss. secutae fuerint. Sane, *Friedberg* [2] haud irrationabiliter putat, ea capita, in quibus Papa *Clemens V.* dicitur constituere *approbante Concilio*, cujusmodi sunt capp. 19 [3], continere constitutiones, in dicto Concilio generali Viennensi conditas, ea autem, in quibus idem Papa dicitur *cum fratrum* [4] *consilio* statuere, exhibere ejus constitutiones, extra illud Concilium editas [5].

§ 133. Rubricae titulorum et capita hujus collectionis.

Rubricae titulorum hujus collectionis omnes e prioribus decretalium collectionibus haustae et eodem etiam, ac in illis, ordine collocatae sunt.

Capita *inscriptionibus*, haud raro tamen spuriis, instructa sunt. *Omissiones (et infra)* autem in contextu suo eadem capita nullas exhibent.

CAPUT TERTIUM.

Character hujus collectionis.

§ 134. Consideratae in se.

Collectio haec est, uti ex bulla publicationis ejus: *Quoniam nulla elucet* [6], collectio constitutionum pontificiarum publica seu authentica, et hinc, quae ibi referuntur constitutiones pontificiae, eo ipso valorem legalem pro Ecclesia universa obtinent, licet originetenus valorem hujusmodi non habuerint.

---

[1] Cfr. *Hefele,* Conciliengeschichte, ed. II. Friburg. Brisg. 1873 sqq., tom. VI. p. 475.

[2] In Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LXIII.

[3] Quae sunt sequentia: c. 1. de Summa Trinit. et fide cath. I. 1.; c. 2. de sepult. III. 7.; c. 2. de stat. monach. III. 10.; capp. 1. 2. de regular. III. 11.; c. 1. de jure patron. III. 12.; c. 2. de cens. III. 13.; capp. 1. 2. de celebrat. Miss. III. 14.; c 1. de magistr. V. 1.; c. 1. de Jud. V. 2.; capp. 2. 3. de haeret. V. 3.; c. 1. de usur. V. 5.; c. 2. de privileg. V. 7.; capp. 1. 2. de poen. V. 8.; c. 2. de poenit. et remiss. V. 9.; c. 2. de sent. excomm. V. 10.

[4] I. e. *cardinalium.* De appellatione cardinalium, e parte Summorum Pontificum observari solita, cfr. gl. ad cap. 1. de off. legat. in Sext. I. 15. v. *fratribus nostris.*

[5] Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. q. 47.

[6] Ubi Papa *Joannes XXII.* hoc respectu statuit, ut sequitur: „Illas (sc. constitutiones Papae Clementis V.) vobis sub bulla nostra transmittimus, universitati

§ 135. Consideratae in relatione ad constitutiones pontificias, extra Librum Sextum vagantes et in ipsa non insertas.

Quoad constitutiones pontificias, extra Librum Sextum vagantes et in ipsa non insertas, collectio haec nequaquam est *exclusiva,* quales sunt collectio *Gregoriana* et *Liber Sextus,* i. e. per eam non sunt illae constitutiones pontificiae extravagantes, quae inde a Pontificatu *Bonifacii VIII.* editae fuerunt, in hanc collectionem autem receptae non sunt, suo valore originali privatae seu abrogatae. Id elucet e praefata bulla publicationis: *Quoniam nulla,* ubi Papa Joannes XXII. tantummodo jubet. constitutionibus in illa collectione comprehensis universim uti, nequaquam autem jubet, reliquas constitutiones pontificias pro abrogatis haberi. Qua ratione igitur collectio haec a collectione *Gregoriana* et *Libro Sexto* notabiliter differt. Unde eam *Joannes Andreae* etiam nomine *Libri,* eo sensu, quo collectio *Gregoriana* et *Liber Sextus* hoc nomine designari consueverunt, designandam esse negat [1].

§ 136. Consideratae in relatione ad Librum Sextum.

In relatione ad Librum Sextum est collectio Clementina lex posterior, et hinc, in quantum est illi contraria, ei derogat [2].

CAPUT QUARTUM.

Fata hujus collectionis.

ARTICULUS PRIMUS.

Inde ab ejus ortu usque ad ejus editionem authenticam Romanam a. 1582.

§ 137. Publicae praelectiones super ea in Bononiensi et aliis Universitatibus habitae et varia opera litteraria, earum occasione super illa adornata.

Etiam super hac collectione statim post ejus publicationem, a Papa *Joanne XXII.* factam, in Bononiensi, et deinde etiam in aliis Universitatibus publicae praelectiones habitae sunt. Neque tamen

---

vestrae per apostolica scripta mandantes, quatenus eas prompto affectu suscipiatis et studio alacri, eis, sic vobis manifestatis et cognitis, usuri de caetero in judiciis et in scholis."

[1] In gl. ad bull.: *Quoniam nulla* v. *unum volumen,* dicens: „Non tamen sub nomine *libri.* Unde male dicunt, qui allegant *septimum librum;* nam si sub nomine libri composuisset, constitutiones, quae emanaverunt post compilationem Sexti, juxta morem insertae fuissent. Item hoc expressisset, ut fecit in prooemio Sexti." Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 48.

[2] Quo respectu cfr. v. g. cap. un. de immunit. Eccles. in Clem. III. 17. et cap. 3. eod. in Sext. III. 23. Porro cfr. *Schulte* l. c. p. 48. sq.

collectio haec ad *ordinarios*, uti v. g. collectio *Gregoriana*, sed ad *extraordinarios libros* pertinebat [1].

Quarum praelectionum occasione super hac collectione varia opera litteraria adornata sunt, nominatim *summae* [2], *casus* [3], et alia hujusmodi.

§ 138. Glossator et glossa ordinaria hujus collectionis.

Uti collectiones decretalium priores, ita etiam haec glossata est, et quidem a saepe laudato *Joanne Andreae*. Cujus apparatus glossarum in communem usum inductus est et *glossae* Clementinarum *ordinariae* nomen obtinuit [4].

Cui glossae deinceps plura additamenta apposita sunt, et quidem nominatim e *Francisci Zabarellae (de Zabarellis)*, Cardinalis et archiepiscopi Florentini († 1417), „Lectura in Clementinas" infra (§ 144.) memoranda [5].

§ 139. Codices mss. hujus collectionis et ejus primae editiones.

Codices mss. hujus collectionis sat multi existunt [6].

Editiones hujus collectionis sunt numerosissimae, ita quidem, ut usque ad annum 1572 fere 80 cum glossa et 7 absque glossa evulgatae fuerint [7]. Duae earum sunt sine loco et anno (s. l. et a.) [8], et una sine anno (s. a.), quae prodiit Romae [9].

---

[1] *Savigny*, Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 266. not. h.

[2] Cujusmodi opera exaraverunt:

1. *Nicolaus de Anesiaco*, jam supra (p. 189. not. 3.) laudatus, sub titulo: „Tabula Clementinarum", quae quandoque etiam „Tabula super Septimum" (sc. librum) dicitur. (*Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 231. sq.)

2. *Joannes Koelner de Vanckel*, item supra l. c. memoratus, sub titulo: „Summarium textuale et conclusiones super Clementinis." (*Schulte* l. c. p. 384.)

3. *Paulus Florentinus*, pariter ibidem memoratus, sub titulo: „Breviarium Clementinarum." (*Schulte* l. c. p. 401.)

[3] Ejusmodi opera adornaverunt:

1. *Paulus de Liazariis*, sub titulo: „Casus summarii seu epitome Clementinarum." (*Schulte* l. c. p. 247.)

2. *Helias Regnier*, supra (p. 189. not. 5.) allegatus, sub inscriptione: „Casus longi Clementinarum." (*Schulte* l. c. p. 374.; cfr. ibid. p. 506. not. 1.)

[4] *Schulte* l. c. p. 217.

[5] Cfr. v. g. gl. ad bullam publicationis: *Quoniam nulla* v. *Joannes episcopus* et v. *Quoniam;* porro gl. ad c. 1. de Summa Trinit. in Clem. I. 1. v. *fidei catholicae.*

[6] Plures eorum memorat *Schulte* (l. c. p. 49.) et *Friedberg*, in Corp. jur. can. parte II. prolegg. col. LXIII. sq.

[7] Vide *Panzer*, Annales typographici, tom. I. p. 149. sqq.; tom. II. p. 117. 121. 127. 147. 439. et alibi; *Bickell*, Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corpus juris canonici, p. 89. sqq.

[8] Eas adducit *Panzer* l. c. tom. IV. p. 114. et 470.

[9] Eam memorat *Bickell* l. c. p. 120.

Et haec quidem collectio, in quantum scitur, prima omnium partium Corporis juris canonici typis impressa est, videlicet Moguntiae a. 1460 apud *Joannem Fust* et *Petrum Schoiffer,* in fol. cum glossa [1].

§ 140. Varia additamenta, quae cursu temporis huic collectioni in ipsius editionibus accesserunt.

Paulatim huic collectioni in ipsius editionibus varia additamenta apposita sunt, et nominatim quidem *summaria* capitum. Quorum quidem summariorum unum (cap. 1. de religios. dom. III. 11.) e lectura *Pauli de Liazariis,* item unum (cap. 8. de elect. I. 3.) e lectura *Joannis ab Imola,* supra (p. 195.) laudati, et reliqua omnia ex apparatu glossarum *Joannis Andreae,* ad hanc collectionem adornato, proveniunt [2].

Porro in editionibus glossatis eidem collectioni insuper accesserunt *divisiones* capitum et *casus* [3], et alia hujusmodi.

ARTICULUS SECUNDUS.

Inde ab ejus editione authentica Romana a. 1582 usque ad hoc tempus.

§ 141. Editio hujus collectionis authentica Romana a. 1582.

Etiam textum hujus collectionis una cum ejus glossa Summi Pontifices *Pius IV., Pius V.* et *Gregorius XIII.* a Correctoribus Decreti Romanis recenseri jusserunt, et textum ab his adornatum Papa *Gregorius XIII.* per breve: *Quum pro munere pastorali,* d. d. 1. Julii 1580, pro authentico declaravit, ita ut ei aliquid addere vel demere aliterve eum mutare nemini liceret, eundemque textum Romae in typographia Populi Romani imprimi jussit.

Quae editio prodiit ibidem a. 1582 sub titulo: „Clementis Papae V. constitutiones suae integritati una cum glossis restitutae“, Romae, in aedibus Populi Romani, 1582, un. tom. in fol. [4].

---

[1] *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corpus juris canonici, p. 89.; *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 391.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 50.

[2] Cfr. v. g. summaria capp. 1.—7. de elect. I. 3.; capp. 1.—4. de sent. excomm. V. 10.

[3] Cfr. v. g. capp. 1. 2. de rescriptt. I. 2.

[4] Quae editio post operis titulum exhibet alphabeticum indicem rubricarum et capitum titulorum, et in altera folii pagina imagines Summi Pontificis, Mosis, Davidis, prophetarum Jesaiae et Jeremiae, quattuor Evangelistarum, S. Pauli Apostoli, et SS. Patrum Ambrosii, Hieronymi, Augustini et Gregorii M.; tum inde a col. 1. u. ad 342. textum capitum, eadem ratione impressum, ac supra de textu Libri Sexti observavimus. Porro inde a col. 342.—344. adducuntur arbor seu figura declarativa tituli de jure patronatus, inde a col. 345.—348. apostillae seu breviusculae suppletiones, titulos Clementinarum declarantes, cum capitulorum numero in marginibus signato, et tandem in folio ultimo insigne communitatis civilis Urbis Romae.

§ 142. Recentiores editiones criticae hujus collectionis.

Inter recentiores editiones criticas hujus collectionis memorandae sunt:

1. illa, quae ex recensione *Petri* et *Francisci* fratrum *Pithoeorum* prodiit Parisiis 1687 cura *Claudii le Peletier*, in tom. II. Corporis juris canonici, ibidem evulgati.

2. Editio, adornata cura *Justi Henning Böhmer*[1], quae plures lectiones variantes refert, attamen textum a textu editionis Romanae a. 1582 saepe et notabiliter discrepantem exhibet[2].

3. Editio, curata ab *Aemilio Ludovico Richter*[3], quae item plures lectiones variantes adducit, porro autem textum editionis Romanae accurate refert.

4. Editio *Aemilii Friedberg*[4], qui in ea textum editionis Romanae accurate exhibuit eique multas lectiones variantes, e pluribus praestantibus codicibus mss., ab ipso collatis, haustas, apposuit et insuper, ubi verba editionis Romanae a verbis collectionis Clementinae originalibus differre cognovit, de hoc lectorem addito ad numerum notae asterisco certiorem reddidit[5].

Aliae editiones hujus collectionis inferius (part. III. cap. 3.) inter editiones totius Corporis juris canonici adducentur.

CAPUT QUINTUM.

Hodiernus valor hujus collectionis in genere et singulorum, quae in ea continentur, in specie. Praecipui commentarii in hanc collectionem.

§ 143. Hodiernus valor hujus collectionis in genere et singulorum, quae in ea continentur, in specie.

Originarium characterem suum, supra (p. 134.) expositum, collectio haec qua talis retinuit usque ad hunc diem. Nonnulla ejus *capita* autem successu temporis sive ex toto, sive ex parte abrogata sunt, uti id ipsum etiam de nonnullis capitibus collectionis Gregorianae et Libri Sexti evenisse, supra monuimus[6]. In quantum autem hujusmodi abrogatio facta non est, capita hujus collectionis suo valore legali, eoque universali, gaudent usque ad praesens.

---

[1] In tom. II. Corp. jur. can., ab ipso Halae 1747 evulgati.

[2] Cfr. de hac editione *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LXIII.

[3] In parte II. Corp. jur. can., ab eodem Lips. 1839 editi.

[4] Quae habetur in parte II. Corp. jur. can., ab ipso evulgati Lips. 1879—1881.

[5] In reliquum de ratione et indole hujus editionis vide ea, quae auctor ipse dicit in citt. prolegg. col. LXIII. sq.

[6] Cfr. p. 156. sq. et 193. Qua ratione v. g. cap. 3. de aetat. et qualit. in Clem. I. 6. mutatum est per Concil. Trid. sess. XXIII. de reform. cap. 12.

Quod spectat ad *inscriptiones* et *summaria* capitum, ad *rubricas* titulorum et ad *glossam ordinariam* hujus collectionis, de his illo respectu eadem valent, quae supra (p. 158. sqq.) de collectione Gregoriana diximus.

§ 144. Praecipui commentarii in hanc collectionem.

Ex illis viris eruditis, qui commentarios seu lecturas in hanc collectionem exaraverunt, prae ceteris memorandi sunt:

1. *Guilielmus de Monte Lauduno* (cfr. p. 194.), „Lectura super Clementinis“ [1].

2. *Zenzelinus de Cassanis* (cfr. p. 194.), „Apparatus super Clementinis“ [2].

3. *Stephanus Provincialis,* alias ignotus, „Apparatus in Clementinas“. Paris. 1514 [3].

4. *Petrus de Stagno,* natione Gallus, juris canonici in Academia Montis Pessulani (Montpellier) professor, florens primo dimidio saec. XIV., „Reportationes super Clementinis“ [4].

5. *Petrus Bertrandus,* jam supra inter commentatores Libri Sexti memoratus, „Super Clementinis“ [5].

6. *Lapus Tactus (Tuctus),* item inter commentatores Libri Sexti laudatus, „Super Clementinis“, qui commentarius una cum ejus commentario in Librum Sextum prodiit Romae 1589.

7. *Matthaeus Romanus,* canonista saec. XIV., de cetero ignotus, „Lectura super Clementinis“ [6].

8. *Paulus de Liazariis,* patria Bononiensis († 1356), „Lectura super Clementinis“ [7].

9. *Joannes Calderinus,* Joannis Andreae filius adoptivus, juris canonici in Universitate Bononiensi professor († 1365), „Super Clementinas“, porro: „Additiones super commentarium Clementinarum.“ [8]

10. *Joannes de S. Georgio,* juris canonici in Universitate Bononiensi professor († post a. 1378), „Reportationes super Clementinis“ [9].

11. *Bonifacius de Vitalinis,* patria Mantuanus, prof. jur. can. in Universitatibus Patavina et Avenionensi, flor. saec. XIV., „Commentarii in constitutiones Clementis Papae V.“, ed. Lugd. 1522 in fol. et Venet. 1574.

12. *Joannes de Lignano,* professor juris canonici in Universitate Bononiensi († 1383), „Lectura super Clementinis“ [10].

13. *Laurentius de Pinu,* patria Bononiensis, juris canonici in Bonon. Universitate professor († 1397), „Reportationes super Clementinis“ [11].

14. *Joannes Fantuzzi,* juris canonici in Universitate Bononiensi professor († 1391), „Lectura super Clementinis“ [12].

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 197.
[2] *Schulte* l. c. p. 199. [3] *Schulte* l. c. p. 200. sq. [4] *Schulte* l. c. p. 201. sq.
[5] *Schulte* l. c. p. 236. [6] *Schulte* l. c. p. 239. sq. [7] *Schulte* l. c. p. 247.
[8] *Schulte* l. c. p. 249. [9] *Schulte* l. c. p. 253. [10] *Schulte* l. c. p. 260.
[11] *Schulte* l. c. p. 263. [12] *Schulte* l. c. p. 265. sq.

15. *Aegidius Bellamera,* episcopus Avenionensis († 1392), „In Clementinas“ [1].

16. *Petrus de Ancharano,* supra memoratus, „Lectura super Clementinas“, ed. Lugd. 1534, 1549 in fol., et alibi.

17. *Franciscus de Zabarellis,* „Lectura super Clementinis“, ed. Lugd. 1551, et alibi.

18. *Joannes ab Imola,* supra laudatus, „Lectura Clementinarum“, ed. Rom. 1474, Venet. 1500, et alibi.

19. *Nicolaus de Tudeschis,* jam saepe nominatus, „Lectura in Clementinas“, etiam „Glossae Clementinae“, ed. Colon. Agripp. 1474, Venet. 1592, et alibi.

20. *Benedictus Capra,* supra (p. 195.) memoratus, „Lectura in Clementinas“ [2].

21. *Ludovicus Gomez (Gomesius),* item supra (l. c.) laudatus, „In Clementinas“ [3].

22. *Augustinus Barbosa,* jam saepius memoratus, cujus commentarius, huc spectans, refertur in ipsius „Collectaneis Doctorum in Jus pontificium universum“, ed. Venet. 1716 sqq., tom. IV. p. 271. sqq. et tom. VI. p. 135. sqq.

23. *Antonius Dadinus ab Alteserra* (Hauteserre), natione Gallus, juris canonici in Academia Tolosana professor († 1682) [4], „Commentarii in Libros Clementinarum“, ed. Paris. 1680 in 4°.

24. *Hieronymus Baldassinus,* natione Italus († 1780) [5], qui scripsit commentarium in ea tantummodo capita hujus collectionis, quae continent constitutiones, in Concilio generali Viennensi a. 1311 et 1312 editas; qui commentarius prodiit Rom. 1769 in 4° sub titulo: „Clementis V. constitutiones in Concilio Viennensi in Gallia editae, notis locupletae, auctae et illustratae.“

SECTIO SEXTA.

Collectiones Extravagantium [6].

CAPUT PRIMUM.

Collectiones Extravagantium in genere.

§ 145. Extravagantes.

Jam tunc, quum Papa *Joannes XXII.* collectionem constitutionum Clementinarum publicaret, videlicet die 25. Octobr. 1317, sat multae aderant decretales et constitutiones pontificiae, quae, quamvis nec in

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, t. II. p. 274. [2] *Schulte* l. c. p. 344. sq.
[3] *Schulte* l. c. p. 355. [4] *Schulte* l. c. tom. III. part. 1. p. 602. sq.
[5] Biographie universelle, ancienne et moderne. Paris 1843 ss., vol. II. p. 667.; *Schulte* l. c. p. 534.
[6] *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extra-

hac collectione, nec in Libro Sexto insertae vel reservatae erant, tamen legali valore gaudebant.

Ad quas pertinebant

1. decretales et constitutiones Papae *Bonifacii VIII.*, quas hic ante publicationem Libri Sexti, die 3. Mart. 1298 factam, inde ab initio sui Pontificatus, videlicet inde a die 24. Decembr. 1294, ediderat; quippe quas per publicationem Libri Sexti, licet in hoc nec insertae, nec reservatae essent, earum valore originario privare noluerit [1].

2. Plures decretales et constitutiones pontificiae, post publicationem Libri Sexti et ante publicationem collectionis Clementinarum, a Papa *Joanne XXII.* die 25. Oct. 1317 factam, emissae.

Ad quas referendae sunt

a) illae, quae a Papa *Bonifacio VIII.* post publicationem Libri Sexti usque ad ipsius obitum (11. Oct. 1303) [2] editae sunt.

Porro

b) illae, quae emissae sunt a Papa *Benedicto XI.* (22. Oct. 1303 u. ad 7. Jul. 1304), *Clemente V.* (5. Jun. 1305—20. April. 1314) extra Concilium *Viennense* (1311 et 1312) [3] et a *Joanne XXII.* inde ab initio Pontificatus ejus (7. Aug. 1316) usque ad publicationem collectionis Clementinarum, die 25. Oct. 1317 factam.

Quae decretales et constitutiones, non obstante publicatione collectionis Clementinarum, licet in hanc collectionem receptae non essent, originarium valorem suum retinuerunt, eo quod collectio Clementinarum, licet sit legalis seu authentica, tamen non est exclusiva [4].

Jam autem praedictae decretales et constitutiones pontificiae, quia *extra* collectiones publicas vagabantur, dictae sunt *Extravagantes.*

Ad quas Extravagantes, quae jam tempore publicationis collectionis Clementinarum (die 25. Oct. 1317) exstiterant, deinde aliae accesserunt, et quidem α) ipsius Papae *Joannis XXII.*, inde a die 25. Oct. 1317 usque ad diem 4. Decembr. 1334, qua obiit, editae, e quibus tres, quarum initium est: *Sedes Apostolica,* d. d. III. Kal. Nov. Pont. a. 2. (die 30. Oct. 1317), *Suscepti regiminis,* d. d. Kal. Nov. Pont. a. 2. (die 1. Nov. 1317), atque: *Execrabilis,* d. d. XIII. Kal. Decembr. Pont. a. 2. (19. Nov. 1317), brevi, postquam prodierant, et quidem certe adhuc a. 1317, a *Guilielmo de Monte Lauduno,* supra memorato, glossatae sunt [5].

His tribus Extravagantibus deinde aliae *septemdecim* ejusdem Papae *Joannis XXII.* additae et ordine chronologico dispositae, atque omnes a *Zenzelino de Cassanis* a. 1325 glossatae sunt [6]. Quas Extra-

---

vagantensammlungen des Corpus juris canonici. Marburg. 1825; *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 392.—402.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. 50.—65.; *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LXIV.—LXVIII.

[1] Cfr. supra p. 187. sq. [2] *Potthast,* Regesta Pontiff. Rom., vol. II. p. 2023.
[3] *Schulte* l. c. tom. II. p. 52. [4] Cfr. supra p. 203. [5] *Schulte* l. c.
[6] *Bickell* l. c. p. 8.; *Schulte* l. c. p. 52. sq.

vagantes una cum apparatu glossarum *Zenzelini de Cassanis* plures codices mss. exhibent [1].

Illis Extravagantibus dein accesserunt β) decretales et constitutiones Papae *Benedicti XII.* (20. Dec. 1334—25. April. 1342), e quibus illa, quae incipit: *„Vas electionis Paulus", a Joanne Francisco de Pavinis,* juris canonici in Universitate Patavina professore († 1486) [2], glossata est.

Porro γ) decretales et constitutiones Papae *Clementis VI.* (7. Maji 1342—6. Decembr. 1352), *Innocentii VI.* (18. Decembr. 1352 u. ad 22. Septembr. 1362) et reliquorum Summorum Pontificum, qui illis successerunt. Et sic numerus Extravagantium continuo crescebat.

Quae Extravagantes nunquam in collectionem publicam seu authenticam redactae sunt; et hinc, quia usque nunc extra collectiones juris ecclesiastici publicas seu authenticas vagantur, nomen *Extravagantium* usque ad hunc diem retinuerunt [3].

§ 146. Collectiones Extravagantium.

Quum autem illae Extravagantes valore legali destitutae non essent, sed originarium valorem suum retinerent, et sic adhucdum momentum et usum practicum haberent, factum est, ut ipsae certe cura et studio virorum eruditorum *privatorum* in unum colligerentur. Et primum quidem hujusmodi Extravagantes collectionibus decretalium publicis seu authenticis, quae tunc exstabant, et nominatim quidem *Libro Sexto* et *collectioni Clementinarum,* tanquam appendix adnectebantur, idque tum in codicibus mss., tum etiam in editionibus illarum collectionum [4]. Serius autem dictae Extravagantes a viris eruditis in peculiares collectiones, per se subsistentes, redigi coeperunt.

CAPUT SECUNDUM.

Collectiones Extravagantium per se subsistentes in specie.

ARTICULUS PRIMUS.

Collectio viginti Extravagantium Papae Joannis XXII.

§ 147. Ejus origo, dispositio, eam citandi ratio ejusque prima editio.

Quae jam anno 1325 exstiterant et, ordine chronologico dispositae, cum glossa *Zenzelini de Cassanis* collectioni Clementinarum tanquam appendix adnectebantur *viginti Extravagantes Papae Joan-*

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 53. not. 14.
[2] *Schulte* l. c. p. 331. sq. [3] *Schulte* l. c. p. 50.
[4] *Schulte* l. c. p. 50. sqq. 59. sqq.; *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LXV. sqq.

nis XXII., eas *Joannes Chappuis*, licentiatus juris in Universitate Parisiensi, jam supra (p. 42.) memoratus [1], qui a bibliopolis Parisiensibus Udalrico Gering et Bertholdo Rembolt, novam editionem collectionum juris canonici paraturis, cum suo socio *Vitali de Thebes* id muneris susceperat, ut correctioni textus illarum collectionum curam impenderet [2], seorsim in peculiarem collectionem redegit, easque non ordine chronologico, sed reali seu materiali ordine, ad instar collectionum Gregorianae et reliquarum, disposuit, non quidem in *libros* eas dividendo, propter exiguum earum ambitum, sed tamen in *titulos*, eosque 14, peculiaribus *rubricis*, quas omnes e prioribus decretalium collectionibus publicis desumpserat [3], instructos et ulterius subdivisos in 20 *capita*, in quorum singulis singulas earundem Extravagantium cum earum *summariis* et plerumque cum designatione loci et temporis, quo editae sunt, atque cum glossarum apparatu *Zenzelini de Cassanis* collocavit. Quam collectionem ipse edidit Parisiis a. 1500 [4]. In qua editione huic collectioni „*Praeludium in Extravagantes, in Regulas Cancellariae et in Decisiones Rotae*", a *Francisco de Pavinis*, supra (p. 210.) memorato, compositum praemisit et in fine „*Apostillas ad Extravagantes*", ab eodem adornatas, subjunxit [5].

Quae dispositio harum Extravagantium in nova earum editione, ab eodem *Joanne Chappuis* ibidem a. 1503 evulgata, repetita est et exinde usque ad praesens tempus servatur.

Et haec collectio est, quae nunc in editionibus Corporis juris canonici sub titulo: „*Viginti Extravagantes Papae Joannis XXII.*" adducitur.

Citari collectio haec solet indicando *caput* et *titulum*, cum appositione: *Extr. Joan. XXII.* Et *caput* quidem eodem modo indicatur, ac supra de collectionibus Gregoriana et reliquis diximus. *Titulus*

---

[1] Edidit is etiam: *Adami Teutonis* Compendium Summae Raymundi de poenitentia, cum comment. Paris. 1508 in 8⁰; porro: *Summula Raymundi* de sacramentis, carmine heroico, cum commentariis et appendicibus. S. l. 1545 in 8⁰ (*Adelung*, Fortsetzung und Ergänzungen zu Christ. Gottl. Jöchers allgem. Gelehrten-Lexikon. Lips. 1784 sqq., tom. II. col. 253.).

[2] Unde semet ipse „Correctorem" nominat. (Cfr. infra p. 214. not. 4.) Curavit autem hic textum *Decreti Gratiani*, *Libri Sexti*, collectionis *Clementinarum* atque *Extravagantium*, *Vitali de Thebes* textum collectionis *Gregorianae* curante. Cfr. *Bickell*, Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravaganten-sammlungen des Corp. jur. can., p. 27. sqq.; *Phillips*, Kirchenrecht, tom. IV. p. 398.

[3] Quae rubricae sunt, ut sequitur: 1. de electione et electi potestate; 2. de majoritate et obedientia; 3. de praebendis et dignitatibus; 4. de concess. praebendae et ecclesiae non vacantis; 5. ne sede vacante aliquid innovetur; 6. de voto et voti redemptione; 7. de religiosis domibus; 8. de Judaeis et Sarracenis; 9. de torneamentis; 10. de crimine falsi; 11. de privilegiis; 12. de poenis; 13. de sententia excomm., suspens. et interdicti; 14. de verborum significatione.

[4] In editione Corporis juris canonici, a bibliopolis Parisiensibus Udalrico Gering et Bertholdo Rembolt a. 1499 sq. parata.

[5] *Schulte*, Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 332. sq.

indicatur sua rubrica et plerumque etiam suo *numero (latino).* V. g. Cap. Suscepti regiminis. de elect. I. Extr. Joan. XXII.; cap. 1. de elect. I. Extr. Joan. XXII.

Quando *numerus* tituli in citatione appositus non est, quaeritur in indice alphabetico rubricarum titulorum, eodem modo, ac supra de aliis collectionibus decretalium dictum est. In indice titulorum *communi* determinationes, ad hanc collectionem spectantes, designantur voc.: *Extr. Joan. XXII.*

In reliquum de citatione hujus collectionis eadem valent ac de citatione collectionum, supra adductarum.

§ 148. Recentiores explanationes et editiones hujus collectionis.

Publicae praelectiones super hac collectione Extravagantium olim in ulla Universitate habitae non sunt [1].

Inter eos, utique paucos, qui post *Zenzelinum de Cassanis* explanationi hujus collectionis curam impenderunt, memorandus est jam supra (p. 189. not. 3.) laudatus *Joannes Koelner de Vanckel,* qui scripsit: „Summarium et effectus Extravagantium Joannis XXII.“; quod opus simul cum ejusdem auctoris opere: „Summarium textuale et conclusiones super Sexto et Clementinis“ prodiit Colon. 1483, 1488, 1493, 1494 et 1495 [2].

Praeterea *glossa* hujus collectionis in editione Paris. a. 1520 apud *Claud. Chevallon* [3], cujus textus corrigendi curam gerebat *Jacobus Fontanus,* juris in Universitate Parisiensi professor [4], accepit *additiones,* ab eodem correctore adornatas. Porro eidem glossae in editione Lugd. a. 1559, a *Carolo Molinaeo (du Moulin)* curata, accesserunt additiones ejusdem *Caroli Molinaei.*

Brevem commentarium hujus collectionis exhibuit jam memoratus *Augustinus Barbosa,* in suis „Collectaneis Doctorum in Jus pontificium universum“, ed. Venet. 1716 sqq., tom. IV. p. 339.—347. et tom. VI. p. 140. sqq.

Quod spectat ad ulteriores editiones hujus collectionis Extravagantium, Summi Pontifices, qui Decretum Gratiani emendari curaverunt, etiam hanc collectionem Extravagantium a Romanis Correctoribus Decreti Gratianei recenseri mandaverunt. Textum ab his adornatum Papa *Gregorius XIII.* per cit. breve: *Quum pro munere pastorali,* pro authentico declaravit omnemque ipsius mutationem interdixit. Quae collectio, ita parata (simul cum alia, inferius memoranda Extravagantium collectione), jussu et auctoritate ejusdem Papae

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 65.

[2] *Schulte* l. c. p. 384. 506.

[3] *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corp. jur. can., p. 107.

[4] *Chevillier,* L'origine de l'imprimerie de Paris, à Paris 1694, p. 139. 183.

typis impressa prodiit Romae a. 1582 sub titulo: „Extravagantes ... viginti D. Joannis Papae XXII. ... suae integritati una cum glossis restitutae", Romae, in aedibus Populi Romani, uno tom. in fol. col. 1.—178. [1].

Secutae sunt deinde editio ex recensione *Petri et Francisci* fratrum *Pithoeorum* [2]; porro *Justi Henning Böhmer* [3], quae aeque ac in prioribus collectionibus a textu romano recedit; tum *Aemilii Ludovici Richter* editio [4], quae textum editionis Romanae integrum refert; atque recentissime editio *Aemilii Friedberg* [5], qui in ea item textum editionis Romanae accurate exhibuit, et insuper, plurimis et praestantissimis codicibus mss. diligenter collatis, textui uberrimas lectiones variantes et egregias notas chronologicas et criticas adjunxit [6].

Aliae editiones hujus collectionis memorabuntur infra, quum de editionibus totius Corporis juris canonici sermo erit [7].

ARTICULUS SECUNDUS.

Collectio Extravagantium communium.

§ 149. Ejus origo, dispositio, eam citandi ratio atque prima ejus editio.

Praefatus *Joannes Chappuis* autem etiam de aliis Extravagantibus Summorum Pontificum colligendis et imprimendis curam habuit. Is nimirum Extravagantes Summorum Pontificum inde a *Bonifacio VIII.* (24. Decembr. 1294—11. Octobr. 1303) usque ad Sixtum IV. (9. Aug. 1471—13. Aug. 1484), quae tum in codicibus mss., tum in editionibus collectionum juris ecclesiastici, tunc exstantibus, *communiter* occurrebant, numero 70 [8], in unum collegit et hanc collectionem

---

[1] Quae editio generatim textum editionis Paris. a 1520 cum additionibus *Jacobi Fontani* (additionibus *Jacobi Molinaei* ob causam, supra [p. 62.] memoratam, repudiatis) exhibet. Porro ab initio post titulum operis et imaginem, jam supra in collectione *Clementinarum* memoratam, refert alphabeticum indicem rubricarum titulorum atque capitum hujus collectionis (una cum hujusmodi indice alius collectionis Extravagantium, inferius [§ 149.] nominatae), tum col. 1.—4. superius laudatum praeludium *Joannis Francisci de Pavinis* in Extravagantes, in Regulas Cancellariae et in Decisiones Rotae, deinde col. 5.—176. textum hujus collectionis una cum glossa, eadem plane ratione impressum, uti supra occasione collectionis Clementinarum meminimus, deinde usque ad col. 178. ejusdem *Joan. Franc. de Pavinis* Apostillas in has viginti Extravagantes Papae Joannis XXII.

[2] In tomo II. Corporis jur. can., a *Claudio le Peletier* editi Paris. 1687.

[3] Item in tomo II. Corporis jur. can., ab eo evulgati Halae Magd. 1747.

[4] In parte II. Corporis jur. can., ab ipso editi Lips. 1839.

[5] Pariter in parte II. Corporis jur. can., ab eo evulgati Lips. 1879 sqq.

[6] Cfr. ipsius citt. prolegg. col. LXV. sqq.

[7] Illas, quae usque ad annum 1789 prodierunt hujus collectionis editiones, memorat *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corp. jur. can., p. 100. sqq.

[8] *Bickell* l. c. p. 35. not. 2.; *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 63. not. 9.

appellavit „*Extravagantes communes*“, i. e. communiter occurrentes seu vulgatas [1].

Quam collectionem ad instar collectionis Gregorianae et reliquarum disposuit, dividendo eam in consuetos quinque libros. Quum autem pro libro quarto, tractante de matrimonio, materia deesset, hinc loco ejus posuit notationem: *Quartus liber vacat.* Porro libros subdivisit in *titulos,* peculiaribus rubricis, quas omnes e Gregoriana et reliquis collectionibus assumpserat, instructos, quos distinxit in *capita,* in quibus ipsas Extravagantes collocavit.

Collectionem ita adornatam Joannes Chappuis primum publici juris fecit Parisiis a. 1500 [2]. Cui in alia ejusdem editione, quam ibidem a. 1503 evulgavit, insuper tres jam memoratas Extravagantes Papae *Joannis XXII.: Sedes Apostolica, Suscepti regiminis* et *Execrabilis,* licet jam in priori collectione Viginti Extravagantium hujus Summi Pontificis insertas [3], addidit, et quidem cum glossa *Guilielmi de Monte Lauduno,* supra memorati, itemque Papae *Benedicti XII.* (20. Decembr. 1334—25. April. 1342) Extravagantem: *Vas electionis Paulus,* cum glossa *Joannis Francisci de Pavinis,* atque ita in hac collectione Extravagantium summatim 74 Extravagantes collocavit [4]. Ex his sunt 12 Papae *Bonifacii VIII.* [5], 5 *Benedicti XI.*, 6 *Clementis V.* [6], 33 *Joannis XXII.*, 2 *Benedicti XII.*, 1 *Clementis VI.* (7. Maji 1342—6. Decembr. 1352), 1 *Urbani V.* (28. Oct. 1362 u. ad 19. Decembr. 1370), 2 *Martini V.* (11. Nov. 1417—20. Febr. 1431) [7],

---

[1] Id quod ipse innuit in versu, in fronte hujus collectionis posito, ubi lectorem ita alloquitur: „Cernis Extravagantes communes; . . . Omnem *tritarum* cumulum gerit *extravagantum.*“ (Apud *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 62. n. 4.)

[2] In praefata editione Corporis juris canonici, ibidem a bibliopolis Udalrico Gering et Bertholdo Rembolt a. 1499 sq. parata.

[3] Extr. Joan. XXII. cap. 1. de concess. praebend. IV.; cap. 2. de elect. I.; cap. un. de praebend. III.

[4] Dicit quidem idem *Joannes Chappuis* in sua „*Antilogia Correctoris*“, sub quo, ut supra (p. 211.) meminimus, intelligitur ipse, in editionibus hujus collectionis Extravagantium, v. g. Parisiensi a. 1503 et Lugdunensi a. 1507, posita et a *Bickellio,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corp. jur. can., p. 127. sqq., adducta, se praeter praefatas tres Extravagantes Papae *Joannis XXII.* et praeter Extravagantem: *Vas electionis Paulus,* etiam „*Super cathedram,* de sepultu., cum Joannis Monachi glossemate“ huic collectioni adnexuisse. Attamen hoc solummodo de adnexione glossae, ad illam Extravagantem (cap. 2. de sepult. III. 6.) a Joanne Monacho appositae, intelligendum esse videtur. Cfr. *Bickell* l. c. p. 35. not. 2. Ipsam editionem primam hujus collectionis, Parisiensem a. 1500, collaturus obtinere non valui.

[5] Extravagans: *Sancta Romana Ecclesia* (cap. 3. de elect. Extr. comm. I. 3.), quam *Schulte* (l. c. p. 51. sq.) Papae *Benedicto XI.* tribuendam esse putat, non hujus, sed Papae *Bonifacii VIII.* est. Cfr. *Potthast,* Regesta Pontiff. Rom., vol. II. p. 2008. n. 25115.

[6] Quarum una, *Pastoralis cura,* in fine Extravagantis Papae *Benedicti XI.: Quod olim,* in cap. un. de immunit. eccles., Extr. comm. III. 13. relatae, allegatur. Cfr. infra p. 216. § 150.

[7] Harum altera, *Viam ambitiosae* (cap. 1. de regular. Extr. comm. III. 8.),

1 *Eugenii IV.* (3. Mart. 1431—23. Febr. 1447), 1 *Calixti III.* (8. April. 1455—6. Aug. 1458), 4 *Pauli II.* (30. Aug. 1464—26. Jul. 1471) et 6 *Sixti IV.* (9. Aug. 1471—13. Aug. 1484)[1].

Cum textu illarum Extravagantium *Joannes Chappuis* etiam earum glossam, si quam appositam habebant, assumpsit, et quidem ad sedecim Extravagantes (11 *Bonifacii VIII.* et 5 *Benedicti XI.*) glossam *Joannis Monachi,* supra (p. 214. not. 4.) memorati, ad praefatas tres Extravagantes Papae *Joannis XXII.* (*Sedes Apostolica, Suscepti regiminis* et *Execrabilis*) glossam *Guilielmi de Monte Lauduno* atque ad Extravagantem Papae *Benedicti XII.: Vas electionis Paulus* glossam *Joannis Francisci de Pavinis.* Reliquae Extravagantes glossam non habent.

Porro tum *Joannes Franciscus de Pavinis,* modo memoratus, tum etiam *Petrus Bertrandus*[2] ad nonnullas Extravagantes, a *Joanne Monacho* et *Guilielmo de Monte Lauduno* glossatas, *additiones* apposuerant; quas *Joannes Chappuis* pariter assumpsit[3].

Divisa, ut jam supra meminimus, in quinque libros, complectitur collectio haec titulos 35 et capita 73[4]. Singulis capitibus praemissa

---

Papae *Martino IV.* (22. Febr. 1281—28. Mart. 1285) inscribitur; etiam apud *Potthast,* Regesta Pontiff. Rom., vol. II. p. 1760. n. 21 773. Attamen videtur potius *Martino V.* esse tribuenda, uti notat *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 63. not. 13. Sane per bullam: *Sacrosanctae* Papae *Bonifacii VIII.,* qua publicatus est *Liber Sextus,* omnes constitutiones et decretales Summorum Pontificum, Papae Bonifacii VIII. praedecessorum, et hinc etiam *Martini IV.,* in dicto Libro Sexto nec insertae nec specialiter reservatae, omnino abrogatae fuerunt.

[1] *Schulte* l. c. p. 62. sq.; *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LXV.

[2] *Schulte* l. c. p. 235. sqq.

[3] *Petri Bertrandi* additio habetur ad gl. cap. 1. de M. et O. I. 8. v. *Porro subesse Romano Pontifici.* — Additiones *Joannis Francisci de Pavinis* occurrunt ad gl. cap. 1. de sepult. III. 6. v. *sepultura;* ad gl. cap. 2. eod. v. *Nos etenim;* ad gl. cap. un. de immunit. eccles. III. 13. v. *statutum est;* ad gl. cap. 1. de poenit. et remiss. V. 9. v. *infringere.* Cfr. *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corp. jur. can., p. 37.

[4] Lib. I. habet titt. 9 et capp. 16; lib. II. titt. 3 et capp. 3; lib. III. titt. 13 et capp. 30 atque lib. V. titt. 10 et capp. 24. Cap. un. de immunit. eccles. III. 13. proprie duas Extravagantes referre, alteram *Benedicti XI.* et alteram *Clementis V.,* supra (p. 214. not. 6.) monuimus.

Rubricae *titulorum* sunt hae:

Lib. I. tit. 1. de consuetudine; 2. de postulatione praelatorum; 3. de electione; 4. de auctorit. et usu pallii; 5. de off. custodis; 6. de off. delegati; 7. de off. jud. ord.; 8. de majoritate et obedientia; 9. de treuga et pace.

Lib. II. tit. 1. de judiciis; 2. de dilationibus; 3. de dolo et contumacia.

Lib. III. tit. 1. de vit. et honest. cleric.; 2. de praebend. et dignit.; 3. ne sede vacante aliquid innovetur; 4. de reb. eccl. non alienand.; 5. de emptione et venditione; 6. de sepulturis: 7. de decimis; 8. de regular. et transeunt. ad religionem; 9. de religiosis domibus; 10. de censibus, exactionibus et procurationibus; 11. de celebratione Missarum; 12. de reliquiis et veneratione Sanctorum; 13. de immunitate ecclesiarum.

Lib. V. tit. 1. de simonia; 2. de Judaeis; 3. de haereticis; 4. de schismaticis; 5. de furtis; 6. de crimine falsi; 7. de privilegiis; 8. de poenis; 9. de poenitentiis et remissionibus; 10. de sent. excommunicationis.

est *inscriptio*, quae tamen interdum falsa est, atque *summarium;* in fine autem adnexa est designatio *loci* et *temporis,* quo illa Extravagans originetenus edita fuit.

Insuper *Joannes Chappuis* ad nonnulla capita breves notationes, criticas aliasve, adjecit. Ita v. g. ad cap. un. de postul. I. 2. v. *cathedralem* et v. *postulatos vero;* ad cap. 4. de elect. I. 3. v. *Bonifacii VIII.*, v. *Clementis*, v. *tenoribus*, v. *pensiones;* ad cap. 1. de simon. V. 1. v. *sane*.

Quae dispositio hujus collectionis servata est in omnibus subsequentibus ejus editionibus usque ad hoc tempus.

Et haec collectio est, quae nunc in editionibus Corporis juris canonici sub nomine: *Extravagantes communes* adducitur.

Citari collectio haec solet indicando *caput* et *titulum*, cum additamento: *Extr. comm.* Caput et titulus eodem modo indicantur, ac supra de collectione Gregoriana et aliis dictum est. V. g. cap. Quia nonnulli. de sent. excomm. Extr. comm.; cap. 4. de sent. excomm. Extr. comm.

Numeri *libri* et *tituli* in indice rubricarum titulorum alphabetico eodem modo quaerendi sunt, ac supra de aliis collectionibus decretalium hoc respectu diximus. In *communi* indice rubricarum titulorum determinationes, ad hanc collectionem spectantes, signantur voc.: *Extr. comm.*

Qua ratione locus supra citatus dignoscitur referri in lib. V. tit. 10.

Apud recentiores canonistas numeri libri et tituli plerumque jam in ipso citato indicari solent.

In reliquum de citatione hujus collectionis eadem valent, quae supra de prioribus collectionibus decretalium hoc respectu tradita sunt.

§ 150. Indoles scientifica hujus collectionis.

Quod attinet ad indolem scientificam hujus collectionis, est collectio ista omnibus collectionibus prioribus longe inferior. Etenim, praeterquam quod continet nonnullas Extravagantes mere temporales et locales [1], quod quidem e parte etiam de priori Extravagantium collectione valet [2], adducitur in ea, et quidem in fine cap. un. de immunit. eccles. III. 13., Extravagans Papae *Clementis V.: Pastoralis cura,* quae quidem olim Extravagans fuerat, attamen tunc temporis jam dudum, cum omissione initii, inde a vocibus: *Quoniam ex constitutione* in collectionem Clementinarum inserta erat [3].

[1] Uti est v. g. illa, quae refertur in cap. 2. de privilegg. V. 7.

[2] Cfr. cap. 1. de elect. I. Extr. Joan. XXII.

[3] Cap. un. de immunit. eccles. III. 17. De quo *Joannes Andreae* in gl. ad hoc cap. v. *Quoniam ex constitutione* observat, dicens: „Et fuit ista (sc. constitutio, in hoc capite relata) de primis constitutionibus Clementis, editis a principio promotionis suae, et incipiebat: *Pastoralis.* Cujus decidit exordium, post quod sequebatur: *Sane quoniam* etc.“

Porro ibi Extravagans Papae *Bonifacii VIII.: Super cathedram,* quae quidem a Papa *Benedicto XI.* (1303—1304) per Extravagantem: *Inter cunctas* abrogata, a Papa *Clemente V.* (1305—1314) autem in Concilio Viennensi (1311—1312) constitutione: *Dudum* renovata et in cap. 2. de sepult. in Clem. III. 7. collocata est, nihilominus iterum refertur, videlicet in cap. 2. de sepult. III. 6. Immo vel ipsa illa Extravagans Papae *Benedicti XI.: Inter cunctas,* quae praefatam Extravagantem Papae *Bonifacii VIII.: Super cathedram* abrogaverat, deinde autem ipsa per cit. constitutionem generalis Concilii Viennensis (cap. 2. de sepult. in Clem. III. 7.) abrogata erat, hoc non obstante ibidem inserta est, videlicet in cap. 1. de privilegg. V. 7. [1].

§ 151. Recentiores explanationes et editiones hujus collectionis.

Publicae praelectiones super hac collectione Extravagantium, uti super illa *Viginti Extravagantium Papae Joannis XXII.* (§ 148.), olim in aliqua Universitate habitae non sunt. De cetero, uti prior illa collectio *Viginti Extravagantium Papae Joannis XXII.,* ita etiam haec, *Communium Extravagantium* collectio, in editione Lugd. a. 1559, curata a *Carolo Molinaeo (du Moulin),* hujus *additiones,* utique saepe odio in Sedem Apostolicam animatas, accepit.

Summi Pontifices, qui de emendando Decreto Gratiani curam gesserunt, a Correctoribus Decreti Romanis etiam hujus collectionis Extravagantium textum recenseri jusserunt. Hunc textum ab eis adornatum Papa *Gregorius XIII.* citt. litteris brevibus: *Quum pro munere pastorali,* d. d. 1. Jul. 1580, authenticum declaravit eumque ullatenus mutari vetuit. Qui textus jussu et auctoritate ejusdem Papae *Gregorii XIII.* typis impressus prodiit (una cum textu praefatae collectionis *Viginti Extravagantium Papae Joannis XXII.*) Romae a. 1582 sub titulo: „Extravagantes, tum Viginti D. Joannis Papae XXII., tum Communes, suae integritati una cum glossis restitutae“, in aedibus Populi Romani, uno tom. in fol., col. 181.—364., col. 1.—178., uti jam supra meminimus, collectione *Viginti Extravagantium Papae Joannis XXII.* exhibita [2].

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 65. not. 10.; *Friedberg,* in Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LXV.

[2] Quae editio refert textum editionis Paris. a. 1520, a *Jacobo Fontano* curatae (additionibus *Caroli Molinaei,* uti in priori collectione, ita etiam in hac repudiatis). Et statim ab initio (col. 179.—180.) adducit *Hieronymi Clarii,* Brixiani, juris utriusque doctoris et Apostolici Protonotarii, saec. XVI., breve praeludium in Extravagantes, tum (inde a col. 181.—364.) ipsum textum Extravagantium una cum ipsarum glossa, eadem ratione impressum, uti de priorum collectionum textu supra observavimus. Cui in fine in peculiari folio adjungitur insigne communitatis civilis Urbis Romae, et deinde per integra fere 11 folia alphabeticus index rerum et verborum, quae in Sexto Decretalium, Clementinis et Extravagantibus habentur, et tandem iterum supra memoratum insigne communitatis civilis Populi Romani.

Postea novas hujus collectionis editiones curaverunt *Petrus* et *Franciscus* fratres *Pithoei*[1], *Justus Henning Böhmer*[2], *Aemilius Ludovicus Richter*[3] atque *Aemilius Friedberg*[4].

Alias editiones hujus collectionis inferius memorabimus, quum de editionibus totius Corporis juris canonici agemus[5].

Brevem commentarium hujus collectionis exhibuit jam supra laudatus *Augustinus Barbosa* in suis „Collectaneis Doctorum in Jus pontificium universum", ed. Venet. 1716 sqq., tom. IV. p. 347. sqq. et tom. VI. p. 140. sqq.[6].

ARTICULUS TERTIUS.

Character harum collectionum Extravagantium et earum hodiernus valor et usus.

§ 152. Character harum collectionum Extravagantium.

Praefatae collectiones Extravagantium ex origine sua, uti e supra dictis elucet, non sunt nisi privatae. Nec unquam ulla ratione valorem collectionum publicarum seu authenticarum sortitae sunt.

Per hoc, quod jussu Summorum Pontificum Romae a Correctoribus Decreti recensae et a. 1582 typis editae sunt, solummodo textus earum authenticus factus est ita, ut in eo quidquam mutare nemini liceret, earum autem character originarius mansit intactus.

Neque per hoc, quod Papa *Gregorius XIII.* eas in citato brevi: *Quum pro munere pastorali*, d. d. 1. Julii 1580, collectionibus decretalium publicis, Gregorianae et reliquis, adnexuit et una cum illis *„jus canonicum"*, et *„juris canonici Corpus"* appellavit, eis character pu-

---

[1] In tom. II. Corporis jur. can., ed. *Claudius le Peletier* Paris. 1687 et iterum ibidem et alibi.

[2] In tom. II. editi ab eo Corporis jur. can. Halae Magd. 1747.

[3] In parte II. Corporis jur. can., ab ipso Lips. 1839 editi.

[4] Item in parte II. editi ab ipso Corporis jur. can. Lips. 1879 sqq. Cfr. *Friedberg*, in cit. Corp. jur. can. part. II. prolegg. col. LXIV.

[5] Eas, quae usque ad a. 1789 prodierunt, editiones hujus collectionis refert *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corp. jur. can., p. 100. sqq.

[6] Quum supra suis locis adduxerimus commentarios, ab *Augustino Barbosa* ad singulas partes Corporis juris canonici adornatos, et sub titulo: „Collectanea Doctorum in Jus pontificium universum" comprehensos et nunc in sex tomos fol. dispartitos quorum 1.—3. continent commentarium in collectionem decretalium Papae Gregorii IX., tom. 4. in Librum Sextum, Clementinas et Extravagantes, tom. 5. in Decretum Gratiani, et tom. 6. praetermissa et additamenta ad commentarios praedictos, hoc loco adnotandum censemus, quinque priores tomos primum prodiisse Lugd. 1537; tum auctos iterum ibidem a. 1647, et tomum 6. ibidem a. 1648; deinde opus illud universum prodiisse Lugd. 1669 et 1688, 4 tomm. in fol., et Venet. 1716—1719, 6 tomm. in fol. Cfr. *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. III. part. 1. p. 746.

blicus contigit. Poterat eas dictus Summus Pontifex cum praefatis collectionibus publicis *juri canonico* accensere, quatenus et illae, licet non ex toto, uti hae, sed tamen e magna parte, constitutiones ecclesiasticas universales et sic jus canonicum (cfr. § 2.) continent, quin ipsas his penitus aequaverit et publicas seu authenticas fecerit. Sane, si hac ratione illae collectiones Extravagantium vim collectionum juris ecclesiastici publicarum sortitae essent, idipsum etiam de Gratiani Decreto tenendum foret, quippe quod eodem plane modo, ac illae collectiones Extravagantium, a Papa Gregorio XIII. in citatis litteris brevibus *juri canonico* accenseatur atque ejus jussu Romae typis editum sit; quod tamen Decretum nihilominus opus privatum permansisse, supra (p. 79. sq.) ab ipso Papa *Benedicto XIV.* accepimus.

Si autem quis asserat, illas collectiones Extravagantium per universalem earum e parte Ecclesiae receptionem characterem collectionum publicarum obtinuisse, illi simpliciter respondendum, talem earum e parte Ecclesiae receptionem nunquam evenisse; immo neque facile evenire potuisse, quum ipsa hujusmodi receptionis ansa, videlicet praelectiones super iis in Universitatibus habitae, defecisse dignoscatur [1].

Unde asserendum est, illas Extravagantium collectiones characterem privatum, quem originetenus habuerunt, usque ad praesens retinuisse [2].

§ 153. Hodiernus valor et usus harum collectionum.

Licet nonnullae Extravagantium, his collectionibus comprehensarum, jam originetenus nonnisi temporalem et localem valorem habuerint et ideo nunc nullum amplius momentum et usum practicum habeant, uti est v. g. Extravagans Papae Clementis V.: *Meruit,* relata in cap. 2. de privileg. Extr. comm. V. 7., et Extravagans Papae *Joannis XXII.: Ad onus,* relata in cap. 1. de elect. I. Extr. Joan. XXII., tamen multae aliae usque ad praesens tempus momentum practicum, et quidem gravissimi ponderis, habent [3].

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 65.

[2] *Schulte* l. c. p. 63. sqq.; *Idem,* Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts. Giessae 1860, p. 351. Alii nonnulli nihilominus eas per universalem e parte Ecclesiae receptionem collectiones publicas evasisse asserunt; de qua re vide *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corp. jur. can., p. 40. sqq., et *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 63. not. 17.

[3] Huc pertinet inter alias v. g. Extravagans Papae Joannis XXII.: *Antiquae concertationi* (cap. un. de vot. VI. Extrav. Joan. XXII.); Papae *Bonifacii VIII.* Extrav.: *Injunctae* (cap. 1. de elect. Extrav. comm. I. 3.); alia Extrav. ejusdem Papae *Bonifacii VIII.,* interdum perperam adscripta *Benedicto XI., Si religiosus* (cap. 2. eod.); item alia ejusdem Papae *Bonifacii VIII.: Unam sanctam* (cap. 1. de M. et O. Extrav. comm. I. 8.); Papae *Pauli II.* Extrav.: *Ambitiosae* (cap. un. de reb. eccl. non alienand. Extr. comm. III. 4.); et alia Extrav. ejusdem Papae: *Quum detestabile* (cap. 2. de simon. Extr. comm. V. 1.).

Porro singularum Extravagantium, his collectionibus comprehensarum, valor ab eo dependet, utrum earum textus inibi relatus sit genuinus et integer, nec ne. Quum autem Summi Pontifices *Pius IV.*, *Pius V.* et *Gregorius XIII.* revisione harum collectionum Correctoribus Decreti Romanis demandata genuinum et integrum earum textum restituere intenderint: hinc ei, qui pro jure suo persequendo locos ex editione earum Romana, jussu Papae Gregorii XIII. a. 1582 evulgata, vel ea, quae hanc accurate sequitur, allegat, praesto est praesumtio, locum ita allegatum esse genuinum et integrum, quae praesumtio ei tamdiu praesto est, donec pars adversa plene probaverit, locum ita allegatum esse nihilominus spurium vel corruptum; uti supra circa Decretum Gratiani observavimus.

Praeterea, quum collectiones illae sint mere privatae, et hinc, quae ibi referuntur Extravagantes, per se nonnisi tantum valeant, quantum valebant, antequam in eas relatae erant: hinc in determinando valore singularum Extravagantium, in his collectionibus insertarum, etiam temporis, quo editae fuerunt, ratio est habenda, et Extravagans posterius edita, prius editae contraria, si tamen ambae sunt ejusdem *ambitus* [1], derogare censenda est.

---

[1] Cfr. supra p. 145.

PARS TERTIA.

CORPUS JURIS CANONICI.

CAPUT PRIMUM.

Notio et ambitus Corporis juris canonici.

§ 154. Notio Corporis juris canonici generatim.

Dictio: *Corpus juris canonici,* secundum analogiam corporis humani in oppositione ad singula ejus membra, generatim designat collectionem juris canonici seu canonum (cfr. § 2.) *completam.*

Qua ratione collectio constitutionum, ab Imperatoribus romanis editarum, versus finem saec. III. vel initio saec. IV. a quodam jurisconsulto nomine *Gregoriano* adornata [1], etiam *Corpus Gregoriani* appellari consuevit [2].

Tenorem autem dictio illa: *Corpus juris canonici,* diversis temporibus diversum habuit.

Qua ratione olim v. g. juris canonici collectio, ex saec. IX. proveniens, quae dicitur *Anselmo dedicata,* appellabatur *Corpus canonum* [3].

Postea *Decretum Gratiani* non solum *Corpus decretorum,* sed etiam *Corpus juris canonici* dici solebat [4].

Deinde tum singulae sic dictarum *Compilationum antiquarum* [5], tum collectio decretalium *Gregoriana* — *Corpus juris canonici* dici consueverunt [6].

---

[1] Quae communiter dicitur *Codex Gregorianus.* Cfr. infra append. cap. 1. art. 2. § 11.

[2] *Puchta,* Cursus der Institutionen, ed. IX. Lips. 1881, tom. I. p. 374.

[3] Cfr. supra p. 19. [4] Cfr. supra p. 25. § 15.

[5] Cfr. supra p. 128. § 70.

[6] Id testatur *Joannes Andreae,* dum Papam Gregorium IX. e quinque illis canonum collectionibus unam adornare voluisse, in suis Novellis Commentariis in Collect. Gregor. IX. in Prooem. in bullam publicationis: *Rex pacificus,* v. *Rex,* I. n. 38., refert, dicens: „Pluralitatem *corporum* in unum *corpus* redigere vult, singulas partes vel capitula locis congruis inserendo.“ Item Papa *Innocentius IV.* in sua bulla:

Concilium *Basileense* (1431—1443) sess. XXIII. (a. 1436) cap. 6.[1] *Librum Sextum* nomine: *Corpus juris (canonici)* designavit, *Extravagantes* autem, prouti alias posteriores constitutiones pontificias et sic dictas *Regulas Cancellariae Apostolicae*[2] a *Corpore juris (canonici)* distinxit, dum eas tantummodo reservationes beneficiorum ecclesiasticorum pontificias retineri voluit, quae in *Corpore juris (canonici) clausae,* i. e. insertae seu relatae sint, sub quibus nominatim intelligendae sunt reservationes, in capp. 2. 34. de praebend. in Sext. III. 4. adductae[3], reliquas autem omnes, sive introductas per Extravagantem Papae *Benedicti XII.*: *Ad regimen*[4], vel per Extravagantem Papae *Joannis XXII.*: *Execrabilis*[5], sive per Regulas Cancellariae Apostolicae vel alias constitutiones pontificias, aboleri statuit[6].

Ad expediendos, sub qua ad Philippum, Bononiensem archidiaconum, decretalium et constitutionum, a se editarum et collectioni Gregorianae inserendarum, *initia* transmisit, dicens: „Constitutionum decretalium et epistolarum, quas tempore pontificatus nostri edidimus, quasque in *corpore juris* contineri decernimus, tibi competentibus assignatas titulis duximus transmittendas". Cfr. supra p. 169. not. 4.

[1] *Harduin,* tom. VIII. col. 1210.; *Mansi,* tom. XXIX. col. 120. In reliquum de illa sessione hujus Concilii vide *Hefele*, Conciliengeschichte, ed. Friburg. Brisg. 1855 sqq., tom. VII. p. 628. sqq.

[2] *Regulae Cancellariae Apostolicae* sunt constitutiones pontificiae, quibus Cancellariae Apostolicae normae, expediendi negotia, ad ipsam pertinentia, praescribuntur. Eaedem partim ad modum, negotia ad Cancellariam Apostolicam deducta tractandi et expediendi generatim, spectant, et hae *regulae directivae* dicuntur; partim reservationes ecclesiasticorum beneficiorum attinent, et hae dicuntur *regulae reservatoriae;* partim ad hujusmodi causas seu res processuales pertinent, et hae *regulae judiciales* appellantur. Vim obtinent, quamdiu Summus Pontifex vivit; eo mortuo vim amittunt. A quovis Summo Pontifice initio Pontificatus emittuntur, vel ab ejus praedecessore emissae confirmantur. Numerantur universim septuaginta duae. Quae regulae, quum primum tantummodo usu constitissent, a Papa *Joanne XXII.* (1316 u. ad 1334) scripto mandatae sunt. Cfr. de iis *Bangen*, Die röm. Curie. Monast. 1854, p. 443. sqq.; *Doujat,* Praenott. canonn. lib. IV. cap. 25. n. 7.

[3] Earum prior, in cap. 2. de praebend. in Sext. III. 4. relata, quae jam a Papa *Clemente IV.* (15. Febr. 1265—29. Nov. 1268) introducta est, pertinet ad illa beneficia ecclesiastica, quae vacaverunt per obitum *in Curia*, i. e quorum possessores obierunt Romae vel alio loco, ubi Papa cum sua Curia residebat. Altera earum, in cap. 34. eod. posita, a Papa *Bonifacio VIII.* (24. Dec. 1294—11. Oct. 1303) introducta, spectat ad beneficia ecclesiastica omnium curialium, i. e. officialium pontificiae Curiae, et ad ecclesiastica beneficia illorum, qui in loco, a sede pontificia non ultra *duas diaetas legales* (una diaeta legalis complectitur 20 000 passuum, i. e. 20 milliaria romana seu italica seu 5 milliaria germanica; cfr. l. 3. D. de V. S. 50. 16.) remoto, obierunt. Cfr. *Vering,* Lehrbuch des kathol., oriental. und protest. Kirchenrechts, ed. II. p. 533. sq.

[4] Cap. 13. de praebend. Extr. comm. III. 2.

[5] Cap. un. de praebend. III. Extr. Joan. XXII.; item cap. 4. eod. Extr. comm. III. 2.

[6] Quod decretum verbotenus sonat, ut sequitur: „Et quia multiplices ecclesiarum et beneficiorum hactenus factae per Summos Pontifices reservationes non parum Ecclesiae onerosae exstiterunt, ipsas omnes, . . . sive per Extravagantes: *Ad regimen* et *Execrabilis*, sive per *Regulas Cancellariae* aut alias apostolicas consti-

Qua ratione invaluit usus, solas collectiones decretalium publicas seu authenticas, videlicet collectionem Papae *Gregorii IX.*, Librum Sextum *Bonifacii VIII.* et collectionem Papae *Clementis V.*, vocibus: *Corpus juris canonici* designandi; cujus quidem designationis etiam Papa *Benedictus XIV.* in illa, sub qua a. 1746 primum tomum sui Bullarii Bononiensi Universitati transmisit, constitutione: *Jam fere sextus* rationem habuisse dignoscitur [1].

---

tutiones introductas, haec sancta synodus abolet, . . . reservationibus in *Corpore juris* expresse *clausis* . . . dumtaxat exceptis."

Voce: *clausis* hoc loco nihil aliud designari, nisi: *insertis* seu *relatis*, e contextu clare elucet. Eodem significatu vocem illam adhibet Papa *Innocentius X.* in const.: *Cum juxta*, d. d. 19. Jan. 1646, edita super discessu S. R. E. Cardinalium e Statu pontificio absque licentia Summi Pontificis praesumto, dum loquitur de „quocumque alio colore, praetextu, occasione et capite, etiam in Corpore juris *clausis*". (Acta S. Sedis, ed. Rom. 1865 sqq., vol. III. p. 336.) Item *S. Congr. super Statu Regularium*, dum in decreto: *Romani Pontifices*, die 25. Jan. 1848 auctoritate Papae Pii IX. edito, loquitur de privilegiis in Corpore juris *clausis*, dicens ibid. § V. in fine, ut sequitur: „Sanctitas Sua quibuscumque in contrarium facientibus constitutionibus, regulis et statutis . . . etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio, licet in Corpore juris *clauso* et Apostolicis constitutionibus ac decretis *confirmato*, ac expressa, individuali, speciali et specialissima mentione *digno*, aliisque contrariis quibuscumque prorsus derogat et derogatum esse declarat." (Correspondance de Rome, Rom. 1848 sqq., tom. I. p. 14.; etiam Archiv für kathol. Kirchenrecht, edd. *v. Moy* et *Vering*, tom. VIII. p. 143.) Item Papa *Pius IX.* in const.: *Quamquam Illius*, d. d. 29. Sept. 1867, in causa Cardinalis *Hieronymi d'Andrea* emissa (Acta SS. l. c. p. 327. et 332.), dum loquitur de „causa publica et favorabili, in Corpore juris *clausa*" atque de „ratione, in Corpore juris *clausa*".

Eadem ratione etiam ipsa *beneficia*, quorum reservatio pontificia in Corpore juris *clausa*, i. e. relata seu inserta erat, *clausa* in Corpore juris dicta sunt. Id elucet inter cetera ex Avisamentis, tempore Basileensis Concilii ab Electoribus Imperii a. 1441 Moguntiae in publico conventu conceptis, § V. (apud *Gaertner*, Corpus jur. eccl. Catholicorum novioris, quod per Germaniam obtinet. Salisburg. 1797 sqq., tom. I. p. 66.; etiam apud *Bickell* l. c. p. 50.), ubi a Summo Pontifice inter cetera hoc petendum statuitur: „Et quod hujusmodi beneficia, in Corpore juris clausa, Romanus Pontifex intra unius mensis spatium conferre teneatur."

Quid quod illa dictio: *clausus* etiam de ipsis Extravagantibus praefatis adhibita est ita, ut et ipsae *non* in Corpore juris *clausae* dicerentur. Sic v. g. Extravagans Papae *Benedicti XII.*: *Ad regimen* in Avisamentis deputatorum nationis Germanicae, a. 1416 in Concilio Constantiensi propositis (apud *Bickell* l. c. p. 47.), dicitur, *non clausa* in Corpore juris".

[1] Verbotenus hoc respectu Papa Benedictus XIV. in praefata constitutione, posita in fronte tom. I. dicti sui Bullarii (Bullar. Rom., ed. Luxemburg. 1727 sqq., tom. XVI.), ait, ut sequitur; „Nobis profecto nostraeque in Patriam benevolentiae deesse videremur, nisi hoc tempore, tot illustrium Pontificum exemplis adducti, Doctoribus et Scholaribus Universitatis Bononiensis Collectionem hanc nostram inscriberemus, cum praesertim inter ejus Doctores Nos ipsi recensiti fuerimus, cum adhuc in minoribus versaremur. Quodsi appellatione *Corporis*, ut ajunt, *Juris Canonici* comprehendi tantum debeant congestae a Gregorio IX., *Bonifacio VIII.* et *Clemente V.* Decretales, hoc Volumen nostrum isto sane nomine haud contineri, certum est; sin autem appellatione *Corporis Juris Canonici* intelligendum est, quidquid ab Apostolica auctoritate promanat (qua omnes Romani Pontifices aeque praediti

§ 155. Hodiernus ambitus Corporis juris canonici.

Verum vi litterarum brevium Papae *Gregorii XIII.: Quum pro munere pastorali,* d. d. 1. Jul. 1580, ad Corpus juris canonici tum Decretum Gratiani, tum etiam ambae collectiones Extravagantium, videlicet *Viginti Extravagantium Papae Joannis XXII.* et *Extravagantium communium,* uti a Correctoribus Decreti Romanis sunt recensae, necessario adnumerandae sunt, ita quidem, ut inde a tempore dicti Summi Pontificis ad Corpus juris canonici referri debeant: *Decretum Gratiani, Decretales Gregorii Papae IX., Liber Sextus decretalium Bonifacii Papae VIII., collectio constitutionum Clementis Papae V., Extravagantes Viginti Joannis Papae XXII.* atque *Extravagantes communes.* Id elucet e praefatis litteris brevibus Papae *Gregorii XIII.,* quibus hic supra dictas collectiones juris canonici omnes primum singillatim enumerat et dein simul comprehendit atque vocibus: *jus canonicum* et: *juris canonici Corpus* designat [1].

---

sunt), tum hujusmodi nuncupatione Librum quoque nostrum comprehendi nemo inficiabitur." Quibus tamen idem Papa hanc adjungit notationem: „Sed quaestionem omittamus, quae solo nomine continetur."

[1] Verbotenus Papa Gregorius XIII. in praefato brevi de hac re dicit, ut sequitur: „Dudum . . . adhibitis nonnullis ex fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, adjuncto etiam aliquorum doctrina et pietate insignium virorum studio, *Decretum Gratiani* nuncupatum absque glossis, nec non idem Gratiani Decretum cum *Decretalibus Gregorii Papae IX.,* praedecessoris nostri, *Sexto, Clementinis* et *Extravagantibus,* non modo cum veteribus glossarum auctoribus, . . . verum etiam cum his, quae ab impiis scriptoribus tam extra in marginibus, quam etiam intra aspersa fuerant catholicae veritati contraria, revidendi, corrigendi et expurgandi curam demandavimus. Quum autem ipsum *Decretum* absque glossis a praefatis a nobis deputatis jam totum emendatum et correctum ac nonnullis annotationibus illustratum existat, ipsiusque major pars a dilecto filio Paulo Constabili, tunc sacri nostri Palatii Apostolici Magistro, una cum dictis *Decretalibus* felicis recordationis *Gregorii IX.,* praedecessoris nostri, jam impressis, recognita et approbata sit, reliquum vero ejusdem Decreti una cum annotationibus praedictis tam absque glossis, quam ipsum totum cum glossis, *Sextumque* et *Clementinas* simul et *Extravagantes* a dilecto filio Sixto Fabri, ejusdem Palatii nostri Apostolici Magistro, recognoscenda omnia et approbanda in officina populi Romani . . . imprimi et impressa divulgari jusserimus, ac ut ad majorem Christifidelium ubique, tam intra quam extra Italiam, citra et ultra Montes commorantium commoditatem hoc *Juris Canonici Corpus* fideliter et incorrupte juxta exemplar hic Romae impressum a catholicis typographis, a Romano populo, sive ab eo deputatis vel pro tempore deputandis electis, imprimi possit: Nos opportune providere volentes, ut hoc *Jus Canonicum* sic expurgatum ad omnes ubique Christifideles sartum tectum perveniat, ac ne cuiquam liceat eidem operi quicquam addere, vel immutare, aut invertere, nullave interpretamenta adjungere, sed prout in hac nostra Urbe Roma nunc impressum fuit, semper et perpetuo integrum et incorruptum conservetur: motu proprio et ex certa nostra scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine omnibus et singulis . . . typographis et librorum impressoribus ac bibliopolis, et quibuscunque aliis personis utriusque sexus . . . in virtute sanctae obedientiae . . . Apostolica auctoritate tenore praesentium inhibemus et interdicimus, ne ipsius *Gratiani Decretum* cum annotationibus, et idem cum glossis, *Decretalibus Gregorii IX.,* praedecessoris

Quem ambitum *Corpus juris canonici* retinuit usque ad praesens tempus.

Neque tamen praedictae collectiones juris canonici statim ab initio sub communi titulo: *Corpus juris canonici* imprimebantur, sed, quatenus cum textu etiam *glossam* continebant, plerumque *quinque tomis* impressae sunt, quorum *primus* continet Decretum Gratiani, *secundus* Decretales Gregorii Papae IX., *tertius* Librum Sextum Bonifacii Papae VIII., *quartus* Clementinas et *quintus* Viginti Extravagantes Joannis Papae XXII. atque Extravagantes communes, quorumque singuli peculiarem titulum gerunt secundum collectionem, quam recte continent. Et hi quinque tomi plerumque in *tribus voluminibus* compacti sunt, quorum *primum* exhibet Decretum Gratiani, *secundum* Decretales Gregorii Papae IX. ac *tertium* Librum Sextum Bonifacii Papae VIII., Clementinas, Viginti Extravagantes Papae Joannis XXII. et Extravagantes communes, eorumque singula peculiari inscriptione insignita sunt, videlicet secundum collectiones, quas continent, ita tamen, ut *volumen tertium* haud raro solummodo inscriptionem *Libri Sexti* gerat [1]. Id quod nominatim etiam in editione Romana authentica a. 1582 locum habet.

Attamen certe jam saec. XVII. praefatae collectiones sub communi titulo: *Corpus juris canonici* quinque tomis et tribus voluminibus imprimi et singula haec volumina tanquam *partes* Corporis juris canonici designari consueverunt [2].

Et hoc quidem eo magis factum est in illis harum collectionum

---

nostri, *Sexto, Clementinis* et *Extravagantibus,* ut praefertur, de cetero per decennium a data praesentium sub quovis titulo alibi quam in Urbe nostra, et in eadem officina impressoria dicti populi Romani, et iis, quibus ab eodem populo Romano . . . tam in Italia quam extra Italiam ubilibet facultas et licentia per dictum tempus desuper concessa fuerit, . . . impressum et imprimendum tenere, vendere, dare donare vel alias quomodolibet habere vel transferre; neque etiam ipsi absque expressa etiam in scriptis licentia ejusdem populi Romani . . . dictum Gratiani Decretum cum ipsis annotationibus, et idem cum glossis, *Gregorii IX.,* praedecessoris nostri, *Decretalibus, Sexto, Clementinis* et *Extravagantibus,* ut dictum est, imprimere . . . audeant seu praesumant: ita quod etiam nulli omnino hominum . . . liceat hujusmodi libris dicti *Juris Canonici* sic, ut praefertur, de mandato nostro recognitis, correctis et expurgatis quicquam addere, detrahere vel immutare aut invertere, nullave interpretamenta adjungere, sed prout opus hujusmodi nunc Romae impressum fuit, semper et perpetuo integrum et incorruptum conservetur, statuimus, sancimus et ordinamus."

[1] *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corp. jur. can., p. 87.

[2] Id factum esse dignoscitur nominatim in editione harum collectionum glossata, quae prodiit *Lugduni* a. 1671 sumptibus *Joan. Ant. Huguetan* et *Guil. Barbier* in quinque tomis et *tribus voluminibus,* quorum *primum,* continens Decretum Gratiani, inscriptum est: *Corpus juris canonici. Pars prima; secundum,* continens Decretales Gregorii Papae IX.: *Corpus juris canonici. Pars secunda;* et *tertium,* exhibens Librum Sextum Bonifacii Papae VIII. et reliqua: *Corpus juris canonici. Pars tertia.*

editionibus, quae solum earum textum *absque glossa* exhibebant et hinc facile *uno,* certe *duobus* tomis in 4° comprehendi poterant.

§ 156. Corpus juris canonici clausum.

Dictionibus supra memoratis: *reservationes* beneficiorum ecclesiasticorum in Corpore juris *clausae,* et: *beneficia* in Corpore juris *clausa,* et: *Extravagantes* in Corpore juris *non clausae,* nonnulli canonistae efformaverunt dictionem: *Corpus juris* (canonici) *clausum,* eaque praeter Decretum Gratiani tantummodo praefatas collectiones juris canonici publicas, videlicet: *Decretales Gregorii Papae IX., Librum Sextum Papae Bonifacii VIII.* et *Clementinas,* ambabus collectionibus Extravagantium omnino exclusis, comprehenderunt, et illam dictionem plane Concilio Basileensi in acceptis referendam putaverunt [1].

Verumtamen utrumque minus rationabiliter fieri, elucet tum e praefato brevi Papae *Gregorii XIII.: Quum pro munere pastorali,* quo dictus Papa ad Corpus juris canonici etiam ambas illas collectiones Extravagantium accenset, tum e verbis respectivi decreti Concilii *Basileensis,* supra (p. 222. not. 6.) allegati, quo dictum Concilium nequaquam de *Corpore* juris canonici *clauso,* sed de *reservationibus beneficiorum* in Corpore juris *clausis* loquitur.

De cetero autem, si quis dictione: Corpus juris canonici *clausum* id exprimere vellet, post *Collectionem Clementinam* nullam collectionem publicam seu authenticam Corpori juris canonici accessisse, huic usui loquendi utique nihil rationabile opponendum foret. Omnino autem falsum esset, si quis dictionem: Corpus juris canonici *clausum* ita accipiendam putaret, ac si nonnisi illae normae juris ecclesiastici, quae dicto Corpore juris canonici *clauso* continentur, vim ecclesiasticae legis haberent, neque ulterius augeri possent [2].

---

[1] Ita nominatim *Kreittmayr,* Anmerkungen über den Codicem Maximilianeum Bavaricum civilem. Monach. 1758 sqq., tom. V. p. 2031., ubi respectu reservationum beneficiorum eccl. ait: „Unter dem *jure scripto* aber ist (wenigstens hierumfalls) nicht alles, was sich in unserm heutigen Corpore juris canonici befindet, sondern nur das sog. Corpus juris *clausum,* i. e. Decretum Grat., sammt den sechs Büchern der Decretalium, nicht aber die Extravagantes, und anderes mehr, verstanden." Porro *Wiese,* Handbuch des gemeinen, in Teutschland üblichen, Kirchenrechts. Lips. 1799 sq., tom. I. p. 257. sq.; item *Helfert,* in Lexico eccl. Friburg., Friburg. 1847 sqq., tom. II. p. 891. et 893.; *Hübler,* Kirchliche Rechtsquellen. Berolin. 1888, p. 32. Cfr. *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corp. jur. can., p. 61. not. 1.; porro *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 355.; *Scherer,* in Lexico eccl. Friburg., ed. II. tom. III. col. 1118. sqq.

[2] *Vering,* Lehrbuch des kathol., orient. und protest. Kirchenrechts, ed. II. p. 81.; *Scherer,* Handbuch des Kirchenrechts, tom. I. p. 270.

CAPUT SECUNDUM.

Appendices Corporis juris canonici.

§ 157. Liber Septimus decretalium Petri Matthaei.

Plerumque Corpori juris canonici plures appendices addi solent, et quidem primo sic dictus *Liber Septimus decretalium Petri Matthaei,* i. e. collectio decretalium, a *Petro Matthaeo,* jurisconsulto et advocato Lugdunensi († 1621) [1], adornata et ad instar collectionis Gregorianae disposita. Quae collectio continet praesertim decretales Summorum Pontificum inde a *Sixto IV.* (1471—1484) usque ad *Sixtum V.* (1585 u. ad 1590) incl.; insuper autem etiam nonnullorum Summorum Pontificum anteriorum, uti v. g. *Pauli II.* (1464—1471), *Eugenii IV.* (1431 u. ad 1447), *Gregorii XI.* (1370—1376) et aliorum.

Divisa est collectio illa in consuetos *quinque libros,* libri in *titulos* et tituli in *capita. Rubricae* titulorum e parte cum rubricis priorum collectionum decretalium congruunt, e parte autem novae sunt; uti v. g. lib. I. tit. 4.: *de cardinalibus;* tit. 9.: *de insulis Novi Orbis;* lib. III. tit. 15.: *de quaestorum tollendo abusu;* lib. V. tit. 14.: *de monetarum tonsoribus.*

Citari collectio illa solet, uti collectiones decretalium priores, attamen cum additamento: *in VII. Petr. Matth.* V. g. cap. 1. de cardinalibus, in VII. Petr. Matth. I. 4.

In indicibus communibus titulorum et capitum, qui editionibus Corporis juris canonici addi solent, saepe etiam hujus collectionis ratio habetur.

Primum collectio illa seorsim edita est Lugduni a. 1590. Inde ab a. 1591 autem plerumque editionibus Corporis juris canonici tanquam appendix adjungi consuevit [2].

Characterem publicum seu legalem collectio haec non habet [3].

§ 158. Institutiones juris canonici Joannis Pauli Lancelotti.

Porro Corpori juris canonici tanquam appendix addi solent *Institutiones juris canonici Joannis Pauli Lancelotti,* professoris juris ca-

[1] *Jöcher,* Allgem. Gelehrten-Lexikon, III. 295. sq. v. *Matthieu* (Petrus).

[2] Addita enim jam est editioni Corporis juris canonici, quae a. 1590 sq. Francofurti prodiit. Hinc minus recte asserunt *Phillips* (Kirchenrecht, tom. IV. p. 409.) et *Schulte* (Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 353.), illam collectionem primum editioni Corporis juris canonici, quae a. 1661 Lugduni prodiit, additam esse.

[3] Praeter hunc adhuc alius memoratur *Liber Septimus decretalium,* videlicet *Clementis VIII.* Qui liber jussu Papae *Gregorii XIII.* (1572—1585) adornari coeptus et sub Pontificatu *Clementis VIII.* (1592—1605) absolutus et *Liber Septimus decretalium Clementis Papae VIII.* dictus, nequaquam autem a Sede Apostolica approbatus, nec etiam publicatus est. Cfr. de eo *Phillips,* Kirchenrecht, tom. IV. p. 477 sq.; *Scherer,* Handbuch des Kirchenrechts, tom. I. p. 275. Typis hunc librum edidit *Franc. Sentis* Friburg. Brisg. a. 1870 sub titulo: „Clementis Papae VIII. Decretales, quae vulgo nuncupantur Liber Septimus Decretalium Clementis VIII."

nonici in Universitate Perusina († 1590)[1]. Quod opus a praefato *Lancelotto* ex mandato Papae *Pauli IV.* (1555—1559) ad instar Institutionum juris civilis Imperatoris Justiniani I. (527—565)[2] adornari coeptum et sub Pontificatu *Pii IV.* (1559—1565) absolutum, nequaquam autem ab hoc vel ab ullo alio Summo Pontifice approbatum ullave auctoritate publica munitum est.

Divisum est ad instar praefatarum Institutionum Imperatoris Justiniani I., nimirum in quattuor *libros,* libri subdivisi sunt in *titulos* et tituli in *paragraphos* (§§), quibus tamen nequaquam, uti in praedictis Institutionibus Imperatoris Justiniani ac etiam in *canonibus Decreti* fit[3], praemittitur *principium (pr.).*

Citatur opus illud allegando *paragraphum, rubricam* tituli atque *numeros* libri et tituli, cum additamento: *Inst. Lanc.* V. g. § 1. Inst. Lanc. de vit. et honest. praelatt. I. 12.

Prima vice prodiit opus illud seorsim *Perusiae* a. 1563 in 4°, *Pio Papae IV.* dedicatum, sub titulo: „Institutiones juris canonici, quibus jus pontificium singulari methodo libris quatuor comprehenditur“[4].

Sensim autem editionibus Corporis juris canonici tanquam *appendix* adjungi consuevit, uti nominatim *Basileensi* a. 1570, *Parisiensi* a. 1587, *Francofurtensi* a. 1590 sq. et *Lugdunensi* a. 1614.

Opus hoc, licet ullam auctoritatem publicam non habeat, tamen pro cognoscendo jure ecclesiastico, quod saec. XVI. in Ecclesia viguit, magni est momenti.

§ 159. Alia additamenta Corporis juris canonici.

Insuper autem nonnulla alia additamenta *Corpori juris canonici,* praesertim glossato, et quidem tum ad singulas ejus partes, tum in fine totius adjungi solent. Et quod

A. ad singulas ejus partes spectat,

I. *Decreto Gratiani* adjungi consueverunt

1. ad C. XXXV. qu. 5. sic dicta *Arbor consanguinitatis et affinitatis,* cum commentario *Joannis Andreae.*

2. *Canones poenitentiales 47,* ex Summa aurea *Hostiensis (Henrici de Segusio).*

3. Sic dicti *Canones Apostolorum,* numero 84, ex versione *Gregorii Haloandri* (Hofmann), jurisconsulti Germani († 1531)[5].

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. III. part. 1. p. 451. sqq.

[2] Infra *append.* cap. I. art. 3. § 16.

[3] Cfr. supra p. 6.

[4] Alia editio prodiit *Basileae* 1566 in 4°, cum notis *Ludov. Alfieri,* indicantibus fontes hujus operis; porro *Perusiae* 1567 cum notis ipsius auctoris, appositis a *Roberto* et *Francisco Mancini.* Cfr. *Schulte* l. c. p. 451. not. 3.

[5] *Jöcher,* Allgem. Gelehrten-Lexikon, tom. II. col. 1336. v. *Haloander.*

4. Sic dicta *Tabula* seu *Margarita* Decreti, a *Martino Polono,* O. S. D., Papae poenitentiario et capellano († 1279), adornata [1], quae est index materiarum Decreti.

II. *Decretalibus Papae Gregorii IX.* adjungi solent

1. item *arbor consanguinitatis et affinitatis,* supra memorata, et quidem post lib. IV. tit. 14.

2. *Margarita Decretalium,* illi, quae Decreto Gratiani addita est, similis, cujus tamen auctor ignotus est [2].

3. *Tabula Ludovici Bolognini de Bononia* [3], quae materiam hujus decretalium collectionis exhibet et in singulis libris et titulis ad Decretum Gratiani respicit, et hinc etiam „Syllabus concordantiarum decretalium cum Decreto“ dicitur [4].

III. *Clementinis* addi solet *Arbor* seu *Figura declarativa tituli de jure patronatus.*

IV. *Extravagantibus,* et quidem

1. *Viginti Extravagantibus Papae Joannis XXII.* additur

a) ab initio, *Joannis Francisci de Pavinis* (cfr. supra p. 211.) *Praeludium in Extravagantes, in Regulas Cancellariae et Decisiones Rotae,* et

b) in fine, ejusdem auctoris *Apostillae* in has *Viginti Extravagantes Papae Joannis XXII.*

2) Ad *Extravagantes communes,* et quidem ab initio, adjungi solet *Hieronymi Clarii,* Brixiani, juris utriusque Doctoris et Protonotarii Apostolici, qui saec. XVI. floruit, *Breve praeludium in Extravagantes.*

B. In fine Corpori juris canonici adnecti solent varii *indices* ad sublevandum ejus usum, et quidem

1. indices, adornati a jurisconsulto Gallo saec. XVII., nomine *Petro Guenois,* et quidem *quattuor* ad *Decretum Gratiani,* videlicet *Summorum Pontificum,* quorum decretales et constitutiones ibi adducuntur, *Conciliorum,* quorum decreta, et *aliorum auctorum,* quorum effata ibi allegantur, atque *canonum,* nullam inscriptionem habentium; porro *tres* indices ad *collectiones decretalium,* nimirum *Summorum Pontificum, Conciliorum* et *Scriptorum,* quorum decretales, constitutiones et respective effata in illis exhibentur.

2. In editione glossata Corporis juris canonici *Lugdunensi* a. 1671 additae sunt *Annotationes practicae,* et in editione *Parisiensi* a. 1687 ex recensione *Petri* et *Francisci* fratrum *Pithoeorum* apposita est *Synopsis fontium juris canonici aevi antiquioris* [5].

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 137.

[2] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen, p. 353. not. 4.; *Idem,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 138.

[3] *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts, tom. VI. p. 356. sqq.

[4] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 347.

[5] *Schulte,* Die Lehre von den Quellen, p. 353. sq.

3. In nonnullis editionibus Corporis juris canonici etiam *communis index,* tum canonum Decreti, tum etiam capitum collectionum decretalium, et quidem etiam Libri Septimi *Petri Matthaei,* addi solet.

CAPUT TERTIUM.

Editiones Corporis juris canonici et nonnulla subsidia litteraria ad juvandum studium ipsius.

ARTICULUS PRIMUS.

Editiones Corporis juris canonici.

§ 160. Generatim.

Praeter editiones singularum partium Corporis juris canonici, quas supra suis locis memoravimus, hoc loco praecipuas totius Corporis juris canonici editiones in medium adducemus, et quidem primum editiones cum glossa, et tum editiones absque glossa.

§ 161. Editiones Corporis juris canonici cum glossa[1].

Ex editionibus Corporis juris canonici *glossatis* hoc loco memorandae sunt

1. illa, quae cura *Joan. Chappuis* et *Vital. de Thebes* prodiit Paris. 1499—1500 apud Udalr. Gering et Berthold. Rembolt, 3 voll. in fol.

2. Illa, quae prodiit cura eorundem ibidem 1503 apud eosdem, 3 voll. in fol. Editio *secunda,* a *Joan. Chappuis* et *Vital. de Thebes* curata.

3. Ea, quae prodiit Paris. a. 1504—1506 apud eosdem, 3 voll. in fol.

4. Illa, quae prodiit Paris. 1505 sq. expensis et opera Joan. Petit, Thielmanni Kerver . . . et Joan. Cabiller, 3 voll. in 4°.

5. Corpus juris canonici, Lugd. 1506 sq., 3 voll. in fol.

6. Corpus juris canonici, Lugd. 1509, 3 voll. in fol.

7. Corpus juris canonici, Paris. 1510 sq., 3 voll. in 4°.

8. Corpus juris canonici, Basil. 1511 sq., 3 voll. in fol.

9. Corpus juris canonici, Lugd. 1513—1515, 3 voll. in fol.

10. Corpus juris canonici, Paris. 1516—1518, 3 voll. in 4°.

11. Corpus juris canonici, Lugd. 1541, 3 voll. in fol.

12. Corpus juris canonici, Lugd. 1547 sq., 3 voll. in fol.

13. Corpus juris canonici, Lugd. 1554 sq., ad Salamandrae, apud Sennetonios fratres, 3 voll. in fol.

---

[1] Cfr. *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corp. jur. can., p. 94. sqq.

14. Corpus juris canonici, Lugd. 1559, apud Hug. a Porta et Ant. Vincent, 3 voll. in fol., nec non in 4° (cum notis *Carol. Molinaei*).

15. Corpus juris canonici, cura *Ant. Demochares,* Paris. 1561, apud Guil. Merlin, Guil. Desbois et Sebast. Nivell., 3 voll. in fol.

16. Corpus juris canonici, Antverp. 1572 sq., apud Christoph. Plantinum, 3 voll. in fol. [1]

17. Corpus juris canonici, Romae, in aedibus populi Romani 1582 (cura Correctorum Romm.), 3 voll. in fol. [2]

18. Corpus juris canonici, Rom. 1584, 4 voll. in 4°.

19. Corpus juris canonici, Lugd. 1584, 3 voll. in fol.

20. Corpus juris canonici, Paris. 1585, 3 voll. in fol.

21. Corpus juris canonici, Venet. 1595, 3 voll. in 4°.

22. Corpus juris canonici, Lugd. 1600, 3 voll. in fol.

23. Corpus juris canonici, Venet. 1605, apud Junt., 3 voll. in 4°.

24. Corpus juris canonici, Lugd. 1606, 3 voll. in fol.

25. Corpus juris canonici, Paris. 1612, 3 voll. in fol.

26. Corpus juris canonici, Venet. 1615, 4 voll. in 4°.

27. Corpus juris canonici, Lugd. 1671, sumptibus Joan. Ant. Huguetan et Guil. Barbier, 3 voll. in fol., cum communi titulo: *Corpus juris canonici.* Quae est editionum Corporis juris canonici *glossatarum* usque nunc novissima.

§ 162. Editiones Corporis juris canonici absque glossa [3].

1. *Corpus juris canonici,* Paris. 1550, apud Carol. Guillard et Guil. Desboys, cura *Ant. Demochares,* 4 voll. in 8°.

2. *Corpus juris canonici,* Paris. 1552, apud Carol. Guillard, item cura *Ant. Demochares,* 4 voll. in 8°.

3. *Corpus juris canonici,* Lugd. 1554 sq., apud Guil. Rovillium, 3 tomm. in 6 voll. in 16°.

4. *Corpus juris canonici,* cum annotationibus marginalibus et additionibus, opera *Ant. Contii* illustratum, Antverp. 1567—1569, apud Plantinum, 3 voll. in 8°.

5. *Corpus juris canonici,* Antverp. 1569—1571, apud Plantinum, cura *Ant. Contii,* 4 voll. in 8°.

6. *Corpus universi juris canonici* . . . juxta novam Gregorii XIII. Pont. Max. recognitionem illustratum. Accessit septimus Decretalium . . . opera *Petri Matthaei,* cum duplici margarita et appendice *Pauli Lancelotti.* Francof. 1590 sq., 5 tomm. in 6 voll. in 8°; item ibid. a. 1596.

---

[1] Haec editio, apud *Bickell* (l. c. p. 111.) designata ceu *sine* glossa, reapse *glossata* est. Habetur in c. r. bibliotheca palatina Vindobonensi (sign. 26. F. 41.).

[2] Quae editio, perquam rara, habetur in c. r. bibliotheca palatina Vindobonensi.

[3] Cfr. *Bickell,* Ueber die Entstehung und den heutigen Gebrauch der beiden Extravagantensammlungen des Corp. jur. can., p. 109. sqq.

7. *Corpus juris canonici* emendatum et notis illustratum, Gregorii XIII. Pont. Max. jussu editum, indicibus variis et novis et appendice *Pauli Lancelotti* Perusini (Institutiones juris canonici) adauctum, Lugd. 1614, un. tom. in 4°.

8. *Corpus juris canonici* emendatum et notis illustratum, Gregorii XIII. Pont. Max. jussu editum. Nunc indicibus novis et appendice *Pauli Lancelotti* Perusini adauctum. Paris. 1618, un. tom. in fol.

9. *Corpus juris canonici* emendatum et notis illustratum, Gregorii XIII. Pont. Max. jussu editum. Indicibus variis et notis et appendice *Pauli Lancelotti* adauctum. Colon. 1631, un. tom. in 4°.

10. *Corpus juris canonici* emendatum et notis illustratum, Gregor. XIII. Pont. Max. jussu editum, indicibus variis et novis et appendice *Pauli Lancelotti* Perusini adauctum, Lugd. 1646, un. tom. in 4°.

11. *Corpus juris canonici* emendatum et notis illustratum, Gregorii XIII. Pont. Max. jussu editum, indicibus variis novisque et appendice *Pauli Lancelotti* Perusini adauctum. . . . Accesserunt novissime loci communes uberrimi. . . . Itemque Liber VII. decretalium, hac primum editione novis aliquot constitutionibus auctus. Colon. Munatianae (Basileae) 1661, un. tom. in 4°.

12. *Corpus juris canonici* emendatum et notis illustratum, Gregorii XIII. Pont. Max. jussu editum, indicibus variis novisque et appendice *Pauli Lancelotti* Perusini adauctum. . . . Accesserunt novissime loci communes . . . itemque Liber VII. decretalium, novis aliquot constitutionibus auctus. Colon. Munat. 1670, un. tom. in 4°.

13. *Corpus juris canonici,* Gregorii XIII. Pont. Max. jussu editum, a *Petro Pithoeo* et *Francisco* fratre . . . ad veteres codices mss. restitutum . . . ex bibliotheca *Claudii le Peletier,* Paris. 1686—1687, item Lips. 1695, iterum ibid. 1705 et Taurin. 1746, 2 tomm. in fol.

14. *Corpus juris canonici* emendatum et notis illustratum, Gregorii XIII. Pont. Max. jussu editum . . . appendice *Pauli Lancelotti* . . . adauctum, Colon. Munat. 1696, un. tom. in 4°.

15. *Corpus juris canonici* emendatum et notis illustratum, Gregorii XIII. Pont. Max. jussu editum, Libro VII. decretalium et *Joan. Paul. Lancel.* Institutionibus adauctum, Colon. Munat. 1717, 2 tomm. in 4°.

16. *Corpus juris canonici academicum,* in duos tomos distributum, . . . auctore *Christ. Henr. Freiesleben,* Prag. 1728, 2 tomm. in 4°.

17. *Corpus juris canonici* emendatum et notis illustratum, Gregorii XIII. Pont. Max. jussu editum, Libro VII. decretalium et *Joan. Paul. Lancel.* Institutionibus adauctum, Colon. Munat. 1730, 2 tomm. in 4°.

18. *Corpus juris canonici academicum* emendatum . . . usuique moderno ad modum *Christoph. Henr. Freiesleben* . . . accommodatum, Colon. Agripp. 1735, 2 tomm. in 4°.

19. *Corpus juris canonici academicum* emendatum et notis *Paul. Lancel.* illustratum . . . usuique moderno ad modum *Christoph. Henr. Freiesleben* . . . accommodatum, Colon. Munat. 1746, 2 tomm. in 4°.

20. *Corpus juris canonici*, August. Taurin. 1746, ex typograph. regia, 2 tomm. in 4°.

21. *Corpus juris canonici*, Gregorii XIII. Pont. Max. auctoritate . . . editum . . . *Just. Henn. Boehmer* recensuit. Halae Magd. 1747, 2 tomm. in 4°.

22. *Corpus juris canonici academicum* emendatum et notis *Pauli Lancelotti* illustratum, in duos tomos distributum usuique moderno ad modum *Christoph. Henr. Freiesleben* accommodatum, Colon. Munat. 1757, 2 tomm. in 4°.

23. *Corpus juris canonici*, Colon. Munat. 1773, 2 voll. in 4°.

24. *Corpus juris canonici*, ad modum *Christoph. Henr. Freiesleben* accommodatum, Basil. 1789, apud Em. Tourneysen, 2 voll. in 4°.

25. *Corpus juris canonici.* Post *Justi Henningii Boehmeri* curas brevi adnotatione critica instructum, ad exemplar romanum denuo edidit *Aemilius Ludovicus Richter*, Lips. 1839, 2 tomm. in 4°.

26. *Corpus juris canonici.* Editio Lipsiensis secunda. Post *Aemilii Ludovici Richteri* curas ad librorum manu scriptorum et editionis Romanae fidem recognovit et adnotatione critica instruxit *Aemilius Friedberg*, Lips. 1879—1881, 2 tomm. in 4°.

ARTICULUS SECUNDUS.

Nonnulla subsidia litteraria ad juvandum studium Corporis juris canonici.

§ 163. Enucleatio abbreviaturarum, in Corpore juris canonici occurrentium.

Pro faciliori enucleatione abbreviaturarum, quae tum in codicibus mss. Corporis juris canonici ejusve partium, tum in antiquioribus editionibus occurrunt, egregie inserviunt inter cetera opera haec:

1. *Doujat*, Praenott. canonn., liber V. cap. 18.

2. Modus legendi abbreviaturas in utroque jure. Norimberg. 1482, Argentorati 1499, et alibi saepius.

3. Die Buchschriften des Mittelalters. Vindob. 1852, in c. r. typographia aulae et status.

4. *Hulákovsky*, Abbreviaturae vocabulorum, usitatae in scripturis praecipue latin. medii aevi, tum etiam slav. et germ. Prag. 1852.

Praesertim autem

5. *Walther*, Lexicon diplomaticum. Gotting. 1740, in fol.

§ 164. Lexica juris canonici.

Efficaciter etiam studium Corporis juris canonici juvant Lexica juris canonici, in quibus singulae voces graviores, in Corpore juris canonici occurrentes, saepe etiam cum allegatione locorum Corporis juris

canonici, in quibus illae voces occurrunt, explicantur. E quibus Lexicis heic nonnulla, quae quidem simul etiam jus civile romanum complectuntur, memoranda sunt.

1. *Alberici de Rosate* (jurisconsulti Bergomensis, † 1354)[1] Dictionarium juris, tam civilis quam canonici. Venet. 1573; ibid. 1601.

2. *Lexicon juridicum.* Hoc est, juris civilis et canonici in schola atque foro usitatarum vocum penus. Excudebat Jac. Stoer (s. l.), 1599 in 8°.

3. *Simonis Schardii* (assessoris tribunalis camerae imperialis Spirae, † 1573)[2] *Lexicon juridicum,* sive verborum et rerum ad juris romani, civilis simul et pontificii, theoriam et praxin pertinentium thesaurus locuples. Colon. Agripp. 1600.

4. *Joannis Calvini (Kahl),* professoris juris in Universitate Heidelbergensi, florentis saec. XVII.[3], *Magnum Lexicon juridicum,* juris caesarei simul et canonici. Colon. Allobrog. (Genevae) 1725, 2 tomm. in fol.

5. *Philippi Vicat* (professoris juris canonici Lausonii, † 1770)[4] *Vocabularium juris utriusque.* Neapol. 1760, 4 voll. in 8°[5].

§ 165. Versio germanica Corporis juris canonici.

Etiam versionem germanicam Corporis juris canonici adornaverunt viri eruditi, et quidem

1. *Dr. Bruno Schilling* et *Dr. Carolus Frider. Ferd. Sintenis,* sub titulo: Das Corpus juris canonici, in seinen wichtigsten und anwendbarsten Theilen ins Deutsche übersetzt und systematisch zusammengestellt. Lips. 1834—1837, 2 tomm. in 8°.

2. *Dr. Alexander Lang,* sub titulo: Corpus juris canonici, in Gemeinschaft mit mehreren Gelehrten ins Deutsche übersetzt und herausgegeben von *Dr. Alexander Lang.* Norimberg. et Furthae 1835; cujus tamen operis solummodo tres fasciculi, pertingentes ab initio usque ad c. 9. D. XXV. Decreti Gratiani, prodierunt.

---

[1] *Schulte,* Die Geschichte der Quellen, tom. II. p. 245.
[2] *Schulte* l. c. tom. III. part. 2. et 3. p. 28.
[3] *Leidenfrost,* Hist.-biograph. Handwörterbuch. Ilmenau 1824 sqq., I. p. 619. sq.
[4] *Lucii Ferraris* Bibliotheca canonica, ed. *Migne* Paris. 1860, tom. VIII. col. 699.
[5] Cfr. *Scherer,* Handbuch des Kirchenrechts, tom. I. p. 116. not. 7.

APPENDIX.

Brevis introductio in Corpus juris civilis romani.

CAPUT PRIMUM.

Jus civile romanum.

ARTICULUS PRIMUS.

Jus civile romanum generatim.

§ 1. Notio juris civilis romani.

Sub *jure civili romano* heic intelligitur complexus normarum juris saecularis [1], quae apud antiquum populum romanum viguerunt [2].

§ 2. Elementa, e quibus jus civile romanum constat, generatim.

Constat autem jus civile romanum e variis elementis; quorum quidem diversis ditionis romanae temporibus alia aliis praevalebant. Quae elementa sunt: 1. leges; 2. plebiscita; 3. senatusconsulta; 4. constitutiones Principum; 5. edicta magistratuum; 6. auctoritas prudentum et 7. jus consuetudinarium [3]. De quibus in sequentibus singulatim dispiciemus.

---

[1] Vox: *civilis* in oppositione ad voc.: *ecclesiasticus* denotat idem ac: *saecularis* seu *profanus*. Qua ratione *jus civile* heic opponitur juri ecclesiastico. Cfr. *Schulte,* Die Lehre von den Quellen des kathol. Kirchenrechts, p. 21.

[2] Quas normas, praesertim quatenus pertinent ad *jus privatum* (cfr. supra p. 1. not. 4.), exhibent inter alios nominatim: *Warnkönig,* Institutiones juris romani privati, ed. IV. Bonnae 1860; *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, ed. XIV. Vindob. 1862 sq.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, ed. IX. Lips. 1881, cura *Pauli Krüger,* tom. II. (etiam sub titulo; System und Geschichte des römischen Privatrechts); *Sohm,* Institutionen des römischen Rechts, ed. III. Lips. 1888.

[3] *Warnkönig* l. c. p. 10. sqq.; *Mackeldey* l. c. tom. I. p. 14. sqq.; *Puchta* l. c. tom. I. (etiam sub titulo: „Geschichte des Rechts bei dem römischen Volk") p. 65. sqq.; *Karlowa,* Römische Rechtsgeschichte, tom. I. (Lips. 1885) p. 27. sqq.; p. 425. sqq.; p. 616. sqq.; *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts. Lips. 1888, p. 3. sqq.

§ 3. Leges.

Sub *legibus* intelligendae sunt illae normae juris, quas *populus romanus* in comitiis curiatis vel centuriatis [1] magistratu senatorio proponente (rogante) approbavit. Quae leges plerumque secundum *nomen* ejus, qui eas populo proposuerat seu, uti in jure romano communiter dicitur, qui eas rogaverat seu tulerat, atque secundum *materiam,* ad quam spectant, designatae sunt [2]. Earum celeberrima exstitit illa, quae, quia in duodecim tabulis descripta erat, *lex duodecim tabularum* dicitur; quae, a. u. c. 302—304 (452—450 a. Chr. n.) data, usque ad tempora Imperatoris *Justiniani I.* (527—565) juris romani, praesertim privati, fundamentum constituebat [3].

§ 4. Plebiscita.

Plebiscita sunt normae juris, a sola populi romani *plebe* (absque patriciis), plebejo magistratu, videlicet Tribuno plebis, rogante in comitiis tributis [4] approbatae. Quae plebiscita simili modo ac *leges,* supra memoratae, designari consueverunt. Quumque ab initio nonnisi *plebem* obstrinxissent, postea universum *populum romanum* obstringere coeperunt, et juris instar obtinuit, „ut, quod tributim plebs jussisset, populum teneret", atque „ut plebiscita omnes Quirites tenerent". Qua ratione plebiscita paulatim tum vi et efficacia, tum etiam nomine legibus exaequata atque verbis: *lex sive plebiscitum* designata sunt [5].

§ 5. Senatusconsulta.

Senatusconsulta (SC.) sunt conclusa Senatus [6], absque interventu et assensu populi comitiorumve facta. Quorum quidem senatusconsultorum vim et efficaciam plebeji pro parte sua ab initio detrectabant; ex quo autem Senatus *plebiscita* acceptaverat, etiam plebeji senatusconsulta eorumque vim obligandi agnoverunt. Designata senatusconsulta sunt sive per nomen Consulis, qui ea rogaverat [7], sive per

---

[1] *Karlowa,* Römische Rechtsgeschichte, tom. I. p. 48. sqq.; p. 388 sqq.

[2] V. g. lex Aquilia; lex Papia Poppaea; lex Hortensia de comitiis tributis; lex Cornelia de sicariis. Cfr. *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. II. p. 527. sqq. sub v. *lex; Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, p. 14. § 21.; p. 25. § 26.

[3] *Mackeldey* l. c. p. 17. sqq.; *Puchta* l. c. tom. I. p. 109. sqq.; *Karlowa* l. c. p. 108. sqq; *Krüger*, Geschichte der Quellen und Literatur des röm. Rechts, p. 8. sqq.

[4] *Karlowa* l. c. p. 403. sq.

[5] *Puchta* l. c. p. 122. sq., p. 166.; *Krüger* l. c. p. 14. sq.

[6] *Karlowa* l. c. p. 355. sqq.; p. 641. sqq.

[7] Qua ratione vocatur *SC. Silanianum,* sub Imperatore *Augusto* (31 a. Chr. u. ad 14 p. Chr.); *SC. Vellejanum,* sub Imperatore *Claudio* (41—54); *SC. Trebellianum,* sub Imperatore *Nerone* (54—68); *SC. Pegasianum,* sub Imperatore *Vespasiano* (69—79).

nomen *Imperatoris,* qui eorum, vel per *epistolam,* ad Senatum directam, vel per *orationem,* in Senatu habitam, causam dederat [1]; interdum etiam per nomen illius personae, ad quam ipsa proxime spectabant [2].

§ 6. Constitutiones Principum.

Constitutiones Principum sunt constitutiones, quas Imperatores romani (Principes), pedetentim summa rerum potiti [3], soli per se, absque interventu populi vel comitiorum, ediderunt. Quae constitutiones sunt partim *edicta,* i. e. constitutiones publice promulgatae; partim *mandata,* i. e. instructiones, ad magistratus super expediendis certis negotiis muneris ipsorum directae; partim *decreta,* i. e. sententiae, ab Imperatore in causis, ad ipsum sive in prima instantia, sive per appellationem deductis, latae; partim *rescripta,* i. e. responsa, ab Imperatore plerumque ad interrogationem alicujus magistratus vel etiam hominis privati, super aliquo juris articulo ei propositam, per litteras data [4].

Quae constitutiones, quum leges proprie ita dictae (supra § 3.) cursu temporis rariores evasissent, immo penitus cessavissent, paulatim vicem ac nomen *legum* obtinuerunt [5].

§ 7. Edicta magistratuum.

Plures magistratus romani, et nominatim quidem *Praetores,* qui juri dicundo (jurisdictioni) praeerant quique duo erant, alter, qui inter cives romanos jus dicebat (Praetor urbanus), alter qui inter peregrinos (Praetor peregrinus), porro *Aediles curules,* quibus cura publicae politiae et inspectio circa res venales cum convenienti jurisdictione commissa erat, nec non *Censores,* quibus censum habendi atque publica opera et vectigalia locandi officium incumbebat [6], dum munus suum obibant, tum, ut homines hoc rescirent seque praemunirent, tum etiam, ut hi magistratus ipsi semet a reprehensione securos redderent, pu-

---

[1] Talia sunt v. g. plura *SCC. Claudiana* et *SC. Neronianum.*

[2] Hujusmodi est nominatim *SC. Macedonianum,* factum propter quendam filium familias, nomine *Macedonem,* qui ut suis creditoribus solvere debita posset, suum patremfamilias occiderat. Cfr. *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, p. 37. § 38.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. II. p. 538. sub v. *Senatusconsultum; Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 22. sqq.

[3] *Mackeldey* l. c. p. 32. sqq.; *Karlowa,* Röm. Rechtsgeschichte, tom. I. p. 491. sqq.

[4] *Mackeldey* l. c. p. 37. § 39.

[5] *Warnkönig,* Institutiones juris romani privati, p. 21. § 68.; *Puchta* l. c. p. 301. sqq.; *Karlowa* l. c. p. 646. sqq.; *Krüger* l. c. p. 92. sqq.; p. 264. sqq., qui ibi etiam formam externam harum constitutionum explicat.

[6] *Heineccius,* Antiquitatum romm., jurisprudent. illustrantt., syntagma. Francofurt. ad Moen. 1771, pars I. p. 46. sqq.; *Mackeldey* l. c. p. 16. § 22., p. 23. sq. § 24. e et p. 27. sqq.; *Karlowa* l. c. p. 218. sqq., p. 229. sqq., p. 249. sqq. et p. 458. sqq.

blice pronuntiare seu *edicere* solebant, qua ratione in certis negotiis sui muneris essent processuri et judicaturi. Id ipsum in provinciis *Proconsules* et *Propraetores* faciebant. Cujusmodi publicae pronuntiationes magistratuum appellabantur *edicta*, et Proconsulum quidem et Propraetorum in specie *edicta provincialia*. Quorum edictorum complexus, quia ipsa videlicet a personis, *honores* (Ehrenstelle, Ehrenamt) gerentibus, proveniebant, *jus honorarium* dicebatur, dum omnes reliquae partes juris romani simul sumptae *jus civile* sensu strictiori vocabantur [1].

Et quod quidem in specie ad *Praetores* attinet, hi jam initio anni, per quem munus suum obire debebant, in *alba* tabula lignea (in *albo*), loco, ubi de plano legi poterat, suspensa [2], edicebant, qua ratione per illum annum functionis suae jus dicturi essent; quod edictum proinde dicebatur *Edictum perpetuae jurisdictionis causa propositum* vel *Edictum perpetuum* [3]. Quo quidem in edicto Praetores pro commissa sibi potestate partim juris civilis lacunas explebant, partim ejus obscuritatem declarabant, partim vero ipsius duritiam et rigorem mitigabant (supplendi, adjuvandi et corrigendi juris civilis gratia edicebant), quemadmodum id rationi temporum populique moribus et opinioni convenire putabant. Neque tamen unusquisque Praetorum peculiare et novum edictum proponebat; sed multi eorum illud, quod a praedecessoribus suis prudenter et salubriter edictum cognoverant, simpliciter acceptaverunt et durante munere suo observabant; cujusmodi edictum *tralaticium* appellatum est [4].

Quod edictum praetorium, cursu temporis a jurisconsultis explanatum et usu comprobatum, jubente Imperatore *Hadriano* (117—138) a *Salvio Juliano*, insigni jurisconsulto et Praetore, emendatum atque in congruum praxi judiciariae ordinem redactum, a. 131 agente eodem Imperatore Hadriano speciali senatusconsulto approbatum et stabile ac immutabile factum ac legis auctoritate munitum est. Quo facto ipsum celeberrimi jurisconsulti commentariis illustrare studueruut, uti nominatim *Salvius Julianus* ipse atque *Domitius Ulpianus*, qui temporibus Imperatoris *Alexandri Severi* (222—235) floruit, aliique multi [5].

§ 8. Auctoritas prudentum.

Sub *prudentibus* heic intelliguntur, qui alias *jurisprudentes* vel *jurisconsulti* dicuntur.

Quum apud Romanos ab initio omnis scientia juris penes solos *patricios*, et in specie penes *collegium Pontificum*, cui cura *sacrorum*

---

[1] *Mackeldey*, Lehrbuch des röm. Rechts, p. 29. § 32.; p. 30. not. cc.
[2] *Krüger*, Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 39.
[3] *Mackeldey* l. c. p. 28. § 31. [4] *Mackeldey* l. c. p. 27. sqq. § 30.—32.
[5] *Mackeldey* l. c. p. 39. § 42.; *Vering*, Geschichte und Pandekten des römischen und heutigen gemeinen Privatrechts, ed. V. Mogunt. 1887, p. 36. sqq.; *Krüger* l. c. p. 84. sqq.

commissa erat [1], fuisset, eadem paulatim etiam ad *plebejos* propagata est, et tum brevi tempore maxima cepit incrementa [2].

Mox enim apud Romanos plurimi iique celeberrimi jurisconsulti exstiterunt, qui, tum responsa interrogantibus sive magistratibus sive privatis dando [3] et causas coram judice agendo, tum etiam jus ore et scriptis docendo et interpretando, magnam vel circa jus constituendum vim et efficaciam consecuti sunt [4]. Per quos quae introductae sunt normae juris, *auctoritas prudentum,* vel *sententiae receptae,* vel etiam *jus civile* sensu strictissimo appellatae sunt [5].

Et quod primum attinet ad illorum *responsa (consulta),* ante tempora Imperatoris *Augusti* (31 a. Chr. — 14 p. Chr.) omnes jurisconsulti aequale jus respondendi habebant, nec eorum responsa ullatenus vim opinionis eruditi privati excedebant. Verum dictus Imperator nonnullis insignibus jurisconsultis potestatem fecit, ex auctoritate ipsius respondendi; quo illorum responsa necessario majorem prae reliquorum jurisconsultorum responsis auctoritatem obtinuerunt. Deinde Imperator *Hadrianus* (117—138) constituit, ut, quum responsa jurisconsultorum, ex Imperatoris auctoritate respondendi potestatem habentium, concordarent, eadem plane vim legis (legis vicem) haberent et a judice omnino servari deberent; quum autem inter se dissentirent, tunc ut judex illam opinionem, quam ipse magis probabilem existimaret, amplecti et sequi posset [6].

Quum autem successu temporis inter judices ignorantia juris invaluisset, ita ut ipsi saepe opinionibus jurisconsultorum recte uti nescirent, quumque huic malo ex parte jam Imperator *Constantinus Magnus* (306—337) duabus constitutionibus, editis a. 321 et 327 [7], providisset, videlicet praecipiendo, „Libros sententiarum“ jurisconsulti *Julii Pauli* in judiciis prolatos omnino valere debere, verum notas ad Papinianum, ab eodem Julio Paulo et a Domitio Ulpiano conscriptas, judicibus sequi non licere [8]: Imperator *Theodosius II.* (408—450), illi malo efficaciorem medelam afferre volens, a. 426 pro Imperio Orientis edidit constitutionem, vi cujus omnia jurisconsultorum *Papiniani, Pauli, Modestini* et *Ulpiani* scripta, — exceptis *Pauli* et *Ulpiani* notis ad

---

[1] *Adam,* Handbuch der röm. Alterthümer, ex anglico in germ. vers. a *Joan. Leonard. Meyer,* ed. III. Erlang. 1818, tom. I. p. 313. not. 1. et p. 518. sqq.; *Karlowa,* Römische Rechtsgeschichte, tom. I. p. 58. sq. et p. 269. sqq.

[2] *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, p. 29. sqq.

[3] Quae responsa sua, quum opus esset, etiam publice et coram judice defendebant; quae defensio dicebatur *disputatio fori.* (*Heineccius,* Antiquitatum romm. jurisprudent. illustrantt. syntagma, p. 63. sqq.)

[4] *Karlowa* l. c. p. 473. sqq.; p. 666. sqq.

[5] *Heineccius* l. c. p. 65. sqq.; *Mackeldey* l. c. p. 29. sq. et p. 30. not. cc.

[6] *Mackeldey* l. c. p. 40. sq. § 43.; *Warnkönig,* Institutiones juris romani privati, p. 20. § 65.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 322. sqq. § 116. sq.

[7] Relatis in l. 1. 2. Cod. Theod. de respons. prudent. I. 4. (Cfr. infra art. 2. § 12.)

[8] *Warnkönig* l. c. p. 21. § 70.; *Mackeldey* l. c. p. 56. § 53. not. a.

Papinianum, jam ab Imperatore Constantino Magno reprobatis, — porro scripta jurisconsulti *Gaji,* itemque scripta jurisconsultorum, ab his quinque allegatorum, auctoritatem legis obtinuerunt, ita quidem, ut opinio, in qua omnes illi vel saltem major eorum pars consentirent, a judice pro lege haberi et servari deberet; in votis paribus autem illa opinio, pro qua staret *Papinianus,* praevaleret; Papiniano autem tacente judex eam opinionem, quam reliquis probabiliorem putaret, sequi posset. Quae constitutio eodem adhuc anno 426 etiam ab Imperatore Occidentis, *Valentiniano III.* (425—455), acceptata et in dicto Imperio promulgata est; quare etiam *Edictum citationis Valentinianum* dici solet [1].

Quod porro ad dictorum jurisconsultorum *munus docendi* spectat, certum omnino est jam testimonio *Ciceronis* [2], dicentis, institutionem in jure apud Romanos semper in honore habitam fuisse et clarissimorum jurisconsultorum domos discipulis floruisse. Et ab initio quidem praefati jurisconsulti discipulos, juris studiosos, ad se solummodo tunc, dum consulentibus responsa seu consulta dabant, ergo ad *audiendum* admittebant; unde ipsi etiam *auditores* dicti sunt. Paulatim autem iis ordinatam institutionem in jure praestare consueverunt [3].

Praeterea iidem jurisconsulti egregia ad jus explicandum et evolvendum opera litteraria exaraverunt. Quae quidem sunt varii generis, videlicet vel breviora juris compendia, quae dicebantur institutiones (libri didactici), enchiridia, regulae, definitiones et similiter, vel vero ampliores libri juris, qui *digesta* (a digero), commentarii ad Edictum, libri responsorum, epistolarum, decretorum vel factorum, *pandectae* (a πᾶς, πᾶσα, πᾶν et δέχομαι, complector), sententiarum libri et similiter

---

[1] *Hugo,* Lehrbuch der Geschichte des röm. Rechts bis auf Justinian, ed. X. Berol. 1826, part. II. p. 943. sqq.; *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, p. 56. § 53; *Puchta,* Cursus der Institutionen, t. II. p. 369. sqq.; *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 263. sq. Quae constitutio ipsa, in l. 3. Cod. Theod. de respons. prudent. I. 4. collocata, verbotenus sonat, ut sequitur: „Impp. Theod. et Valentinianus A. A. ad Senatum urbis Romae.“ ... „Papiniani, Pauli, Gaji, Ulpiani atque Modestini scripta universa firmamus ita, ut Gajum, quae Paulum, Ulpianum et cunctos, comitetur auctoritas, lectionesque ex omni ejus opere recitentur. Eorum quoque scientiam, quorum tractatus atque sententias praedicti omnes suis operibus miscuerunt, ratam esse censemus, ut Scaevolae, Sabini, Juliani atque Marcelli, omniumque, quo illi celebrarunt, si tamen eorum libri, propter antiquitatis incertum, codicum collatione firmentur. Ubi autem diversae sententiae proferuntur, potior numerus vincat auctorum, vel, si numerus aequalis sit, ejus partis praecedat auctoritas, in qua excellentis ingenii vir Papinianus emineat; qui, ut singulos vincit, ita cedit duobus. Notas etiam Pauli atque Ulpiani, in Papiniani Corpus factas (sicut dudum statutum est), praecipimus infirmari. Ubi autem pares eorum sententiae recitantur, quorum par censetur auctoritas, quod sequi debeat, eligat moderatio judicantis. Pauli quoque sententias semper valere praecipimus etc. Dat. VIII. Id. Novemb. (i. e. 6. Nov.) Ravennae. DD. NN. Theodosio XII. et Valentiniano II. AA. Coss. (i. e. a. 426.).

[2] Apud *Krüger* l. c. p. 51. not. 28.

[3] *Karlowa,* Röm. Rechtsgeschichte, tom. I. p. 488. sqq.; *Krüger* l. c. p. 50. sq.; *Fitting,* Die Anfänge der Rechtsschule zu Bologna. Berol. et Lips. 1888, p. 33. sqq.

appellabantur. Leges quoque singulares, vel singularia senatusconsulta, item singularia Edicti perpetui capita praefati jurisconsulti commentariis illustrabant, et saepe etiam ad anteriorum insignium jurisconsultorum libros notas et commentarios scribebant [1].

Qua jurisconsultorum romanorum opera jurisprudentia apud Romanos ad sublimem, qualem vix apud alium aliquem populum assecuta est, perfectionis gradum elevata est; id quod maxime temporibus Imperatoris *Alexandri Severi* (222—235) factum esse dignoscitur [2].

Praecipui inter praedictos jurisconsultos, qui inde ab a. 100 a. Chr. usque ad a. 250 p. Chr. floruerunt, erant nominatim *Q. Mucius Scaevola, Aquilius Gallus, Servius Sulpicius Rufus, Alfenus Varus, Ofilius, Trebatius Testa, Cascellius, Tubero, Aelius Gallus, Granius Flaccus, Antistius Labeo, Atejus Capito, Nerva, Massurius Sabinus,* cujus sequaces *Sabiniani* dicti sunt, porro *Proculus,* quem qui sequebantur, *Proculiani* appellati sunt; *Cajus Cassius Longinus,* a quo *Cassiani* proveniunt; *Pegasus, Coelius Sabinus, Juventius Celsus, Javolenus Priscus, Neratius Priscus, Aburnus Valens, Salvius Julianus, Taruntenus Paternus, Mauricianus, Papirius Justus, Terentius Clemens, Volusius Maecianus, Aemilius Macer, Callistratus, Tryphoninus, Ulpius Marcellus, Sextus Caecilius Africanus, Aelius Marcianus, Pomponius, Cervidius Scaevola, Tertullianus, Rutilius Maximus, Licinius Rufinus,* duo tresve *Saturnini, Arrius Menander, Furius Anthianus, Florentinus Gajus, Aemilius Papinianus, Domitius Ulpianus, Julius Paulus* et *Modestinus* [3].

Qui jurisconsulti in suis sententiis saepe in diversas partes abibant; qua ratione diversae illorum sectae seu scholae, sibi invicem adversae, exstiterunt, uti nominatim *Sabinianorum* et *Proculianorum,* quorum priores in specie statum rei romanae monarchicum, ab *Augusto* introductum, probabant, posteriores statui liberae rei publicae romanae, qualis fuerat ante Augustum, favebant [4].

§ 9. Jus consuetudinarium.

Jus consuetudinarium, quod quidem generatim tempore juri scripto antecedit, quatenus huc pertinet, constabat apud Romanos *moribus*

---

[1] De quibus operibus litterariis vide *Warnkönig,* Institutiones juris romani privati, p. 18. § 58.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 173. sqq.; *Vering,* Geschichte und Pandekten des römischen und heutigen gemeinen Privatrechts p. 55. sqq.; *Karlowa,* Römische Rechtsgeschichte, p. 677. sqq.; p. 707. sqq.; *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 126. sqq.

[2] *Karlowa* l. c. p. 754. sqq.

[3] Multi eorum e *Pomponii* supra memorati Enchiridio adducuntur in Digestis seu Pandectis *Justiniani* Imperatoris (l. 2. § 35. sqq. de origine juris. I. 2.; cfr. infra art. 3. § 15.). In reliquum de iis eorumque operibus litterariis vide *Mackeldey,* Lehrbuch des römischen Rechts, tom. I. p. 42. sqq.; *Puchta* l. c. 244. sqq.; *Karlowa* l. c. p. 473. sqq.; p. 657. sqq.; *Vering* l. c. p. 55. sqq.; *Krüger* l. c. p. 141. sqq.

[4] De quibus cfr. *Puchta* l. c. tom. I. p. 255. sqq.; *Vering* l. c. p. 58. sqq.

majorum, ad posteros propagatis, porro *usu*, diuturna observatione populi comprobato, atque *rebus judicatis*, i. e. concordantibus judicum sententiis, quibus constanter causae decisae sunt, seu, uti dici consuevit, *auctoritate rerum perpetuo similiter judicatarum* vel *usu fori*[1].

§ 10. Divisio juris civilis romani.

Quod jus, in quantum ad rem nostram attinet, distinguendum est in illud, quod in ditione romana usque ad Imperatorem *Justinianum I.* (527—565) viguit, et illud, quod ibi inde a temporibus hujus Imperatoris in vigore fuit. Prius dici solet jus civile romanum *Antejustinianeum (Antejustinianum)*, alterum jus civile romanum *Justinianeum (Justinianum)*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Jus civile romanum Antejustinianeum ejusque collectiones.

§ 11. Codices Gregorianus et Hermogenianus[2].

Quum jam temporibus Imperatoris *Marci Aurelii* (161—180) vel *Commodi* (180—192) jurisconsultus *Papirius Justus* constitutiones imperatorias in collectionem redigere coepisset, non tamen pleno verborum tenore, sed in compendium redactas, et quidem in suo opere *de constitutionibus* inscripto et in libros viginti diviso, quod tamen, praeter pauca fragmenta, in *Digestis* Justiniani[3] inserta, penitus interiit[4], saec. IV., et ex parte forte jam versus finem saec. III., duo alii jurisconsulti romani, nomine *Gregorianus* et *Hermogenianus*[5], dictas constitutiones imperatorias, et quidem in pleno ipsarum tenore verborum, in unum colligendas susceperunt.

Et *Gregorianus* quidem id certe adhuc sub Imperatore *Diocletiano* (284—305) fecit[6], *Hermogenianus* autem paulo serius, et quidem certe intra a. 314 et 324[7].

---

[1] Cfr. *Mackeldey*, Lehrbuch des röm. Rechts, tom. I. p. 26. § 26.; *Puchta*, Cursus der Institut., tom. I. p. 22. sq. § 16.; *Idem*, Das Gewohnheitsrecht. Erlang. 1828 sqq.; *Ihering*, Geist des röm. Rechts, ed. IV. Lips. 1878 sqq., tom. II. part. 1. p. 28. sqq.; *Karlowa*, Römische Rechtsgeschichte, tom I. p. 448. sqq.; *Vering*, Geschichte und Pandekten des röm. und heutigen gemeinen Privatrechts, p. 26. et p. 43. sqq.

[2] *Hugo*, Lehrbuch der Geschichte des röm. Rechts bis auf Justinian, part. II. p. 939. sqq.; *Puchta* l. c. p. 373. sqq.; *Karlowa* l. c. p. 941. sqq.; p. 959. sqq. *Krüger*, Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 277. sqq.

[3] Cfr. infra art. 3. § 15. [4] *Krüger* l. c. p. 193.

[5] Non *Gregorius* et *Hermogenes*. De quo cfr. *Mackeldey* l. c. p. 57. § 54. not. a, et *Puchta* l. c. p. 374.; porro *Krüger* l. c. p. 278.

[6] Id elucet ex additamento: *domini nostri*, inscriptioni cujusdam constitutionis Imperatoris *Diocletiani* ex a. 290 apposito. Cfr. *Krüger* l. c. p. 279.

[7] *Krüger* l. c. p. 281. sq.

Quae collectiones, ab illis viris adornatae, *Codex Gregorianus* (quandoque etiam *Corpus Gregoriani*) atque *Codex Hermogenianus* appellantur [1].

Et Codex quidem *Gregorianus* divisus erat in *libros,* subdivisos in *titulos,* in quorum singulis singulae constitutiones imperatoriae, ad eos pertinentes, et quidem ordine chronologico, positae erant.

Codex *Hermogenianus* non in libros, sed tantum in *titulos* dispertitus erat, et solummodo Codicis Gregoriani continuatio et complementum fuit.

Ambo illi Codices in *Oriente* orti fuisse videntur, eo quod maxime constitutiones imperatorias, in Oriente editas, continebant.

Characterem Codices illi tantummodo privatum habebant.

Amborum Codicum illorum nunc tantummodo exigua fragmenta, in aliis collectionibus juris adducta, supersunt [2].

§ 12. Codex Theodosianus [3].

Imperator Orientis *Theodosius II.* (408—450), quum jam a. 429 omnes constitutiones imperatorias, inde a *Constantino Magno* (307 u. ad 337) usque ad ipsum nec non ab ipso editas, ad instar Codicum Gregoriani et Hermogeniani in unum colligi, atque hanc collectionem deinde pro communi usu in compendium redigi et huic compendio opportuna excerpta e scriptis juristicis jurisconsultorum romanorum adnecti jussisset [4], attamen frustra: hinc anno 435 denuo collegium sedecim jurisconsultorum, praeside *Antiocho* exconsule, constituit, eique mandavit, ut constitutiones imperatorias, inde a *Constantino Magno* usque tunc editas, una cum suis ipsius constitutionibus in unum colligeret, ita tamen, ut in textu earum, in quantum necessarium videretur, opportunas mutationes, addendo, abbreviando vel declarando, faceret [5].

Quam collectionem, a. 438 absolutam, Imperator Theodosius approbavit et die 15. Febr. ejusdem a. 438 in Imperio Orientis publicavit, statuens, ut ipsa vim obligandi die 1. Jan. 439 sortiretur. Simul autem eam eodem a. 438 ad Imperatorem Occidentis *Valentinianum III.* (425—455), generum suum, transmisit, qui illam et ipse acceptavit et eodem adhuc anno etiam in Imperio Occidentis publicavit [6].

---

[1] Cfr. supra p. 242. not. 5.

[2] Cfr. *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 284. Quae fragmenta seorsum typis edidit jurisconsultus *Gustavus Haenel* Bonnae a. 1837, sub titulo: „Codicis Gregoriani et Codicis Hermogeniani fragmenta." Quod opus refertur etiam in tomo II. Corporis juris Antejustiniani, quod editum est Bonnae 1841 sqq.

[3] *Hugo,* Lehrbuch der Geschichte des röm. Rechts bis auf Justinian, part. II. p. 949. sqq.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 378. sqq.; *Karlowa,* Römische Rechtsgeschichte, tom. I. p. 943. sqq. et p. 960. sqq.; *Krüger* l. c. p. 285. sqq.

[4] Cfr. l. 5. Cod. Theod. de constitt. principp. I. 1.

[5] Cfr. l. 6. Cod. Theod. eod.

[6] Cfr. *Krüger* l. c. p. 290.

Quae collectio juris romani proinde publica seu authentica fuit. Dicitur *Codex Theodosianus*.

Dividitur in sedecim *libros*, quorum quinque priores continent constitutiones imperatorias, ad *jus privatum* pertinentes, libri reliqui usque ad lib. XV. incl. eas, quae ad *jus publicum* spectant, et lib. XVI. illas, quae ad personas et res ecclesiasticas pertinent.

Singuli libri subdividuntur in *titulos*, peculiaribus *rubricis* instructos, in quibus singulae constitutiones imperatoriae ordine chronologico, utique autem haud raro mutatae, et praesertim abbreviatae, positae sunt.

Citari Codex ille hoc modo solet. V. g.:

L. (lex) un. Cod. Theod. [1] de respons. prudentum.

C. (constitutio) 1. Cod. Theod. Ne sacrum baptisma iteretur.

Numeri *libri* et *tituli*, in quibus locus citatus occurrit, quaerendi sunt in indice rubricarum titulorum alphabetico, qui huic Codici additus est. Quaeritur autem in hoc indice eadem ratione, uti hoc respectu supra (p. 100. sqq.) de collectionibus decretalium diximus. Qua ratione pro priori citato invenitur lib. I. tit. 4., pro altero lib. XVI. tit. 6.

Recentiori tempore autem numeri *libri* et *tituli* jam ipsi citato apponi solent.

Inter editiones Codicis Theodosiani prae ceteris memoranda est illa, quae cum praeclaro commentario jurisconsulti *Jacobi Gothofredi*, patria Genevensis († 1652) [2], cura jurisconsulti Galli, nomine *Antonii Marville* [3], prodiit *Lugduni* 1665, et iterum, cura *Joan. Danielis Ritter*, Lipsiae 1736 sqq., 6 voll. in fol., sub titulo: „Codex Theodosianus cum perpetuo [4] commentario Jacobi Gothofredi." Porro illa editio hujus Codicis (sine commentario), quae cura praefati jurisconsulti *Gustavi Haenel* prodiit Bonnae 1837—1842, sub titulo: „Codex Theodosianus. Instruxit *Gustavus Haenel*." [5]

§ 13. Novellae constitutiones Theodosianae et Posttheodosianae [6].

Etiam post publicatum a. 438 Codicem Imperator *Theodosius II.* plures constitutiones edidit. Idem fecerunt ejus successores in Oriente, tum etiam Imperatores Occidentis. Quae constitutiones dictae sunt *Novellae* (i. e. constitutiones posteriores). Quas, et nominatim quidem Imperatoris *Theodosii II.*, *Valentiniani III.*, *Maximi* (455), *Majoriani* (457 u. ad 461), *Libii Severi* (461—465) et *Anthemii* (467—472), cum aliis octo-

---

[1] Quae vox: *Theod.* addi debet, quatenus Codex ille a Codice Imperatoris Justiniani distinguatur.

[2] *Jöcher*, Allgem. Gelehrten-Lexikon, tom. II. col. 1091.; *Hugo*, Lehrbuch der Geschichte des römischen Rechts seit Justinian, ed. III. Berol. 1830, p. 355. sqq.

[3] *Jöcher* l. c. tom. III. col. 149.; *Hugo* l. c. p. 357. not. 3.

[4] I. e. continente seu continuo, *germ.:* mit fortlaufendem.

[5] In Corpore juris romani Antejustiniani, ed. Bonnae 1841 sqq., refertur tomo II.

[6] *Karlowa*, Römische Rechtsgeschichte, p. 964. sqq.; *Krüger*, Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 291. sqq.

decim constitutionibus imperatoriis, maxime ad personas et res ecclesiasticas spectantibus, a *Jacobo Sirmondo* (S. J. natione Gallo, † 1651) primum evulgatis [1], edidit jam memoratus *Gustavus Haenel,* sub titulo: „Novellae constitutiones Imperatorum Theodosii II., Valentiniani III., Maximi, Majoriani, Severi, Anthemii, XVIII constitutiones, quas Jacobus Sirmondus divulgavit", Bonnae 1844 [2].

ARTICULUS TERTIUS.

Jus civile romanum Justinianeum ejusque collectiones.

§ 14. Codex Imperatoris Justiniani vetus [3].

Tum Imperator *Justinianus I.* (527—565), origine Illyricus, ab avunculo suo *Justino I.* (518—527) Augustus creatus, quum anno 527 solus imperare coepisset, juris romani emendandi et perficiendi curam suscepit.

Et is quidem primum consilium cepit, e magna illa constitutionum imperatoriarum, quae Codicibus Gregoriano, Hermogeniano et Theodosiano continebantur, copia, et ex Novellis constitutionibus, quae inde a *Theodosio II.* usque ad sua tempora emissae erant, illas, quae adhuc usui forent, seligendi, eas, in quantum opus esset, congruis mutationibus, abbreviationibus, additionibus vel etiam plurium in unam conjunctionibus, indigentiis aevi illius accommodandi atque in collectionem redigendi. Ad quem finem consequendum per const.: *Haec, quae,* d. d. 13. Febr. 528, constituit collegium decem virorum jurisconsultorum, inter quos eminebant *Joannes,* Sacri Palatii exquaestor [4], hujus collegii praefectus, *Tribonianus,* magister inter agentes [5], atque *Theophilus,* in schola Constantinopolitana professor juris seu antecessor [6].

Quam collectionem, a. 529 absolutam, et divisam in duodecim *libros,* subdivisos in *titulos,* in quibus singulae constitutiones imperatoriae positae erant, Imperator *Justinianus* approbavit et const.: *Summa reipublicae,* d. d. 7. Aprilis ejusdem anni 529, publicavit, ita ut ipsa inde a die 16. ejusdem mensis et anni vim obligandi haberet atque

---

[1] Et quidem Parisiis 1631, sub titulo: „Appendix Codicis Theodosiani novis constitutionibus cumulatior." Unde constitutiones illae communiter *Constitutiones Sirmondi* appellantur. Cfr. de iis *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 293. sqq.; *Maassen,* Geschichte der Quellen und der Literatur des canon. Rechts, p. 792. sqq.

[2] Corporis juris romani Antejustiniani, ed. Bonnae 1841—1844, t. II. p. 405.—480.

[3] *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 387. sqq.; *Karlowa,* Römische Rechtsgeschichte, p. 1003. sqq.; *Krüger* l. c. p. 322. sqq.

[4] I. e. qui olim quaestor Sacri Palatii seu Cancellarius Imperii fuerat. De quo officiali imperiali vide *Karlowa* l. c. p. 833. sq.; porro *Krüger* l. c. p. 275. sq.

[5] I. e. praefectus officialium, quibus cura rei tributariae Imperii incumbebat. Obiit is a. 546. Cfr. de eo *Puchta* l. c. p. 388.

[6] Vide cit. const.: *Haec, quae* in prooemio Codicis Justinianei novi (de quo infra § 17.) sub inscriptione: *De novo Codice faciendo.*

simul in locum Codicum anteriorum, nominatim Gregoriani, Hermogeniani et Theodosiani, qui omnes praefata constitutione abrogati sunt, succederet [1].

Dicitur collectio illa *Codex Justiniani* vel *Codex Justinianeus* [2], et quidem ratione alius Codicis, ab eodem Imperatore Justiniano serius publicati, Codex Justiniani *vetus*.

Qui tamen Codex ad nos non pervenit; temporis injuria penitus interiit.

§ 15. Digesta seu Pandectae Imperatoris Justiniani [3].

Publicato die 7. Aprilis 529 Codice supra memorato, Imperator Justinianus Triboniano, interea ad dignitatem quaestoris Sacri Palatii evecto, const.: *Deo auctore,* d. d. 15. Dec. 530 [4], mandavit, ut adjunctis sibi sedecim aliis viris jurisconsultis, quos ad hoc idoneos reputaret, e scriptis juristicis anteriorum jurisconsultorum romanorum ea, quae adhuc usui forent, excerperet eademque excerpta seu fragmenta secundum materiam, eis comprehensam, certo ordine, habita praesertim praxis judiciariae, et in specie *Edicti perpetui* ratione, disponeret seu digereret. In quo negotio prosequendo Imperator Justinianus viros illos ab observatione supra (§ 8.) memorati edicti citationis, ab Imperatoribus Theodosio II. et Valentiniano III. conditi, omnino exemit eosque tantummodo indigentiarum aevi sui rationem habere jussit, simulque eis mandavit, ut illa excerpta seu fragmenta, sicubi haec sive secum invicem sive cum indigentiis et relationibus aevi illius pugnare viderentur, opportunis mutationibus, detractionibus vel additionibus hoc respectu in concordiam revocarent [5]. Quae mutationes, et nominatim additiones, a praefatis viris sub auspiciis *Triboniani* in textu illorum excerptorum seu fragmentorum factae, communiter appellantur *emblemata Triboniani* [6].

Ne autem nomina illorum jurisconsultorum postea in oblivionem abirent, jussit Imperator *Justinianus* compilatores hujus operis singulis fragmentis seu excerptis, non obstantibus mutationibus, quas in eis fecissent, respectivi jurisconsulti, e cujus opere illa hausta sunt, *nomen* et ipsius operis *titulum* praefigere [7].

---

[1] Cfr. cit. const.: *Summa reipublicae* in prooemio Codicis Justinianei (novi) sub inscriptione: *De Justinianeo Codice confirmando.*

[2] Cfr. Imperatoris *Justiniani* const.: *Cordi nobis,* d. d. 16. Nov. 534, § 5.

[3] *Puchta,* Cursus der Institut., t. I. p. 392. sqq.; *Karlowa,* Röm. Rechtsgeschichte, p. 1006. sqq.; *Krüger,* Geschichte der Quellen u. Litteratur des röm. Rechts, p. 323. sqq.

[4] Quae constitutio refertur in Imperatoris Justiniani Codice (novo), l. 1. de veteri jure enucleando. I. 17.; quandoque etiam in prooemio Digestorum, sub rubrica: *De conceptione Digestorum.*

[5] Cfr. cit. const.: *Deo auctore* §§ 3.—12.

[6] Ἔμβλημα ab ἐμβάλλω = injicio, insero.

[7] De quo idem Imperator in const.: *Tanta,* d. d. 16. Dec. 533, qua hoc opus confirmavit, § 10. ait, ut sequitur: „Tanta autem a nobis antiquitati habita

Postquam Tribonianus vi accepti ab Imperatore Justiniano mandati socios hujus laboris sibi selegerat [1], cum eis absque mora opus exsequendum suscepit. Quumque in eo exsequendo circa opiniones antiquorum jurisconsultorum in gravem difficultatem venisset, quam ipse solvere non valebat, rem ad Justinianum Imperatorem detulit, qui eam speciali decisione emissa definivit. Cujusmodi decisiones Justinianus, recte dum hoc opus adornabatur, sedecim emisit, quum jam prius, quam idem opus adornari coeptum est, triginta quattuor tales decisiones pro solutione dubiorum circa opiniones antiquorum jurisconsultorum romanorum edidisset.

Opus, a praefatis viris circiter spatio trium annorum absolutum, Imperator Justinianus approbavit, et const.: *Tanta,* et *alia:* Δέδωκεν *(Dedit),* utraque d. d. 16. Dec. 533, tanquam collectionem juris legalem seu authenticam publicavit, statuens, ut opus hoc inde a die 30. Dec. ejusdem a. 533 vim obligandi obtineret, simulque interdicens, ne ex tunc amplius illorum operum juristicorum, e quibus opus hoc collectum est, in foro juris usus fieret. Porro Justinianus citatis constitutionibus (§ 22.) [2] vetuit, idem opus vocum compendiis seu siglis scribi. Item, ne ex diversitate opinionum diversorum interpretum denuo juris confusio oriretur, praefatis constitutionibus (§ 21.) severe prohibuit, quominus quis jurisconsultorum privatorum super hoc opere ullos commentarios evulgare auderet, et tantummodo id eis permisit, ut ipsum verbotenus (κατὰ πόδα) in graecum verterent et locos parallelos ac summaria titulorum (παράτιτλα) ei adjungerent; interpretationem ejusdem operis, si qua opus foret, sibi soli reservavit.

Dicitur hoc opus *Digesta,* quo nomine jam antiquorum jurisconsultorum romanorum opera juristica ampliora, in partes distributa, appellari consueverunt; item *Pandectae* (Πανδέκται), e graeco πᾶν (πᾶς, πᾶσα, πᾶν) et δέχομαι (complector, comprehendo), quia e scriptis juri-

---

est reverentia, ut nomina Prudentium (i. e. jurisconsultorum) taciturnitati tradere nullo patiamur modo: sed unusquisque eorum, qui auctor Legis fuit, nostris Digestis inscriptus est; hoc tantummodo a nobis effecto, ut, si quid in legibus eorum vel supervacuum vel imperfectum vel minus idoneum visum est, vel adjectionem vel deminutionem necessariam accipiat, et rectissimis tradatur regulis, et in multis similibus vel contrariis, quod rectius habere apparebat, hoc pro aliis omnibus positum est, unaque omnibus auctoritate indulta; ut, quidquid ibi scriptum est, hoc nostrum appareat, et ex nostra voluntate compositum." . . . „Nominibus etenim veteribus relictis, quidquid Legum veritati decorum et necessarium fuerat, hoc nostris emendationibus servavimus." Cfr. huc probra, quae ob talem procedendi rationem, in adornatione collectionis decretalium Papae Gregorii IX. servatam, in *Raymundum de Pennaforte* jactare nou erubuit *Schulte,* uti meminimus supra p. 138.

[1] Eorum nomina referuntur in Justiniani cit. const.: *Tanta* § 9., nec non in alia ejusdem const.: Δέδωκεν *(Dedit),* de eodem dato, item § 9.; quae constitutiones in prooemio Corporis juris civilis, sub titulo: *Historia juris a Justiniano compositi* adduci solent.

[2] Cfr. ejusdem const.: *Omnem reipublicae,* d. d. 16. Dec. 533, § 8., quae pariter referri solet in praefato prooemio Corporis juris civilis.

sticis anteriorum jurisconsultorum romanorum omnia illa, quae adhuc usui fore viderentur, comprehendere censebatur [1].

Designari opus illud solet lit. *D. (Digesta),* vel lit. *P. (Pandectae),* vel lit. Π. (Πανδέκται), vel etiam litteris *ff.;* quam ultimam opus hoc designandi rationem per errorem librariorum e lit. *Ð.,* quae justo plus in longitudinem protracta et ceu *abbreviatio* vocis: *Digesta* per medium linea horizontali trajecta fuerit, ortam esse putant [2].

In Corpore juris civilis romani Digesta posita sunt loco secundo, primum locum tenentibus Justiniani *Institutionibus* [3].

Divisa sunt Digesta in 50 *libros;* singuli libri, exceptis XXX., XXXI. et XXXII., subdivisi sunt in *titulos,* peculiaribus *rubricis* insignitos, v. g. *de adoptionibus,* in quorum singulis *fragmenta,* ad materiam respectivi tituli spectantia, collocata sunt [4]. Quae fragmenta, quia in collectione juris publica, seu legali inserta sunt, etiam *leges* dici et scribi solent.

Praemittitur singulis fragmentis nomen *auctoris* ac titulus *operis* et numerus *libri* hujus operis, e quo illud fragmentum excerptum est.

Porro singula fragmenta, si sunt aliquantum longiora, distincta sunt in *paragraphos* (§§). Illa fragmenti particula, quae praecedit paragraphum *primam,* fragmenti *principium* dicitur et litteris: *pr.* designatur.

Citari Digesta *olim* consueverunt hoc modo: D. [5] de statu hom. l. Libertas. § Servi. — ff. Mandati vel contra. l. Obligatio mandati. pr.

Numeri *libri* et *tituli,* in quibus locus citatus occurrit, quaerendi sunt in alphabetico indice rubricarum titulorum, sive *particulari,* solis Digestis proprio eisdemque in peculiaribus foliis inserto, sive *communi,* pro omnibus partibus Corporis juris civilis romani adornato, qui quidem a fronte dicti Corporis juris positus esse solet. Quaeritur autem in praefato indice eadem ratione, uti hoc respectu de collectionibus decretalium supra (p. 100. sqq.) diximus [6]. In indice titulorum communi determinationes, ad *Digesta* spectantes, signantur lit. D. Qua ratione prior locorum supra citatorum dignoscitur referri in lib. I. tit. 5., alter in lib. XVII. tit. 1.

---

[1] *Hugo,* Lehrbuch der Geschichte des röm. Rechts bis auf Justinian, part. II. p. 766. sqq.; *Krüger,* Geschichte der Quellen u. Litteratur des röm. Rechts, p. 324. sq.

[2] *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, tom. I. p. 71. not. c.

[3] De quibus infra § 16.

[4] Quo *ordine* ibi dicta fragmenta posita sint, de eo vide *Krüger* l. c. p. 335. sqq.

[5] Loco lit. D. ponebantur etiam lit. *P.* vel Π, praesertim autem litt. *ff.*

[6] Porro in indice rubricarum titulorum *communi,* nonnullis editionibus Corporis juris civilis romani, et nominatim illis, quas eruditi *Dionysius* et *Jacobus Gothofredus* curaverunt, apposito, secundum *quamlibet* vocem rubricae, aliquatenus *notabilem,* quaeri potest. V. g. ratione citati: „l. 1. D. de adoptionibus et emancipationibus et aliis modis, quibus potestas solvitur", quaeri in hujusmodi indice potest secundum voc.: *adoptionibus,* vel *emancipationibus,* vel *potestas,* vel *solvitur.*

Nunc Digesta hoc modo citari solent. V. g. prior locorum supra adductorum ita: l. Libertas. § Servi. D. de stat. hom.; et plerumque ita: l. 4. § 2. D. de stat. hom. I. 5.

Immo quandoque solis fere numeris citantur, ita: l. 4. § 2. D. I. 5.; vel plane ita: D. I. 5. 4. § 2.

Porro hic notandum est, nonnullos jurisconsultos in citandis Digestis loco vocis l. (lex) adhibere litt. fr. (fragmentum); ita: fr. 4. pr. D. de stat. hom. I. 4.

De cetero autem, ope alphabetici indicis *legum* seu *fragmentorum,* Digestis adnexi, in eisdem Digestis etiam fragmentum, solis suis vocibus initialibus, sine ulla alia determinatione citatum, inveniri potest. In illo indice enim juxta initiales voces singulorum fragmentorum *rubrica tituli,* quandoque etiam tituli ac libri, ubi illud fragmentum positum est, immo vel ipsius fragmenti, *numeri* indicantur.

Digestorum libri XXX., XXXI. et XXXII. insimul complectuntur continuum tractatum de *legatis et fideicommissis* [1], ita ut Dig. lib. XXX. sit de legat. et fideicomm. lib. I.; porro Dig. lib. XXXI. — de legat. et fideicomm. lib. II., et Dig. lib. XXXII. — de legat. et fideicomm. lib. III.

Singuli horum librorum non subdividuntur, uti reliqui, in titulos, sed tantummodo in leges seu fragmenta.

Citantur autem ita, ut vel *liber Digestorum,* vel ipsius *tractatus liber,* ceu in Digestis positus, indicetur. V. g.: l. 2. D. de legat. et fideicomm. I., *vel* l. 2. de legat. et fideicomm. D. XXX. — L. 5. pr. D. de legat. et fideicomm. II., *vel* l. 5. pr. de legat. et fideicomm. D. XXXI. — L. 62. D. de legat. et fideicomm. III., *vel* l. 62. de legat. et fideicomm. D. XXXII.

Insuper autem hic memorandae sunt aliae duae Digestorum partitiones, quarum altera ab ipso Imperatore *Justiniano* provenit, altera a glossatoribus juris romani medii aevi introducta est.

Et Imperator *Justinianus* quidem, habita ratione tum septem principalium partium *Edicti perpetui,* cujus ordinem compilatores Digestorum maxime prae oculis habuerunt, tum etiam ordinis studiorum, ab ipso pro scholis juristicis praescripti [2], Digesta in *septem partes (tractatus)* distinxit [3], quarum

I., dicta πρῶτα, complectitur Dig. lib. I.—IV. incl.;

II., *de judiciis* [4], lib. V.—XI.;

---

[1] *Legata* et *fideicommissa* quid sint, vide apud *Warnkönig,* Institutiones juris romani privati, p. 187. sqq.; apud *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, tom. II. p. 456. sqq. et p. 474. sqq.; apud *Vering,* Geschichte und Pandekten des römischen und heutigen gemeinen Privatrechts, p. 834. sqq.

[2] Cit. const.: *Omnem reipublicae,* d. d. 16. Dec. 533. Cfr. *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 397. sq.

[3] Citt. constt.: *Tanta* et Δέδωκεν *(Dedit)* § 1. sqq.

[4] Secundum rubricam lib. V. tit. 1., quae est: *de judiciis.* In qua inscriptione hujus partis Digestorum editio Corporis juris civilis romani, quae prodiit Antverp.

III., *de rebus* (sc. *creditis,* i. e. de mutuo)[1], lib. XII.—XIX.;

IV., dici solita *umbilicus Pandectarum* (τὸ μέσον τοῦ παντός), lib. XX.—XXVII.;

V., *de testamentis*[2], lib. XXVIII.—XXXVI.;

VI. lib. XXXVII.—XLIV., et

VII. lib. XLV.—L., cujus partis liber XLVII., agens de delictis privatis, et liber XLVIII., de delictis publicis praecipiens, apud antiquos jurisconsultos *libri terribiles* dici solent.

Glossatores autem juris romani Bononiae saec. XII. Digesta in *tres partes* distinxerunt, quarum

I. excurrit inde ab initio Digestorum usque ad lib. XXIV. tit. 2. incl., et dicta est *Digestum vetus.*

Pars II. pertingit inde a lib. XXIV. tit. 3. usque ad finem lib. XXXVIII., et dicitur *Infortiatum* (sc. *Digestum*). Et primum quidem pars illa extendebatur inde a lib. XXIV. tit. 3. tantummodo usque ad lib. XXXV. tit. 2. legis 82. verba: *in quattuor partes dividantur* incl. Postea autem ei additum est id, quod in dicta l. 82. post illa verba: *in quattuor partes dividantur,* proxime sequitur, nimirum: *Tres partes ferant legatarii* etc. usque ad finem lib. XXXVIII. incl.[3] Quae ampliatio praefatae partis Digestorum secundae in causa fuit, ut illa pars, ita ampliata, nimirum quatenus inde a lib. XXIV. tit. 3. usque ad finem lib. XXXVIII. pertingit, dicta sit *Infortiatum,* i. e. ampliatum seu auctum (subaudi: *Digestum*).

Tandem Digestorum

pars III. complectitur reliquum Digestorum, videlicet inde a lib. XXXIX. usque ad lib. L., et appellatur *Digestum novum*[4].

Quae divisio Digestorum ideo notari debet, quia in editionibus Digestorum *glossatis* observata est.

§ 16. Institutiones Imperatoris Justiniani[5].

Quum Digesta tum propter suam amplitudinem, tum propter suam dispositionem, potissimum forensi praxi accommodatam, studiosis

---

a. 1664 ex officina Elzevirorum, in 8⁰, habet insignem errorem typi, nimirum: Pars secund*us*.

[1] Habita ratione lib. XII. tit. 1., inscripti: *De rebus creditis.*

[2] Secundum lib. XXVIII. tit. 1. rubricam: „Qui testamenta facere possunt, et quemadmodum testamenta fiunt."

[3] Quae sectio, inde a citatis vocibus: *Tres partes ferant legatarii* etc. usque ad finem lib. XXXVIII. pertingens, apud antiquos jurisconsultos *tres partes minores* vel *tres partes* sensu strictiori dici solet. Cfr. *Mackeldey*, Lehrbuch des röm. Rechts, tom. I. p. 106. § 100.

[4] Quae fuerit hujus divisionis et denominationis Digestorum causa, vide *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 422. sqq., praesertim p. 430. sq.; *Krüger,* Geschichte der Quellen u. Litteratur des röm. Rechts, p. 382. sq.

[5] *Mackeldey* l. c. p. 72. sqq.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 396. sq.; *Karlowa,* Römische Rechtsgeschichte, tom. I. p. 1014. sqq.; *Krüger* l. c. p. 340. sq.

juris ad discendum ex eis jus romanum minus aptae fore viderentur [1], hinc Imperator Justinianus jam tunc, quum eadem Digesta adornarentur, Triboniano mandavit, ut adscitis sibi duobus antecessoribus (professoribus juris), videlicet *Theophilo* Constantinopolitano et *Dorotheo* Berytensi (in Phoenicia), librum didacticum (Institutiones) juris romani componeret, ita comparatum, ut simul etiam vim collectionis juris publicae seu legalis obtinere posset.

Quod opus a praefatis viris, ad instar similis operis, a *Gajo,* jurisconsulto romano saec. II. post Chr. [2], exarati et intitulati: „Institutionum commentarii [3] quattuor", adhibitis simul ejusdem *Gaji* opere: *Res quotidianae (cottidianae)* seu *Aurea* [4], et verosimiliter etiam Institutionibus *Florentini, Marciani,* et *Ulpiani,* nec non hujus *(Ulpiani)* „Libris VII. regularum" [5] adornatum, Imperator *Justinianus* approbavit et const.: *Imperatoriam,* d. d. 21. Nov. 533 [6], publicavit, statuens, ut ipsum die 30. Dec. ejusdem anni 533 simul cum Digestis vim obligandi sortiretur.

Qua ratione etiam opus hoc, uti Digesta, collectio juris publica seu authentica fuit.

Dicitur opus illud *Institutiones Justiniani* vel simpliciter *Institutiones.* In Corpore juris civilis, ut jam supra meminimus, positum est loco primo.

Divisae sunt istae Institutiones, ad instar praedictarum Institutionum Gaii, in quattuor *libros,* quorum primus agit de *personis,* tanquam subjecto juris, secundus et tertius de *rebus,* tanquam objecto juris, et quartus de *actionibus,* tanquam medio ad jus persequendum.

Singuli horum librorum subdividuntur in *titulos,* peculiaribus rubricis instructos, qui porro, paucis, utpote perquam brevibus, exceptis (cfr. lib. I. titt. 17.—19.), subdividuntur in principium (pr.) et paragraphos (§§), uti supra de fragmentis seu legibus Digestorum monuimus.

Citari Institutiones *olim* solebant hoc modo: § Nuptiae. I. de patr. pot. — pr. I. Quibus non est permissum, facere testam.

Numeri libri et tituli, in quibus locus citatus occurrit, quaerendi sunt in alphabetico indice rubricarum titulorum harum Institutionum, eadem ratione, quam hoc respectu circa Digesta observandam esse supra notavimus.

---

[1] Id indigitavit Justinianus jam in edita de conceptione Digestorum constitutione: *Deo auctore,* d. d. 15. Dec. 530, § 11.

[2] *Hugo,* Lehrbuch der Geschichte des röm. Rechts bis auf Justinian, part. II. p. 800. sq.; *Karlowa,* Römische Rechtsgeschichte, tom. I. p. 759. sqq.; *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 183. sqq.

[3] Idem ac: expositiones seu libri. Cfr. *Hugo* l. c. p. 763. not. 3.; *Krüger* l. c. p. 184. not. 15.

[4] *Krüger* l. c. p. 184. in textu et in not. 8.

[5] *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 397.; *Krüger* l. c. p. 340. sq.

[6] Quae posita est a fronte hujus operis.

In indice rubricarum titulorum communi determinationes, spectantes ad Institutiones, signantur lit. I. Qua ratione prior locorum supra adductorum dignoscitur contineri lib. I. tit. 9., alter lib. II. tit. 12.

Apud *recentiores* jurisconsultos autem Institutiones ita citari solent. V. g. prior locorum supra adductorum: § 1. I. de patr. pot. I. 9.; vel § 1. I. I. 9.; vel etiam I. I. 9. 1.

Super quibus Institutionibus unus e contextoribus ipsarum, *Theophilus,* antecessor Constantinopolitanus, in schola juris Constantinopolitana lingua graeca praelectiones habuit, e quibus adhuc ante publicationem novi Codicis Justinianei (§ 17.) completa paraphrasis graeca earundem Institutionum orta est [1].

§ 17. Codex Imperatoris Justiniani novus [2].

Post publicatum die 7. Aprilis 529 Codicem Imperator Justinianus mox plures edidit constitutiones. Huc pertinent primum illae *triginta quattuor decisiones,* quas ille brevi post publicationem praefati Codicis, priusquam adhuc Digesta adornari coepta sunt, edidit ad solvenda dubia, quae tunc circa opiniones antiquorum jurisconsultorum romanorum versabantur [3]. Postea, recte dum Digesta adornabantur, eadem de causa, uti jam supra (p. 247.) meminimus, Imperator Justinianus *sedecim* alias ejusmodi decisiones emisit [4]. Item post absoluta Digesta Justinianus haud paucas constitutiones edidit. Quae constitutiones omnes in praefato Codice, die 7. Aprilis 529 publicato, deerant. Insuper autem etiam nonnulla ex his, quae dicto Codice continebantur, emendatione indigebant, quippe quorum alia essent aliis aequalia, alia aliis contraria, alia haud satis clara, alia manca, alia plane jam abrogata.

Quapropter Imperator *Justinianus* a. 534 *Triboniano* supra memorato mandavit, ut associatis sibi quattuor aliis jurisconsultis, ab Imperatore nominatim designatis, nimirum *Dorotheo, Menna, Constantino* et *Joanne,* Codicem illum recenseret atque compleret, plena eis collata potestate, in textu constitutionum imperatoriarum mutationes,

[1] Eam simul cum latina versione edidit *Guilielmus Otto Reitz,* jurisconsultus Germanus († 1769), Hagae Comitum (in Hollandia) 1751, 2 voll. in 4°, sub titulo: „Theophili antecessoris paraphrasis graeca Institutionum caesarearum.“ De cetero autem recentiori tempore nonnulli opus hoc praefato Theophilo abjudicandum censuerunt. De quo vide *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 362. sq.

[2] *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, tom. I. p. 74. sq.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 398. sq.; *Karlowa,* Römische Rechtsgeschichte, p. 1016. sqq.; *Krüger* l. c. p. 342. sqq.

[3] Cfr. supra p. 247.

[4] Quae quinquaginta decisiones Justiniani etiam in peculiarem collectionem redactae fuisse videntur. Id colligitur e const.: *Cordi nobis,* d. d. 16. Nov. 534, pariter in prooemio Corporis juris civ. sub tit.: *Historia juris* cet. adduci solita, § 1.; e § 3. Inst. de libert. I. 5.; e § 16. Inst. de oblig., quae ex delict. IV. 1.; e l. un. § 10. Cod. de caduc. toll. VI. 51. Cfr. *Karlowa* l. c. p. 1007. et 1017.

additiones, abbreviationes, omissiones, declarationes, quas necessarias putarent, faciendi et sic etiam plures constitutiones in unam contrahendi, nec non unam in plures partes dividendi et has partes per diversa loca distribuendi [1].

Codex ita emendatus, *Codex novus* vel *Codex repetitae praelectionis* [2] appellatus, ab Imperatore Justiniano approbatus et cit. const.: *Cordi nobis,* d. d. 16. Nov. 534, Codice veteri penitus abrogato, publicatus est, ita ut inde a die 29. Decembris a. 534 vim obligandi haberet.

Nunc Codex ille simpliciter dicitur *Codex Justiniani* vel *Justinianeus.* In Corpore juris civilis romani positus est loco *tertio.*

Divisus est in duodecim *libros,* qui subdivisi sunt in *titulos,* peculiaribus rubricis insignitos, in quorum singulis constitutiones imperatoriae, ad illum titulum spectantes, ordine chronologico, prout nempe originetenus editae fuerunt, positae sunt [3]. In lib. I. tit. 1.—13. adducuntur constitutiones imperatoriae, ad personas, res et causas ecclesiasticas pertinentes [4]; in reliquis titulis atque libris usque ad finem

---

[1] Id elucet ex ipsius const.: *Cordi nobis,* d. d. 16. Nov. 534, qua hunc Codicem publicavit, ubi is § 3. ait: „Supradictis itaque magnificis et prudentissimis viris permisimus, haec omnia (§ 2.) facere, et, si qua emendatione opus foret, hanc facerent non titubante animo, sed nostra auctoritate freti; constitutiones vero superfluas, vel ex posterioribus sanctionibus nostris jam vacuatas, vel si quae similes vel contrariae invenirentur, circumducere et a proprii Codicis congregatione separare, et tam imperfectas replere, quam nocte obscuritatis obductas nova elimationis luce detegere, ut undique non solum Institutionum et Digestorum via dilucida et aperta pateat, sed etiam constitutionum nostri Codicis plenum jubar omnibus clareat, nulla penitus nec simili, nec diversa, nec inusitata relicta constitutione.“ Cfr. *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 343. sq. Vox: *similis,* supra adducta, denotat hoc loco idem ac: *aequalis.* Id patet inter caetera e § 5. Inst. de exhaeredatione liberor. II. 13., ubi Justinianus, alludens ad suam constitutionem (in l. 4. Cod. de liberis praeterit. vel exhaeredat. VI. 28.), qua contra, ac ante illum viguerat, filias quoad jus successionis filiis omnino aequales reddidit, conceptum: *aequale jus* exprimit verbis: *simile jus,* dicens: „Nostra vero constitutio, inter masculos et foeminas in hoc jure nihil interesse existimans, . . . simplex ac simile jus et in filiis et in filiabus . . . introduxit.“

[2] *Repetita praelectio* hic loci denotat idem ac nova seu secunda evulgatio seu editio. Id patet ex his, quae *Justinianus* ipse in cit. const.: *Cordi nobis* § 3. circa hanc novam istius Codicis recensionem observat, dicens: „Supradictis itaque . . . relicta constitutione (uti supra not. 1.): cum nemini veniat in dubium, quod repetita praelectio probavit, hoc satis validum satisque esse formosum. In antiquis etenim libris non solum primas editiones, sed etiam secundas (quas repetitas praelectiones veteres nominabant) subsecutas esse invenimus: quod ex libris Ulpiani, viri prudentissimi, ad Sabinum scriptis, promtum erat quaerentibus reperire.“ Cfr. *Hugo,* Lehrbuch der Geschichte des röm. Rechts bis auf Justinian, part. II. p. 755. sq.

[3] Nonnullae tamen constitutiones collocatae in titulis sunt, ad quos pro materia sua nullatenus pertinent; quae proinde *leges fugitivae* dici solent. Porro nonnullae earum simul in pluribus titulis occurrunt; quae inde *leges geminatae* dicuntur. Cfr. *Krüger* l. c. p. 343; *Biener et Heimbach,* Beiträge zur Revision des Justinianischen Codex, Berol. 1833, p. 192. f.

[4] Libri I. tit. 1. inscriptus est: „De Summa Trinitate et fide catholica, et ut nemo de ea publice contendere audeat.“

positae sunt constitutiones, de personis, rebus et causis saecularibus praecipientes [1].

Constitutionibus, quae in singulis titulis positae sunt et quae etiam *leges* dici solent, de regula praefixum est nomen Imperatoris, *a quo,* nec non ejus personae, ad quam ipsa constitutio originetenus data est, non obstantibus mutationibus, quas in earum textu compositores hujus Codicis ex Imperatoris auctoritate fecerant [2]. In fine autem eisdem constitutionibus ut plurimum subjungitur adnotatio *loci* et *temporis,* quo originetenus editae fuerunt, exceptis nonnullis, in quibus haec adnotatio deest; quae proinde gerunt subscriptionem: *Sine die et consule* [3].

In specie praefatae quinquaginta *decisiones* Justiniani (cfr. supra p. 252.) *inscriptae* ita sunt: *„Justinianus Juliano P. P."* [4], vel: *„Justinianus Joanni P. P."* *Subscriptae* autem taliter sunt: „Lampadio et Oreste Coss." (qui est a. 530), vel: „Post Consulatum Lampadii et Orestis a. 1." (qui est a. 531), vel: „Post Consulatum Lampadii et Orestis a. 2." (qui est a. 532) [5].

Constitutiones longiores subdivisae sunt in principium (pr.) et §§, uti supra de fragmentis seu legibus Digestorum observatum est.

Citatur Codex ille apud jurisconsultos *antiquiores* ita: L. Antistitem. C. Ne sanct. baptism. iteret.

Numeri libri et tituli, ad quos locus citatus pertinet, in indice rubricarum titulorum eodem modo quaerendi sunt, uti supra hoc respectu de Digestis et Institutionibus notatum est. In indice rubrica-

---

[1] Quam dispositionem Codicis hujus e magna parte e dispositionibus Codicum Gregoriani et Theodosiani conflatam esse putat *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 342. sqq.

[2] *Schulte,* ut jam supra (p. 246. not. 7.; cfr. p. 138.) notavimus, ob talem procedendi modum, in adornanda collectione decretalium Gregoriana servatum, Raymundum de Pennaforte plane falsi arguere ausus est.

[3] Cfr. v. g. hujus Codicis lib. II. tit. 13. (de procuratoribus) l. 9.; lib. V. tit. 62. (de excusationibus etc.) l. 19.

[4] I. e. Praefecto Praetorio. Is fuit primum tantummodo praefectus seu tribunus *cohortis praetorianae,* ad tuendam et custodiendam personam Imperatoris destinatae, et hinc solummodo militari potestate instructus. Serius ei etiam alii milites subditi sunt. Et tandem etiam civilem jurisdictionem, eamque nomine et vice Imperatoris exercendam, obtinuit. Quo officio Praefecti Praetorio etiam jurisconsulti *Papinianus, Ulpianus* et *Paulus* functi sunt. Cfr. l. un. D. de off. praefect. praetor. I. 11.; l. 1. sq. Cod. eod. XII. 4.; *Karlowa,* Röm. Rechtsgeschichte, tom. I. p. 547. sqq., p. 850. sqq.; *Vering,* Geschichte und Pandekten des römischen und heutigen gemeinen Privatrechts, p. 35. et 238.; *Krüger* l. c. p. 106. et p. 277. Imperatorem *Constantinum M.* universum Imperium romanum in quattuor *Praefecturas* (Orientis, Illyrici, Italiae et Galliae) divisisse et singulis eorum *Praefectum Praetorio* praeposuisse, huic autem solummodo *civilem* potestatem commisisse, militarem *Magistro militum* tradidisse, non est, quod hic loci uberius demonstremus. Cfr. *Vering* l. c. p. 245.

[5] *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, tom. I. p. 71. § 66. In reliquum de notationibus, quae istis constitutionibus imperatoriis quandoque appositae sunt, uti v. g.: *accepta, proposita,* cfr. *Krüger* l. c. p. 276.; *Karlowa* l. c. p. 650. sqq.

rum titulorum *communi* determinationes, ad Codicem spectantes, signatae sunt lit. C.

Qua ratione locus supra citatus intelligitur esse in lib. I. tit. 6.

A *recentioribus* jurisconsultis Codex plerumque ita citari solet.: L. 1. C. Ne sanct. bapt. iteret. I. 6.; vel l. 1. C. I. 6.; vel etiam C. I. 6. 1.

Tandem adhuc notandum, nonnullos in citando Codice pro lit. *l.* (lex) adhibere lit. *c.* (constitutio). V. g., quoad locum supra citatum, ita: c. 1. C. Ne sanct. bapt. iteret. I. 6.

§ 18. Novellae Imperatoris Justiniani[1].

Etiam publicato Codice novo Imperator Justinianus usque ad annum 565, quo obiit, multas edidit constitutiones, maxime quidem lingua graeca, e parte vero etiam lingua latina conceptas[2], immo e parte utraque lingua, graeca et latina, exaratas[3], quae dictae sunt νεαραὶ διατάξεις, novellae constitutiones (i. e. constitutiones posteriores, nimirum post Codicem editae), vel etiam simpliciter *Novellae.*

Quae Novellae stylo prolixo et turgido adornatae sunt. Atque post *inscriptionem,* referentem nomen Imperatoris nec non illius personae, ad quam respectiva Novella proxime data fuit, adducitur in unaquaque Novella primum occasio seu ansa ipsius, quae Novellae pars dicitur ejus *praefatio.* Tum exponitur principalis tenor ejusdem Novellae. Denique statuuntur poenae in contravenientes et indicatur locus et tempus, quo illa Novella emissa est; quae pars Novellae hujus *epilogus* appellatur[4].

Collectio harum Novellarum *publica* seu *legalis,* ad instar Codicis, adornata non est, licet Justinianus in § 4. cit. const.: *Cordi nobis,* d. d. 16. Nov. 534, hujus rei spem fecisset. Verum *privatae* collectiones earum plures factae sunt. Et quidem prae ceteris

1. *Julianus,* in schola juristica Constantinopolitana antecessor, vivente adhuc Imperatore Justiniano[5], 124 ejusdem Novellas, ut ipse

---

[1] *Biener,* Geschichte der Novellen Justinians. Berol. 1824; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 399. sqq.; *Karlowa,* Römische Rechtsgeschichte, tom. I. p. 1018. sqq.; *Krüger,* Geschichte der Quellen u. Litteratur des röm. Rechts, p. 353. sqq.

[2] Praesertim, in quantum provinciis, lingua latina utentibus, destinatae erant. Recuperata nimirum, devictis a. 554 Ostrogothis, Italia Imperator Justinianus tres suas collectiones juris, supra expositas, illuc transmisit publicandas, et praeterea sua sanctione pragmatica (i. e. constitutione solemni; cfr. *Krüger* l. c. p. 270. sq.), quae incipit: *Pro petitione Vigilii,* d. d. 13. Aug. 554 (quae solet adduci in appendice Corporis juris civilis post 13 Edicta Imperatoris Justiniani), suas Novellas, usque tunc editas, ibidem promulgari jussit. Immo nonnullae Novellae Justiniani, utpote ad Praefectum Praetorio Italiae transmissae, ibi jam prius in usu erant. Cfr. *Krüger* l. c. p. 354. et p. 355. not. 12.

[3] *Krüger* l. c. p. 353. sq.

[4] *Karlowa* l. c. p. 1019. sq.; *Krüger* l. c. p. 354.

[5] Certe autem non ante a. 355, quia unam Novellam ex hoc ipso anno adducit. Cfr. *Krüger* l. c. p. 355.

innuit [1], e maxima parte ordine chronologico dispositas, in compendium, pro Italia destinatum, et hinc lingua latina conceptum, redegit, quod dicitur *Epitome Novellarum, Liber Novellarum* et *Epitome Juliani* [2]. Hoc Novellarum compendium etiam a Gratiano in adornando Decreto adhibitum est [3].

2. Aliquantum serius alia, eaque amplior, Novellarum collectio in publicum prodiit, quae 134 Novellas, partim graeca, partim latina lingua conceptas, non tamen in compendium redactas, uti Epitome Juliani, sed in pleno verborum tenore originali complectebatur. Recentissima illarum Novellarum ex a. 556, antiquissima ex a. 535 provenit [4]. In prioribus 127 Novellis disponendis e maxima parte ordo chronologicus servatus est, in reliquis Novellis secus.

In hac originaria forma sua autem collectio illa ad nos non pervenit, sed in forma aliquantum mutata, ita videlicet, ut Novellas graecas non in idiomate originali, sed in versione latina exhibeat. Quae quidem versio in Italia adornata esse videtur; quo tamen tempore, certo determinari nequit [5]. Auctor ejus, linguae graecae haud satis gnarus, textum graecum frequenter ad verbum in latinum vertit; unde haec versio in multis locis obscura et minus apta esse dignoscitur.

In ista forma collectio haec primum in schola juristica Bononiensi c. a. 1100 innotuit. *Irnerius,* juris doctor in illa schola [6], qui usque tunc nonnisi Novellarum Epitomen *Juliani* noverat, illam Novellarum collectionem primum in dubium vocabat; serius autem eam ratione Epitomes Juliani pro pleno et authentico Novellarum textu agnovit. Ex quo tempore ista collectio Novellarum in oppositione ad Epitomen Juliani dicitur *Corpus authenticum, Authenticum, Authentica* (num. plur.) et *Liber authenticorum,* atque singulae Novellae, in ea relatae, appellantur *Authenticae,* dum Novellae, a Juliano in compendium redactae et in ejus Epitome Novellarum positae, *Novellae Juliani* dicuntur [7]. Versio Novellarum latina, in hac collectione exhibita, ratione versionum latinarum, posterioribus temporibus confectarum, *versio vulgata* dici solet [8].

---

[1] Non 125, uti plerumque refertur. (*Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 355. not. 14.) Praeterea ibi duae Novellae, nimirum 25. et 68., binis vicibus in compendium redactae, adducuntur, ita ut Nov. 25. eadem sit cum Nov. 120., atque Nov. 68. eadem cum Nov. 97. (*Krüger,* l. c. p. 355.)

[2] Recentissime editum est hoc opus a jurisconsulto *Gustavo Haenel,* Lips. 1873, sub titulo: „Juliani Liber Novellarum."

[3] Cfr. v. g. c. 11. C. II. qu. 1.; c. 30. C. XXVII. qu. 1.

[4] *Krüger* l. c. p. 355. sq. [5] *Krüger* l. c. p. 356. sq.

[6] Infra cap. 3. art. 2.

[7] *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 490. sqq.; *Krüger* l. c. p. 356.

[8] *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, tom. I. p. 76. § 72.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 414. sq.; *Krüger* l. c. p. 356. not. 21. Quam collectionem Novellarum edidit jurisconsultus *Gust. Ern. Heimbach* (prof. jur. in Universitate Lips., † 1851), Lips. 1851, sub titulo: „Authenticum", 2 tomm. in 8°.

3. Amplissima Novellarum Justiniani collectio temporibus Imperatoris *Tiberii II.* (578—582) prodiit, quae sub nomine *Justiniani* 168 Novellas refert, quin tamen omnes reapse Novellae dicti Imperatoris sint. Etenim *quattuor* earum sunt constitutiones Imperatoris *Justini II.* (565—578), porro *tres* sunt constitutiones Imperatoris *Tiberii II.,* et *quattuor* aliae neque constitutiones imperatoriae sunt, sed tantummodo *edicta* seu *formae* (gr. τύποι) Praefectorum Praetorio [1].

Praeterea *duae* Novellae ibi binis locis positae sunt.

Porro *una* Novella ibi duobus locis adducitur, altero in lingua graeca, altero in lingua latina.

In prioribus 120 Novellis ordo chronologicus servatus est; in reliquis minime [2].

4. Collectio Novellarum a *glossatoribus juris romani saec. XII.* adornata.

Quum usque ad saec. XI. in Italia ratione Novellarum Justiniani sola *Epitome Juliani* in usu fuisset [3], inde ab initio saec. XII. ibi etiam *Authenticum* adhiberi coepit et paulatim principaliter adhiberi consuevit [4].

E qua collectione Novellarum praefati glossatores juris civilis Novellas 97 tanquam graviores selegerunt et glossaverunt [5], et reliquis Novellis Justiniani, quippe quas nullius amplius valoris et usus esse putarent, omissis, in peculiarem collectionem redegerunt, quae mox in communem usum abiit [6].

Diviserunt glossatores hanc suam collectionem Novellarum, non tamen stricte ordinis realis habita ratione [7], in 9 *Collationes* et harum singulas in *titulos,* peculiaribus rubricis, v. g. *de monachis,* insignitos, in quorum singulis singulas praedictarum Novellarum collo-

---

[1] De quibus cfr. supra p. 254. not. 4.

[2] *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 357. sq. In quodam Veneto codice ms. hujus collectionis Novellarum tanquam ejus appendix porro 13 Novellae Justiniani sub inscriptione: *Edicta* adducuntur. Duae earum, nimirum Edict. 1. et 6., jam in ipsa hac collectione Novellarum habentur, videlicet in Nov. 8. et Nov. 122., et una, Edict. 5., exhibet textum graecum Novellae 111., in ista collectione sermone latino insertae. Ex quo haec Edicta vir eruditus *Henricus Scrimgerus,* natione Scotus, professor philosophiae et juris Genevae († 1571 Genevae; cfr. *Jöcher,* Allgem. Gelehrten-Lexikon, tom. IV. col. 444.), cum collectione illa majori Genevae a. 1558 edidit, ipsa plerumque tanquam appendix hujus collectionis evulgari solent. Cfr. *Krüger* l. c. p. 358.

[3] Cfr. *Biener,* Geschichte der Novellen, p. 232. sq.

[4] *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 490. sq.; *Krüger* l. c. p. 356. 384.

[5] Cfr. infra cap. 3. art. 2. § 25.

[6] Unde Novellae illae, a glossatoribus omissae, *Novellae inutiles, extraordinariae,* et etiam *extravagantes* dici consueverunt, quia videlicet *extra* collectionem glossatorum, in communem usum deductam, vagabantur. (*Krüger* l. c. p. 384.; *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, tom. I. p. 75. § 71.)

[7] Cfr. *Biener* l. c. p. 271. sq.

caverunt, excepta Novella, quae in serie harum Novellarum sub nr. 8. occurrit, quam unam per *duos* titulos, nimirum 2. et 3. Collationis II., distribuerunt, ita ut in tit. 2. partem priorem dictae Novellae et in tit. 3. ejus partem alteram collocarent, atque sic collectio illa, Novellas 97 continens, titulos 98 obtineret.

Porro dicti glossatores Novellas, in singulis titulis positas, de regula diviserunt in *praefationem, paragraphos* (§§) et *epilogum. Praefatio,* referens ansam emittendae illius Novellae, praecedit paragraphum *primam,* et *epilogus,* continens Novellae conclusionem cum comminatione poenae in contravenientes et indicatione loci ac temporis illius Novellae originetenus emissae [1], subjungitur paragrapho ultimae.

Citari collectio ista hoc modo consuevit. V. g.: Auth. de haered. ab intest. § Si quis. Coll. IX. [2] — i. e. Authenticum, tit. de haeredibus ab intestato, § incipiens: Si quis, Collatio IX.

5. Collectio Novellarum ab *Antonio Contio* confecta.

Quum Novellae Justiniani, in collectione earum, a glossatoribus adornata, non comprehensae (extraordinariae, extravagantes) et hinc neque glossatae, vel omnino negligi vel ad summum praedictae collectioni glossatorum tanquam appendix adjungi consuevissent, *Antonius Contius,* jam supra (cfr. p. 62. et p. 43. sq.) frequenter memoratus, eas, quas, quatenus lingua graeca conceptae erant, e parte ipse in latinum verterat, collectioni Novellarum, a glossatoribus confectae, inseruit et in ea, non glossatas juxta glossatas, sub congruis titulis, numero *novem Collationum* tamen servato, collocavit, ita ut ipsae simul cum praefatis 97 Novellis, e parte glossatorum assumtis, una eademque Novellarum collectione comprehenderentur. Collectionem Novellarum, ita adornatam, idem Contius primum Lugduni a. 1571 et ibidem iterum a. 1576 edidit.

Quam dispositionem Novellarum Justiniani, a *Contio* introductam, omnes sequentes Novellarum editiones, si paucas glossatas saec. XVI. excipias, adoptaverunt [3].

Qua ratione venit, quod nunc collectio Novellarum Imperatoris *Justiniani,* quae Corpore juris civilis continetur, universim 168 Novellas refert, quae quidem Novellae per omnes 9 Collationes et 169 titulos inde a primo usque ad ultimum continua numerorum serie (non tamen *ordine chronologico*) decurrunt ita, ut Novella 1. collectionem incipiat, et Novella 168. eandem claudat [4].

---

[1] Saepe tamen haec subscriptio loci et temporis a glossatoribus omissa est. Cfr. *Biener,* Geschichte der Novellen, p. 278.; *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 385. not. 45.

[2] Quandoque in citando etiam numerus *tituli* apponi solet, ita: Coll. IX. tit. 1.

[3] *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, tom. I. p. 110. not. bbb.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 415. sq.

[4] Ad conferendam hanc numerationem Novellarum cum ea, quae in *Corpore Authentico,* et illa, quae in Novellarum collectione *glossatorum* occurrit, vide *Heimbach,* Authenticum, ed. cit. Lips. 1851, prolegg. p. DCCIV.—DCCXXVIII.

Verumtamen illae 168 Novellae, ut jam supra (p. 257.) meminimus, non omnes sunt Novellae Imperatoris *Justiniani.* Novellae enim, quae ibi sub numeris 140., 144., 148. et 149. adducuntur, sunt constitutiones Imperatoris *Justini II.* (565—578); et quae ibi occurrunt sub numeris 161., 163. et 164., sunt Imperatoris *Tiberii II.* (578—582). Quae autem ibi positae sunt sub numeris 165.—168., proprie neque sunt Novellae imperatoriae, sed tantummodo *edicta* seu *formae* Praefectorum Praetorio. Porro ibi *duae* Novellae *geminatae* seu *binis* locis positae sunt, videlicet 75. et 143., quarum prior sub nr. 104., et posterior sub nr. 150. repetita est. Praeterea ibi *una* Novella *bis* adducitur ita, ut uno loco, nimirum sub nr. 32., positus sit ejus textus graecus, et altero, sub nr. 34., ejus textus latinus [1].

Singulae Novellae hujus collectionis, quum longiores sunt, divisae sunt in *praefationem,* quae continet ansam editae illius Novellae, porro in *capita,* quae respondent *paragraphis,* in quas glossatores suae collectionis Novellas diviserunt, atque in *epilogum,* qui complectitur conclusionem Novellae cum sanctione poenae in contravenientes atque cum designatione loci et temporis, quo ipsa originetenus edita est. Insuper singula capita, si sunt longiora, in *principium* (pr.) et *paragraphos* (§§) dividuntur; id quod interdum etiam in *praefatione* et *epilogo* earundem Novellarum factum est.

Citari haec collectio Novellarum apud *antiquiores* jurisconsultos eodem modo solet, ac supra collectionem Novellarum, a glossatoribus adornatam, citari diximus. V. g.: Auth. de monachis. § Illud igitur. Coll. I. tit. 5.

Apud *recentiores* jurisconsultos autem haec Novellarum collectio plerumque citatur per numerum illius *Novellae* et per ejus *caput, praefationem* vel *epilogum,* respective per capitis, praefationis vel epilogi *principium (pr.)* et *paragraphum* (§). V. g. quoad Novellam supra citatam, ita: Nov. V. cap. 1.; Nov. V. praef.; Nov. V. epilog.; Nov. V. cap. 2. pr. § 1.

E supra dictis elucet, eas, quae nobis praesto sunt, collectiones Novellarum tantummodo *privatas* collectiones juris fuisse, et hinc singulas Novellas, iis comprehensas, per se nonnisi eum valorem habuisse, quem ex sua origine habuerunt et quem habuerunt, antequam in illas collectiones relatae sunt [2]; e contra *Digesta, Institutiones* et *Codicem* collectiones juris publicas seu authenticas fuisse [3].

---

[1] *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, tom. I. p. 75. sq.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 415. sq.; *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 357. sq.

[2] *Mackeldey* l. c. p. 77. sq. § 73. a.

[3] De mutua relatione inter has collectiones cfr. *Warnkönig,* Institutiones juris romani privati, p. 28. § 95.

CAPUT SECUNDUM.

Mutua relatio inter jus civile romanum et jus canonicum.

§ 19. Jus civile romanum jure canonico emendatum est.

Ecclesia, quum in Imperio romano existere et sua missione fungi coepisset, odio et persecutionibus undequaque impetita, jus civile romanum, licet ipsi durum et iniquum esset, tamen observavit, dummodo ipsum non adversaretur juri divino; cui quum adversaretur, Ecclesia nunquam non memor erat mandati, a divino suo fundatore Jesu Christo accepti (Matth. 22, 21.), nec non Apostolorum moniti et exempli (Act. 4, 19.; 5, 29.).

Postquam autem Deus Ecclesiae in Imperio romano feliciora oriri fecerat tempora et adimplere coeperat promissionem, eidem sub imaginibus grani sinapis atque fermenti, sensim universam massam fermentaturi (Matth. 13, 31. 33.)[1] factam: tunc Ecclesia primum illa, quae ad munus conservandi et propagandi religionem Jesu Christi, divinitus sibi demandatum (Matth. 28, 18.—20.; Joan. 20, 21.—23.), pertinent, quum Reges et Imperatores romani olim etiam *religionis* negotia omnino sibi subjecta habuissent et hac ratione etiam titulum: *Pontifex Maximus* gessissent[2], suae solius potestati vindicavit, atque constitutiones et decisiones, ab Imperatoribus romanis super illis negotiis editas, in foro suo nullam vim obligandi habere declaravit, nisi ipsa eas acceptandas censuerit[3].

---

[1] Cfr. *Luc.* 12, 32.: „Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro, dare vobis regnum.“ Porro *Joan.* 16, 33.: „In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum.“

[2] *Adam*, Handbuch der röm. Alterthümer, ex anglico in germ. vers. a *Joan. Leonard. Meyer*, ed. III. Erlang. 1818, tom. I., p. 313. not. 1. et p. 518. sqq. Successu temporis illi quidem hanc potestatem collegio pontificum, cui qui praeerat. Pontifex Maximus dicebatur, commiserunt; quod collegium tamen nonnisi delegatam sibi a Rege vel Imperatore potestatem habere dignoscebatur. De quo cfr. *Karlowa*, Römische Rechtsgeschichte, tom. I. p. 58. sq. et p. 269. sqq.

[3] Id quod inter cetera elucet ex epistola, ab *Osio*, Cordubensi in Hispania episcopo, ad Imperatorem *Constantium* (337—361), qui illi prius per litteras mandaverat, ut Arianismum agnosceret, data hujus tenoris: „Παῦσαι, παρακαλῶ, καὶ μνήσθητι, ὅτι θνητὸς ἄνθρωπος τυγχάνεις. Φοβήθητι τὴν ἡμέραν τῆς κρίσεως, φύλαξον σεαυτὸν εἰς ἐκείνην καθαρόν. Μὴ τίθει σεαυτὸν εἰς τὰ ἐκκλησιαστικά, μηδὲ σὺ περὶ τούτων ἡμῖν παρακελεύου· ἀλλὰ μᾶλλον παῤ ἡμῶν σὺ μάνθανε ταῦτα. Σοὶ βασιλείαν ὁ Θεὸς ἐνεχείρισεν, ἡμῖν τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπίστευσε. Καὶ ὥσπερ ὁ τὴν σὴν ἀρχὴν ὑποκλέπτων ἀντιλέγει τῷ διαταξαμένῳ Θεῷ· οὕτω φοβήθητι, μὴ καὶ σύ, τὰ τῆς ἐκκλησίας εἰς ἑαυτὸν ἕλκων, ὑπεύθυνος ἐγκλήματι μεγάλῳ γένῃ· ἀπόδοτε, γέγραπται, τὰ Καίσαρος, Καίσαρι, καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ, τῷ Θεῷ. Οὔτε τοίνυν ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς γῆς ἔξεστιν, οὔτε σὺ τοῦ θυμιᾷν ἐξουσίαν ἔχεις, βασιλεῦ. Ταῦτα μὲν οὖν κηδόμενος τῆς σῆς σωτηρίας γράφω. Περὶ δὲ ὧν ἐπέστειλας, ταύτης εἰμὶ τῆς γνώμης· ἐγὼ οὔτε Ἀρειανοῖς συγκατατίθεμαι, ἀλλὰ καὶ τὴν αἵρεσιν αὐτῶν

Qua ratione paulatim effectum est, ut Imperatores romani, religionem christianam professi, titulum Pontificis Maximi deponerent; id quod certe *Theodosius Magnus* (379—395), immo aliquatenus jam *Gratianus* (375—383) fecisse dignoscitur [1].

Porro Ecclesia etiam illas constitutiones juris civilis romani, quae ad negotia mere saecularia spectabant, doctrinae et praeceptis religionis christianae conformare [2] atque durum rigorem juris, e placitis

---

ἀναθεματίζω." *Latine:* „Desine, quaeso te, et memento, te mortalem hominem esse; time judicii diem, teque ipsum innoxium ad eam custodias. Ne immisceas te rebus ecclesiasticis, neve nobis de his praecipias, sed potius eas a nobis discas. Tibi Deus imperium tradidit, nobis ecclesiastica concredidit. Et quemadmodum, qui tibi imperium surripit, repugnat Deo, qui hoc ita ordinavit, ita metue, ne et tu, ea, quae sunt Ecclesiae, ad te trahens, magni criminis reus fias. Reddite, scriptum est, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo. Neque nobis igitur terrae imperare licet, neque tu adolendi potestatem habes, Imperator! Haec quidem, tuam curans salutem, scribo. Quod vero ad ea spectat, de quibus scripsisti, de illis hujus sum sententiae. Ego neque Arianis adsentior, immo haeresin eorum anathematizo." (*S. Athanas.* Histor. Arianorum ad monachos, cap. 44., Opp. edd. *Jac. Lopin* et *Bern. de Montfaucon,* Paris. 1698, tom. I. part. 1. p. 371.) — Item ex effatis Papae *Gelasii I.* (492—496), relatis in c. 10. pr. et c. 12. D. XCVI. Porro ex effato, Papae *Joanni VIII.* (872—882) adscripto, quod refertur in c. 11. ead.

[1] *Adam,* Handbuch der röm. Alterthümer, tom. I. p. 528.; *Brück,* Lehrbuch der Kirchengeschichte, ed. IV. Mogunt. 1888, p. 129. sq.

[2] Id quod prae ceteris elucet e correctione, quam Ecclesia decrevit circa juris romani institutum *praescriptionis.* Nam dum jus romanum bonam fidem tantummodo in praescriptionis exordio necessariam esse, et supervenientem deinceps malam fidem non nocere statuebat (cfr. v. g. l. un. § 3. Cod. de usucap. transform. VII. 31.; l. 10. pr. D. de usurpationibus et usucapionibus. XLI. 3.), Ecclesia, innixa effato *S. Pauli* Apostoli (Rom. 14, 23.: „Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est"), bonam fidem toto praescriptionis tempore perdurare debere sanxit. Ita declaravit Concilium generale Lateran. IV. a. 1215, et post illud Papa *Gregorius IX.* cap. 20. X. de praescriptt. II. 26. — Item e correctione, quam Ecclesia introduxit in placitis juris romani circa conjugum officium servandae *fidei conjugalis.* Dum enim jus romanum, auctoritate jurisconsulti *Papiniani* (l. 6. § 1. D. Ad leg. Jul. de adult. 48. 5.) et constitutionibus Imperatorum *Augusti, Septimii Severi* (193—211) et *Antonini Bassiani Caracallae* (211—217), relatis in l. 1. 2. Cod. eod. 9. 9., innixum, consortium sexuale *uxoris (nuptae),* habitum cum quocumque alio mare praeter ipsius maritum, sive uxorato sive soluto, pro adulterio habebat et gravissime puniebat, consortium sexuale autem *viri,* habitum cum alia femina praeter ejus uxorem, nonnisi tunc, quum haec femina esset *nupta,* nequaquam vero, quum esset *soluta,* et tali ratione *viris* luxuriae frena laxabat: Ecclesia, innixa praecepto *Jesu Christi* (Matth. 5, 32.; 19, 9.; Marc. 10, 11. 12.; Luc. 16, 18.) et effato S. *Pauli* Apostoli (I. Cor. 7, 3. 4.), quorum tenore uterque conjugum pari districtione ad servandam fidem conjugalem obligatus est, illas constitutiones juris romani reprobavit et fideles suos eis uti omnino vetuit. Id enuntiavit inter ceteros *S. Hieronymus* (Ad Oceanum de morte Fabiolae, epist. LXXVII. cap. 3., Opp. ed. *Dominicus Vallarsi,* Veron. 1734—1742, tom. I. col. 455., ex parte etiam in c. 19. 20. C. XXXII. qu. 5.), dicens: „Aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit. Apud illos (sc. Romanos) viris impudicitiae frena laxantur." — „Apud nos (sc. Christianos), quod non licet feminis, aeque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur." — Immo jam *S. Ambrosius* (in suo

ethnicismi prognatum, caritate in proximum, religionis christianae propria, animare et mitigare sategit [1].

§ 20. Jus canonicum jure civili romano auctum est.

In quantum constitutiones juris civilis romani genio fidei christianae congruebant, Ecclesia eas acceptavit easque etiam in foro suo valere jussit, seu eas, uti dici solet, *canonizavit*. Huc pertinent in specie multae constitutiones juris civilis romani, ad processum judiciarium, praesertim civilem (in oppositione ad criminalem), spectantes [2].

Porro matrimonii impedimentum, quod *adoptione* innititur et impedimentum cognationis civilis seu legalis dicitur [3].

---

opere: De Patriarchis, lib. I. de Abraham, cap. 4., Opp. ed. Paris. 1686 sqq. tom. I. col. 291., etiam c. 4. pr. C. XXXII. qu. 4.) id pronuntiavit, circa maritos christianos dicens: „Nemo blandiatur sibi de legibus hominum. Omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet. Eadem a viro, quae ab uxore, debetur castimonia. Quidquid in ea, quae non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur.“ — Porro, dum jus romanum conjugi, cujus conjux jam per quinquennium abest, nec quidquam de eo investigari potest, simpliciter ad aliud matrimonium transire permittit (cfr. l. 6. D. de divortt. 24. 2.), Ecclesia, memor existens praecepti *Jesu Christi* (Matth. 19, 6.): „Quod Deus conjunxit, homo non separet“, illud statutum juris romani rejecit et conjugem, quantocumque tempore ejus conjux absit, donec certum de ejus morte nuntium acceperit, ad aliud matrimonium transire prohibet (cfr. cap. 19. X. de spons. IV. 1.). Item constitutionum juris romani circa patriam potestatem (cfr. pr. § 1. sqq. Inst. de patr. potest. I. 9.; l. 3. 4. D. de his qui sui. I. 6.), quarum vi liberi, huic potestati subjecti (filiifamilias et filiaefamilias), sine consensu patrisfamilias nec matrimonium inire valent (cfr. l. 2. D. de rit. nupt. 23. 2.) et recens nati a patrefamilias, in extrema inopia constituto, etiam vendi possunt, immo olim ab eo omnino vel capite plecti poterant (cfr. *Mackeldey* l. c. tom. II. p. 314. sqq., praesertim p. 315. § 556.), Ecclesia convenientem christianae religioni limitationem constituit. De quo cfr. inter cetera cap. 3. in fin. de jud. in Sext. II. 1.; Concil. Trident. sess. XXIV. de reform. matrim. cap. 1.; *Benedict. XIV.*, De synod. dioec., ed. Rom. 1755, lib. IX. cap. 11. n. 2.—5.

[1] Hoc praesertim elucet e conaminibus Ecclesiae moderandi et mitigandi miseram sortem hominum conditionis servilis. De quo cfr. c. 1. 8. C. XXIX. qu. 2.; cap. 1. X. de conjug. serv. IV. 9.; porro *Möhler*, Bruchstücke aus der Geschichte der Aufhebung der Sklaverei durch das Christenthum in den ersten fünfzehn Jahrhunderten, in organo litterario periodico: *Tübinger* Theolog. Quartalschrift, ab a. 1834 (annuar. XVI.), p. 61. sqq.; p. 567. sqq.; etiam in: *Möhlers* Gesammelte Schriften und Aufsätze, ed. Ratisb. 1839 sq., tom. II. p. 54. sqq. Porro huc cfr. *Doujat*, Praenott. canonn. lib. I. cap. 3. n. 2., ed. Venet. 1717, p. 9. sqq.; *Reiffenstuel,* Jus canon. univ., tom. I. Prooem. § XI. n. 193. sqq.; *Troplong,* De l'influence du Christianisme sur le droit des Romains. Paris 1868; *Walter-Gerlach,* Lehrbuch des Kirchenrechts, p. 759. sqq. lib. VIII., inscripto: „Von dem Einfluss der Kirche auf die weltlichen Rechte.“

[2] Jam ipsae dictiones, in processu judiciario canonico occurrentes, uti: citatio, litis contestatio, sententia definitiva, interlocutoria, res judicata, appellatio, et aliae plurimae e jure civili romano assumptae sunt.

[3] De quo cfr. v. g. c. 1. C. XXX. qu. 3.; porro *Benedicti XIV.* De synod. dioec. lib. IX. cap. 10. n. 3.—5.; item *Laurin,* Das Ehehinderniss der bürgerlichen oder gesetzlichen Verwandtschaft, in: Archiv für kathol. Kirchenrecht, tom. XIX. p. 193. sqq.

Unde Papa *Lucius III.* (1181—1185) in rescripto, ad episcopum Paduanum dato (Comp. II. c. 3. de eccles. aedificand. III. 26.), et post eum Papa *Gregorius IX.* (1227—1241) in c. 1. X. de novi operis nuntiat. V. 32., palam professi sunt: „Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur."

Qua ratione inter constitutiones juris civilis romani distinguuntur aliae, quae ab Ecclesia sunt expresse approbatae; porro aliae, quae ab ea expresse reprobatae sunt; denique aliae, quae ab Ecclesia nec approbatae expresse nec reprobatae, sed silentio praeteritae sunt; quarum priores et posse et debere in ecclesiasticis legibus allegari, a secundis allegandis abstinendum esse, et tertias commemorare aliquando utile esse et laudabile, monet Papa *Benedictus XIV.*[1]

Praeterea hic notandum est, juris canonici scientiam seu disciplinam potissime ad instar et modum scientiae juris civilis romani esse constructam[2].

§ 21. Legistam indigere scientia juris canonici, et canonistam juris civilis romani.

Ex his, quae supra de mutua relatione inter jus canonicum et jus civile romanum dicta sunt, per se fluit, juris civilis romani studiosum seu legistam, qui jus civile romanum, quatenus ipsum religione christiana correctum et ejus genio animatum est, perfecte cognoscere velit, ampla et profunda juris canonici cognitione opus habere[3].

---

[1] De synod. dioec., lib. IX. cap. 10. n. 1. [2] Cfr. supra p. 45.

[3] *Scherer,* Handbuch des Kirchenrechtes, Graec. 1885 sq., tom. I. p. 114.; porro *Georg. Christianus Wolfius,* circa medium saec. XVII. in Lipsiensi Universitate professor juris, licet *acatholicus,* in suo sermone, occasione auspicandi anni scholastici super themate: „Quantum intersit reipublicae juris canonici studium" habito et Lipsiae a. 1740 edito, (p. XXVII.) hoc respectu circa jus canonicum palam professus est, ut sequitur: „Variae atque elegantes multorum casuum determinationes in jure pontificio inveniuntur, quarum multae quoque non solos Pontifices, sed alios pietate ac doctrina insignes viros, qui in synodis Lateranensibus congregati fuerunt, autores habent. Neque multum lucis inde (i. e. e jure pontificio et nominatim e decretalibus Summorum Pontificum *Alexandri III., Innocentii III., Gregorii IX.* et *Innocentii IV.*) Juri Civili accedere negari potest, cum in perplexis quaestionibus abditos illius sensus ope glossatorum eruere, in boni et aequi naturam diligenter inquirere et certam aliquam normam judicibus praescribere saepius praesules illi doctissimi cum successu tentaverint; cujus rei exempla sunt in c. Raynutius X. de testam., c. 27. et 28. X. de off. et pot. jud. del., c. ult. X. Ut lit. non cont. Aequitatis exemplum celebre satis habemus in c. 5. in fin. X. de eo, qui dux. in matrim. quam poll. per adult. Cum enim Justinianum castitatis amor abduxerat, ut in Nov. 89. c. 15. . . . liberis ex damnato coitu natis alimenta deberi negaret, atque ita virtutis illius studio paternam pietatem destruxerat, legum hunc rigorem mitigavit jus Canonicum, et innocentibus liberis prospexit." Porro idem (p. XXIX. sq.): „Multum", inquit, „aberrant, qui satis sibi esse ducunt, si juri Justinianeo incumbant, neglecto penitus jure Canonico, vel primis labris tantum gustato."

Porro exinde manifestum est, certe haud minus illi, qui plenam et solidam juris canonici cognitionem assequi velit, necessariam esse amplam et firmam juris civilis romani notitiam. Id quod etiam plurimorum virorum eruditorum, et inter hos etiam Papae *Benedicti XIV.*, testimoniis comprobatur [1].

Olim quidem Summi Pontifices quandoque viris religiosis, solemniter professis, atque clericis, in ordine presbyteratus vel in ecclesiastica dignitate, personatu vel officio constitutis, vel beneficium curatum seu parochiale habentibus, nominatim archidiaconis, decanis, plebanis [2], praepositis et cantoribus sub poena excommunicationis interdixerunt, ne studiis juris civilis romani vel artis medicinae (physicae) in Universitatibus seu Studiis generalibus vacarent [3].

Attamen hoc interdicto praefatis viris ecclesiasticis studium juris civilis romani non absolute, sed solummodo in Universitatibus, nisi qua Universitas hujusmodi speciale privilegium pontificium habeat [4],

---

[1] Ita v. g. *Melchior Canus,* O. S. D., primum Theologiae in Universitate Salmanticensi professor, tum insularum Canariensium episcopus († 1560), qui in suo opere: Loci theologici, lib. X. cap. 8., Opp. ed. Patav. 1762, p. 250. sq., hoc respectu memorat etiam vulgatum eo tempore apud Italos proverbium, secundum quod juris civilis romani peritus sine jure canonico valeat parum, juris canonici assecla autem sine jure civili romano valeat nihil (il legista senza capitolo [i. e. canone] vale poco; ma il canonista senza legge [i. e. legibus civilibus; cfr. supra p. 2.] vale niente); porro *Augustinus Barbosa*, ad cap. 10. X. Ne cler. vel monach. III. 50. n. 3., et plurimi alii ibidem allegati; *Gonzalez de Tellez,* ad cap. 3. eod. n. 3.; *Jos. Ponsius,* canonista Italus saec. XVIII., in suo opere: Jus canonicum juxta nativam ejus faciem, Fulgin. 1794, tom. I. p. 41. sqq.; porro Papa *Benedictus XIV.*, De synod. dioec., ed. Rom. 1755, lib. XIII. cap. 10. n. 12., ubi expresse edicit, „tam arctam nostro hoc tempore inter jus canonicum et civile intercedere connexionem eaque ita sese mutuo adjuvare, ut, qui optime primum nosse cupiat, alterius scientiam sibi comparare debeat". Atque e temporibus recentioribus vir eruditus summae aestimationis, saepe laudatus *Savigny* († 1861), Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 373., necessitatem scientiae juris romani pro acquirenda accurata juris canonici cognitione simpliciter tanquam rem per se evidentem ponit, dicens: „Da doch das canonische Recht ohne das römische unmöglich zu verstehen ist."

[2] I. e. parochis. Cfr. c. 3. X. de vit. et honest. cler. III. 1.

[3] Ita fecit Papa *Alexander III.* in synode Turon. a. 1163 can. 8. (Comp. I. c. 2. Ne cler. vel monach. III. 37.), et Papa *Honorius III.* epistola decretali: *Super specula*, a. 1219 ad Patriarcham Antiochenum et ceteros praelatos hujus patriarchatus data (Comp. V. cap. un. eod. III. 27.), atque post eos Papa *Gregorius IX.* capp. 3. 10. X. eod. III. 50. — Quod interdictum ratione *plebanorum (parochorum)* deinceps ipse Papa *Gregorius IX.*, et post eum Papa *Clemens IV.* (1265—1268) restrinxit ad parochos majores, eos videlicet, qui habent parochias, quibus sunt aliae parochiae incorporatae. (*Schulte,* Die Decretalen, in citt. relatt. sess. tom. LV. p. 743. sqq.; etiam supra p. 186.) Quam restrictionem Papa *Bonifacius VIII.* confirmavit et in c. 1. eod. in Sext. III. 24. reservavit.

[4] Cujusmodi privilegium nominatim Salmanticensem et Pisanam Universitates habuisse, refert *Gonzalez de Tellez* ad cit. cap. 3. X. Ne cler. vel monach. III. 50. n. 4. Ceterum de periculis et damnis, quae olim clericis et regularibus e studio juris civilis in Universitatibus plerumque imminebant, testantur inter cetera duae

et eatenus tantum prohibitum est, quatenus eos a studio S. Theologiae et a vita clericali ac regulari avertat, nequaquam autem eatenus, quatenus ab eis privatim exerceatur et quatenus eos ad colenda studia theologica et obeunda officia ecclesiastica aptiores reddat[1].

CAPUT TERTIUM.

Fata juris civilis romani in Occidente[2].

ARTICULUS PRIMUS.

Inde ab ejus exordio usque ad finem saec. XI.

§ 22. Fata juris civilis romani usque ad Imperatorem Justinianum I. (527—565) excl.

Jus civile romanum, supra expositum, in Imperio Occidentis usque ad hujus excidium, a. 476 secutum, *universim* viguit.

Verum neque cum hujus Imperii excidio in Occidente dictum jus penitus exspiravit. Etenim praeterquam quod reges populorum Germanorum, regionibus illius Imperii paulatim potiti, uti nominatim *Bajuvariorum, Burgundionum, Wisigothorum, Ostrogothorum, Longobardorum* et *Francorum,* in adornatos ab ipsis Codices juris patrii haud

epistolae *Petri Blesensis*, Bathoniensis in Anglia archidiaconi, † 1200 (*Jöcher* l. c. tom. III., col. 1456. sq.), adductae apud *Fitting*, Die Anfänge der Rechtsschule zu Bologna. Berol. et Lips. 1888, p. 126. not. a, et p. 127. not. b.

[1] Super quo *Barbosa* ad cit. cap. 10. X. Ne cler. vel monach. III. 50. n. 2. sq. notat, dicens: „Ut sacrae Theologiae studium, quod in Ecclesia catholica ad impugnandas haereses et ad fidem servandam maxime necessarium est, non intermittatur, *Honorius III.* in praesenti (sc. capite, quod e decretali Papae Honorii III. adornatum est) decrevit, ut excommunicatio, quam tulerat *Alexander III.* contra Religiosos, exeuntes ad audiendas leges vel physicam, et intra duorum mensium spatium non redeuntes, ut habetur in cap. *Non magnopere* supra hoc tit. (i e. cap. 3. X. Ne cler. vel monach. III. 50.), extendatur ad Sacerdotes, Archidiaconos, et alios personatum habentes, nisi hujusmodi studium intra duos menses dimiserint.“ — „Praedictis vero poenis, quae in hoc cap. infliguntur, non afficiuntur privatim et in Camera juri Caesareo, vel physicae operam dantes, ut melius Canonica decreta intelligant.“ Cfr. *Gonzalez de Tellez* ad cit. cap. 3. X. eod. III. 50. n. 3.; *Benedict. XIV.*, De synod. dioec., lib. XIII. cap. 10. n. 12.: porro *Zephyrinus Zitelli,* S. Congreg. de propaganda fide officialis, in suo opere: Apparatus juris ecclesiastici, Rom. 1886, p. 203. sq.; *de Angelis,* olim in scholis pontificii seminarii romani juris canonici professor, in suo opere: Praelectiones jur. can., ed. Rom. 1877 sqq., tom II. part. 2. p. 393. sq.; *Santi* (eodem olim, ac *de Angelis,* munere magisterii functus), Praelectiones jur. can., ed. Ratisb. 1886, lib. III. tit. 50. n. 1. p. 371.

[2] De fatis hujus juris in Oriente hic loci tractare, quum id ad praefixum nobis scopum haud stricte pertineat, supersedemus. Agunt de illis inter ceteros *Mackeldey*, Lehrbuch des röm. Rechts, tom. I. p. 79. sqq.; *Puchta*, Cursus der Institutionen, tom. I. p. 401. sqq.; *Karlowa*, Römische Rechtsgeschichte, p. 985. sqq.: *Krüger*, Geschichte der Quellen u. Litteratur des röm. Rechts, p. 318. sqq.; 359. sqq.

pauca ex praefato jure assumpserunt[1], id quod praesertim de Codice juris Ostrogothorum, a rege *Theodorico* (493—526) pro omnibus ipsius subditis, sive Gothis sive Romanis, condito et a. 500 publicato, qui dicitur *Edictum Theodorici*[2], valet, plures eorum pro Romanis, nunc suo sceptro subjectis, quos jure ipsorum nativo, *romano,* vivere permiserant[3], peculiares Codices juris civilis romani, quibus illi obstringerentur, adornaverunt et publicaverunt; qui codices dictione: *Lex Romana* designabantur. Ita fecerunt nominatim rex *Wisigothorum Alaricus II.* (484—507), qui a. 506 *Legem romanam Wisigothorum* seu *Breviarium Alaricianum* publicavit[4]; item reges *Burgundionum,* qui intra a. 516 et 535 hujusmodi *Legem Romanam Burgundionum,* quae etiam *Papiani Liber responsorum (Papiani Responsum)* dicitur[5], ediderunt; qui Codices juris romani neque tunc statim ex usu et valore penitus exciderunt, postquam illa regna a Francis subacta fuerant[6].

Et quod in specie *clerum* attinet, is universim per regna Germanorum in suis rebus et negotiis saecularibus jure romano, quippe quod solum illi convenire dignosceretur, vivere permittebatur[7].

Porro institutio in jure civili romano olim partim jam in scholis primordialibus seu elementaribus praestabatur, ubi scholares nominatim Legem XII Tabularum memoriae mandare debebant[8]; partim privatim apud singulos celebres jurisconsultos quaerebatur[9]; partim in scholis sic dictarum *liberalium artium,* et nominatim quidem in sic dicto *trivio* simul cum *rhetorica* tradebatur[10]; praesertim autem in peculiaribus scholis juristicis colebatur, inter quas praeter *Constantinopolitanam* et *Berytensem* in Oriente *Romana* in Occidente eminebat[11].

§ 23. Fata juris civilis romani inde ab Imperatore Justiniano I. usque ad finem sae. XI.

Jus romanum Justinianeum, uti per se elucet, proxime et proprie tantummodo pro Imperio Orientis vim et efficaciam habebat.

---

[1] *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. II. p. 1. sqq.; p. 67. sqq.; p. 83. sqq. et p. 167. sqq.

[2] *Savigny* l. c. p. 172. sqq.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, t. I. p. 383. sqq.; *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 316. sq. et p. 318.

[3] *Savigny* l. c. tom. I. p. 115. sqq.

[4] De quo cfr. *Hugo,* Lehrbuch der Geschichte des röm. Rechts bis auf Justinian, part. II. p. 958. sqq.; *Savigny* l. c. tom. II. p. 37. sqq.; *Krüger* l. c. p. 309 sqq.; etiam supra p. 17. sq.

[5] *Hugo* l. c. p. 967.; *Savigny* l. c. p. 9. sqq.; *Karlowa,* Römische Rechtsgeschichte, p. 947. sqq.; *Krüger* l. c. p. 317. sq.

[6] *Savigny* l. c. p. 83. sqq.; p. 163. sqq.

[7] *Savigny* l. c. tom. I. p. 138. sqq.; p. 141. sqq.; tom. II. p. 274. sqq.

[8] *Krüger* l. c. p. 10.; p. 51.

[9] *Krüger* l. c. p. 51.; *Fitting,* Die Anfänge der Rechtsschule zu Bologna, p. 34. sq.

[10] *Fitting* l. c. p. 15. sqq.

[11] Cfr. l. 6. § 12. D. de excusatt. XXVIII. 1.; l. 1. § 5. D. de extraord.

Ex quo autem Imperator *Justinianus* devictis *Ostrogothis* Italiam sibi subjecerat, ibidem etiam jus civile, a se sancitum, omnino valere jussit [1]. Inde ab illo tempore jus hoc propter suam praestantiam et, quia indigentiis aevi illius satisfaciebat, paulatim per universam Italiam vigere coepit [2], ibique etiam Imperio Graecorum everso, videlicet inde a saec. VIII., in vigore permansit [3], quippe quum etiam a regibus *Longobardorum*, paulatim magna parte Italiae potitis, agnitum [4], immo, quoad plura capita, etiam in ipsorum jus patrium (Legem Longobardorum) insertum esset [5].

Porro ipsum etiam in jure *Francorum* agnitum et receptum fuisse, manifeste elucet inter cetera e Capitularibus Regum Francorum [6] atque e diversis formulis contractuum aliorumque negotiorum juristicorum, in regno Francorum exaratis [7], et praesertim ex opere juristico, quod, in regno Francorum et nominatim quidem in Gallia meridionali, in territorio civitatis Valentiae (Valence), ab aliquo nunc ignoto auctore circa medium saec. XI. adornatum, communiter dicitur: *Petri Exceptiones* [8] *Legum Romanorum.* Quod opus, in quattuor libros divisum (de personis, de contractibus, de delictis et de processu judicario), ingeniose ex omnibus fontibus juris civilis romani Justinianei, videlicet *Institutionibus, Digestis, Codice* atque *Novellis,* et ex his quidem, prouti in *Juliani* Libro Novellarum referuntur, compositum est [9].

Pro institutione in jure civili romano Imperator *Justinianus* const.: *Omnem reipublicae,* die 16. Dec. 533 ad antecessores data, § 7., scholas juristicas publicas solummodo *Constantinopoli* et *Beryti* esse voluit [10].

In Occidente initio saec. XI. schola juristica in civitate Ravennatensi erecta est, quae, schola Romana tum propter insalubritatem loci, tum propter bella, quae tunc illam regionem infestabant, paula-

---

cognitt. L. 13.; l. 3. Cod. Theod. de studiis liberalibus Urbis Rom. et Constantinopol. XIV. 9.; porro *Fitting,* Die Anfänge der Rechtsschule zu Bologna, p. 35.; *Krüger,* Geschichte der Quellen u. Litteratur des röm. Rechts, p. 48. sqq. p. 346. sqq.; *Karlowa,* Röm. Rechtsgeschichte, tom. I. p. 488. sqq.; p. 672. sqq.; p. 675. sqq.; p. 1022. sqq.

[1] Id patet ex ejus Sanctione pragmatica, d. d. 13. Aug. 554, cap. 11. (Corp. jur. civil., ed. Dionys. Gothofredus. Lips. 1705, part. IV. col. 350.): „Jura insuper vel leges, Codicibus nostris insertas, quas jam sub edictali programmate in Italiam dudum misimus, obtinere sancimus: sed et eas, quas postea promulgavimus constitutiones, jubemus sub edicti propositione vulgari, ex eo tempore, quo sub edictali programmate promulgatae fuerint, etiam per partes Italiae obtinere, ut una, Deo volente, facta republica legum etiam nostrarum ubique prolatetur auctoritas." Cfr. *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. II. p. 182. sqq.

[2] *Savigny* l. c. p. 183. sqq. [3] *Savigny* l. c. p. 205. sqq.

[4] *Savigny* l. c. tom. I. p. 123. sqq.; p. 129. sq.; p. 154. sqq.

[5] *Savigny* l. c. tom. II. p. 209. sqq. [6] *Savigny* l. c. p. 104. sqq.

[7] *Savigny* l. c. p. 130. sqq.

[8] *Exceptiones* heic = excerpta. (*Savigny* l. c. p. 140.)

[9] *Savigny* l. c. p. 134. sqq. Adducitur opus hoc l. c. p. 321.—428.

[10] Italia tunc temporis nondum recuperata e manu Ostrogothorum fuit; de cetero Romae etiam sub dominatione *Ostrogothorum* schola juristica floruit. Cfr. *Savigny* l. c. tom. I. p. 459. sqq.; *Karlowa* l. c. p. 1023. sqq.

tim desolata et tandem penitus exstincta, celebris evasit et altero dimidio saec. XI. in Italia praeter *Papiensem,* ubi tamen principaliter *jus longobardicum* docebatur [1], pro jure civili romano fere sola exstitit [2]. Extra Italiam quaedam scholae juristicae solummodo in Gallia, et quidem *Lugduni* et *Aureliani,* exstiterunt [3].

ARTICULUS SECUNDUS.

Inde a fine saec. XI. usque ad praesens tempus.

§ 24. Praelectiones super eo in Bononiensi schola juristica habitae.

Quum versus finem saec. XI. Bononiae, ubi jam inde ab initio dicti saeculi XI. schola publica *liberalium artium* exstiterat [4], schola juristica erecta esset [5], in qua primum quidam jurisconsultus, nomine *Pepo,* jus civile docuit [6], et post eum *Irnerius (Hirnerius, Yrnerius, Gernerius, Wernerius, Guarnerius),* patria Bononiensis, qui ibidem prius *artes liberales,* nominatim grammaticam, dialecticam et rhetoricam docuerat [7], c. a. 1088 jus civile docere coepit et insigni activitate sua scholam illam ad sublimem celebritatis gradum evexit († haud diu post a. 1125) [8], ibidem mox super collectionibus juris civilis romani Justinianei, videlicet *Digestis, Institutionibus, Codice* atque *Novellis,* respectu habito ad emendationes et mutationes, in illo jure per jus canonicum introductas, publicae praelectiones cum repetitionibus et disputationibus habitae sunt [9], ad quas excipiendas ingens multitudo scholarium ex omnibus fere regionibus Europae Bononiam commeabat [10]; quo factum est, ut collectiones illae, per scholares, absolutis studiis in patriam reversos, in universa fere Europa divulgarentur et ab iis etiam, quum ipsi in publicis officiis et tribunalibus constituti essent, in quantum jus patrium non sufficiebat, adhiberentur et sic pedetemtim in communem usum inducerentur [11].

Ex quibus praelectionibus, repetitionibus et disputationibus paulatim varia opera litteraria super illis collectionibus adornata sunt,

---

1 *Fitting,* Die Anfänge der Rechtsschule zu Bologna, p. 40. sqq.

2 *Hugo,* Lehrbuch der Geschichte des röm. Rechts seit Justinian, ed. III., p. 94. sqq.; *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. I. p. 476. sq.; tom. III. p. 427. sqq.; tom. IV. p. 1. sqq.; *Fitting* l. c. p. 36. sqq.

3 *Fitting* l. c. p. 44. sqq. 4 *Fitting* l. c. p. 79. sqq.

5 *Savigny* l. c. tom. III. p. 159. sqq.; tom. IV. p. 20.

6 *Savigny* l. c. tom. IV. p. 6. sqq.; *Fitting* l. c. p. 81. sqq.

7 *Hugo* l. c. p. 105. sqq.; *Savigny* l. c. p. 13. sqq.; *Fitting* l. c. p. 89. sqq.

8 *Savigny* l. c. p. 18. sqq.; *Fitting* l. c. p. 91. sqq.; p. 103. sqq.

9 Uti supra (p. 47. sq.) occasione Decreti Gratiani expositum est.

10 *Savigny* l. c. tom. III. p. 250. sqq.; p. 260. sqq.; p. 270. sqq.; p. 537. sqq.; p. 552. sqq.; *Fitting* l. c. p. 111. sqq.

11 *Savigny* l. c. p. 83. sqq.

uti *Summae, Casus, Brocarda, Quaestiones, Lecturae* et alia similia [1]; uti pariter supra (p. 49. sq.) occasione Decreti Gratiani notatum est [2].

§ 25. Glossatio juris civilis romani, ejus glossatores et glossa ordinaria.

Etiam glossatae, uti supra (p. 51. sqq.) occasione Decreti Gratiani exposuimus, e parte doctorum juris civilis Bononiensium, qui modus glossandi de cetero jam ante eos viguerat [3], praefatae collectiones juris civilis romani sunt [4]. Quo in negotio viri illi omnino rationem habuerunt constitutionum juris canonici, in quantum his constitutiones juris romani emendatae vel mutatae dignoscebantur.

Inter quos glossatores prae ceteris memorandus est jam laudatus *Irnerius* [5], porro *Martinus Gosia* († 1165) [6], *Bulgarus* († 1166) [7], *Joan. Bassianus*, a canonista *Joanne Baziano*, supra (p. 53.) memorato, distinguendus († versus finem saec. XII.) [8], *Pillius* († 1208) [9], *Azo* († 1220) [10], *Hugolinus de Presbyteris* († 1233) [11] atque *Accursius*, Azonis discipulus († c. a. 1260), qui hoc respectu insuper eo meruit, quod e suis ipsius suorumque praedecessorum glossis ad praefatas collectiones juris romani completum apparatum glossarum composuit, qui in communem usum abiit et *glossae ordinariae* nomen obtinuit [12].

---

[1] *Savigny*, Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 538. sqq.; p. 566. sqq.; p. 570. sqq.

[2] Praeter dictas collectiones juris civilis romani Bononiae etiam super opere inscripto: *Duo Libri feudorum* (etiam: *Liber feudorum* et: *Consuetudines feudorum*), quod est collectio consuetudinum feudalium longobardicarum, et spectantium ad feuda constitutionum, ab Imperatoribus romano-germanicis editarum, saec. XII. adornata, praelectiones habitae sunt. Cfr. de eo *Savigny* l. c. p. 511. sq.; *Laspeyres*, Ueber die Entstehung und älteste Bearbeitung der Libri Feudorum. Berol. 1830, p. 28. not. 49.; p. 137. sqq.; *Dieck*, Literärgeschichte des Longobardischen Lehenrechts. Halae 1828, p. 15. sqq. Uterque illorum Librorum dividitur in *titulos*, qui subdividuntur in *principium* (pr.) et *paragraphos* (§§), et citatur ita; v. g.: I. F. 1. § 1., i. e. Libri I. tit. 1. § 1. — I. F. 19. pr., i. e. Lib. I. tit. 19. pr. Quod opus, una cum constitutione Imperatoris romano-germanici *Friderici II.: In die (Hac edictali)*, d. d. 22. Nov. 1220 (cfr. supra p. 123. not. 2.), glossator juris romani, nomine *Hugolinus de Presbyteris*, † 1233 (*Savigny* l. c. tom. V. p. 45. sqq.), plane novem Collationibus Novellarum tanquam *Collationem X.* adnexuit. Cfr. *Laspeyres* l. c. p. 326. sqq.; *Savigny* l. c. tom. III. p. 511. sq.; p. 524. sqq.; *Siegel*, Deutsche Rechtsgeschichte, p. 102. not. 1.

[3] *Fitting*, Die Anfänge der Rechtsschule zu Bologna, p. 55. sqq.

[4] *Savigny* l. c. p. 556. sqq.

[5] *Savigny* l. c. tom. IV. p. 6. sqq.; *Fitting* l. c. p. 89. sqq.

[6] *Savigny* l. c. p. 124. sqq. [7] *Savigny* l. c. p. 75. sqq.

[8] *Savigny* l. c. p. 289. sqq. [9] *Savigny* l. c. p. 312. sqq.

[10] *Savigny* l. c. tom. V. p. 1. sqq. Opusculum praefati auctoris, inscriptum: „Quaestiones", edidit *Ern. Landsberg*, professor juris in Universitate Bonnensi, Friburgi Brisgov. 1888.

[11] *Savigny* l. c. p. 45. sqq.

[12] *Savigny* l. c. tom. V. p. 263. sqq. Cfr. *Mackeldey*, Lehrbuch des römi-

§ 26. Authenticae Codicis [1].

Porro praefati glossatores, et praesertim quidem *Irnerius*, illis legibus novi Codicis Justinianei, quae per Novellas Imperatoris Justiniani aliquatenus mutatae sunt, ex his ipsis Novellis ea fragmenta, quibus recte haec mutatio continetur, adnexuerunt [2]. Quae fragmenta legibus Codicis ita adnexa, quippe quae ex *Authenticis*, i. e. Novellis Justiniani Imperatoris (cfr. supra p. 256.), hausta essent, dicta sunt *Authenticae* [3], et quidem *Authenticae Codicis*, quia videlicet in Codice referuntur.

Id ipsum dicti glossatores fecerunt etiam de duabus constitutionibus Imperatoris romano-germanici *Friderici I.* (1152—1190), altera, quae incipit: *Habita*, a. 1158 in comitiis Roncaliensibus in favorem Universitatis Bononiensis edita [4], et altera, cujus initium est: *Sacramenta puberum*, ut videtur, jam a. 1155 emissa [5], atque de undecim constitutionibus, vel potius undecim partibus unius constitutionis Imperatoris *Friderici II.: In die (Hac edictali)*, quam ille in die coronationis suae, videlicet 22. Nov. 1220, in favorem Ecclesiae ediderat et quam Doctoribus Bononiensibus Codici Justinianeo inserendam transmiserat [6].

Atque etiam harum constitutionum fragmenta, legibus Codicis ita adnexa, licet constitutiones istae reapse *Authenticae* non sint, *Authenticae*, et quidem *Fridericianae*, dici solent, forte ideo, quia illae constitutiones jam pridem, et quidem ab *Hugolino de Presbyteris*, supra (p. 269.) laudato, in Collationem decimam *Authentici* insertae erant [7].

Praefatae *Authenticae* etiam glossatae et tanquam partes textus Codicis reputatae sunt [8].

Quae Authenticae in recentioribus editionibus Codicis plerumque aliis quam reliquus Codicis textus litterarum formis impressae sunt.

---

schen Rechts, § 80. tom. I. p. 87. — Porro autem etiam praefati *Duo Libri feudorum*, uti in Bononiensi Universitate publice lecti, ita etiam *glossati* sunt, et quidem primum, ut videtur, a *Pillio*, supra memorato, deinde ab aliis, et inter hos nominatim a *Jacobo Columbi (Columbo)*, qui primo dimidio saec. XIII. floruit et completum apparatum glossarum ad praedictum opus composuit (*Savigny* l. c. tom. V. p. 93. sqq.; *Laspeyres* l. c. p. 363. sqq.; p. 375. sqq. et p. 284. sqq.), quem apparatum deinde *Accursius*, dum apparatum glossarum ad Corpus juris civilis, cui jam praefati Libri feudorum inserti erant (cfr. supra p. 269. not. 2.), adornabat, recensuit et e parte reformavit. (Cfr. *Laspeyres* l. c. p. 396. sqq.)

[1] *Biener*, Historia authenticarum. Lips. 1807; *Savigny*, Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 527. sqq.; tom. IV. p. 42. sqq.

[2] *Savigny* l. c. p. 42. sqq. Quae fragmenta primum in margine Codicis juxta illam legem ponebantur, serius autem ipsi textui Codicis post respectivam legem inserta sunt. Cfr. *Savigny* l. c. tom. III. p. 528. sq.; *Krüger*, Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 385.

[3] *Savigny* l. c. p. 529. sqq. [4] *Savigny* l. c. p. 531. coll. p. 168. sqq.

[5] *Savigny* l. c. tom. IV. p. 183. sqq.

[6] *Savigny* l. c. tom. III. p. 532. coll. p. 511. sqq. Cfr. supra p. 123. not. 2.

[7] *Savigny* l. c. p. 532. sq. Cfr. supra p. 269. not. 2.

[8] *Savigny* l. c. p. 527. sqq.; *Krüger* l. c. p. 385.

Porro eis praemittitur indicatio illius Novellae *Justiniani* vel constitutionis Imperatoris *Friderici I.* vel *Friderici II.*, e qua haustae sunt. Insuper Authenticae, e constitutionibus Imperatoris *Friderici I.* assumtae, immo ex parte etiam illae, quae e cit. const. *Friderici II.* proveniunt, inscriptae sunt vocibus: *Nova constitutio Friderici.*

Citari istae Authenticae Codicis ita solent, ut praemissa vocula *Auth. (entica)* ponatur ipsius Authenticae vox initialis et deinde generatim indicetur ille Codicis titulus, in quo eadem Authentica occurrit. V. g.:

Auth. *Ex complexu.* C. de incest. et inutil. nupt.[1]
Auth. *Et non observato.* C. de testam.[2]
Auth. *Habita.* C. Ne filius pro patre[3].
Auth. *Sacramenta puberum.* C. Si adversus venditionem[4].
Auth. *Cassa.* C. de sacrosanct. ecclesiis[5].
Auth. *Gazaros.* C. de haeret.[6], et
Auth. *Omnes peregrini.* C. Communia de success.[7]

Quae tres postremo adductae Authenticae sunt *Friderici II.* et plerumque inscriptionem: *Nova constitutio Friderici* habent[8].

Hujusmodi Authenticae interdum etiam *Institutionibus,* immo vel ipsis *Novellis* Justiniani adjectae a glossatoribus fuisse dignoscuntur[9].

§ 27. Jus civile romanum in Germania pro jure communi receptum[10].

Insuper jus civile romanum, ita, uti supra (p. 260. sqq.) meminimus, jure canonico emendatum atque a professoribus in Bononiensi Universitate expositum et glossatum, inde a saeculo XII. paulatim in Germania, volentibus et agentibus ipsis Imperatoribus romano-germanicis, et nominatim quidem *Friderico I.,* nec non in aliis ditionibus Europae, quatenus illis peculiare jus patrium non sufficiebat, pro jure civili (communi) receptum et observatum est[11],

---

[1] Post l. 6. C. de incest. et inutil. nupt. V. 5. (sumta e Justinian. Nov. 89. cap. 15).

[2] Post l. 29. C. de testam. VI. 23. (hausta e Justinian. Nov. 119. cap. 9.).

[3] Post l. 5. C. Ne filius pro patre. IV. 13. (e const. Imperatoris *Friderici I.*).

[4] Post l. 1. C. Si adversus venditionem. II. 28. (item e const. Imp. *Friderici I.*).

[5] Post l. 12. Cod. I. 2. (hausta e cit. const. Imp. *Friderici II.*).

[6] Post l. 19. Cod. I. 5. (item e cit. const. *Friderici II.*).

[7] Post l. 10. Cod. VI. 59. (item e cit. const. Imp. *Friderici II.*).

[8] In reliquum cfr. *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, § 81. sq. tom. I. p. 88. sq.

[9] *Mackeldey* l. c. § 83. tom. I. p. 89.

[10] *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p. 83. sqq.; *Böcking,* Pandecten des römischen Privatrechts, ed. II. Bonnae 1853, tom. I. p. 114.; *Mackeldey* l. c. § 93.; *Siegel,* Deutsche Rechtsgeschichte, p. 88. sqq., et auctores ibidem citati.

[11] Quod in specie *Germaniam* attinet, ibi jus civile romanum, quatenus in Universitate Bononiensi traditum atque glossatum fuit, non solum ab officialibus et

donec ibi inde ab altero dimidio saec. XVIII. peculiares codices civiles adornati et publicati sunt, uti v. g. in *Borussia* a. 1794 sub titulo: *Allgemeines Landrecht,* in Gallia a. 1803 sq.: *Code civil,* in Austria a. 1811: *Allgemeines bürgerliches Gesetzbuch* [1].

Quod jus civile romanum Justinianeum, quatenus jure canonico emendatum et a professoribus juris Bononiensibus glossatum atque in Germania pro jure communi receptum est, *Jus pandectarum* (Pandektenrecht), vel etiam *Pandectae juris civilis romani,* e contra ipsum

---

judicibus, in Universitate Bononiensi ipsum edoctis, in praxi forensi applicatum, sed etiam ab ipsis Imperatoribus, qui se successores antiquorum Imperatorum Romanorum, Constantini Magni, Valentiniani, Justiniani et reliquorum, habebant et constitutiones suas continuationem legislationis illorum existimabant, et praesertim quidem a *Friderico I.,* publice et solemniter pro lege agnitum est. Ita Imperator *Fridericus I.* in constitutione sua de bonis clericorum ab a. 1165 (apud *Pertz,* Monumenta Germ. hist. Leg. tom. II. p. 139.) ait: „Nos . . . praedecessorum nostrorum divorum imperatorum, Magni Constantini videlicet et Justiniani et Valentiniani, nec non Karoli et Ludowici, vestigiis inhaerentes et sacras leges eorum tanquam divina oracula venerantes“ cet. Atque in sua ordinatione seu constitutione contra incendiarios ab a. 1187 (apud *Pertz* l. c. p. 185.) de hac ipsa: „Eam“, inquit, „legibus praedecessorum nostrorum imperatorum atque regum jussimus interseri et perpetuo jure servari.“ Porro huc pertinet similis constitutio ejusdem Imperatoris *Friderici I.* ab a. 1172 (vel potius ab a. 1162), in *Canciani,* Barbarorum leges antiquae, ed. Venet. 1781 sqq., vol. V. p. 47. sq., nec non in editione Corporis jur. civil. stereotypa, cura jurisconsultorum *Kriegel, Herrmann* et *Osenbrüggen* Lips. 1833 sqq. evulgata, vol. III. p. 886. tit. IV. adducta, quam memorat etiam *Fitting,* Die Anfänge der Rechtsschule zu Bologna, p. 109. not. h. Illae partes juris civilis romani autem, quae a professoribus Bononiensibus expositae et glossatae non sunt (eas refert *Arndts,* Lehrbuch der Pandekten, ed. XIII. Stuttgart. 1886, § 2. not. 3.), in Germania vim legis non obtinuerunt. Unde orta est dictio: *„Quod non agnoscit glossa, non agnoscit curia.“* (*Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III. p 420.; p. 588. sq.) Partes juris civilis romani, ita in Germania pro jure civili receptae, una cum spectantibus ad eas partibus Corporis juris canonici, videlicet Decreto Gratiani, Decretalibus Papae Gregorii IX., Libro Sexto Papae Bonifacii VIII. et Constitutionibus Papae Clementis V., — collectionibus Viginti Extravagantium Papae Joannis XXII. atque Extravagantium communium *exclusis,* — vocibus: *jus commune* (gemeines Recht) et *jus scriptum* (geschriebenes Recht, etiam in numero plurali: geschriebene Rechte) designari consueverunt. Cfr. huc recessum Imperii ab a. 1342 (apud *Emminghaus,* Corpus Juris Germanici tam publici quam privati academicum, ed. II. Jenae 1844 sqq., part. I, p. 58.). Porro ordinem processus *tribunalis Camerae Imperii* (Reichskammergericht) ab a. 1495 (apud *Böcking* l. c. tom. I. p. 114. sq. not. 76.). Praeterea propositionem, a Cardinali *Alamano Adimaro* in Concilio Constantiensi factam (*Hardt,* Magnum oecumen. Constant. Concilium, ed. Francof. et Lips. 1699 sq., tom. I. part. X. p. 557.). Item propositionem, ibidem a Cardinali *Zabarella,* ut videtur, in medium adductam (*Hardt* l. c. tom. I. part. IX. p. 521.). Item declarationem Papae *Martini V.,* in Concordato cum *Natione germanica* inito factam (*Hardt* l. c. tom. I. part. XXIV. p. 1059.). Atque etiam *Concordatum Viennense* seu *Aschaffenburgense* ab a. 1448 (apud *Gaertner,* Corpus juris eccl. Catholicorum novioris, quod per Germaniam obtinet. Salisburg. 1797—1799, tom. I. p. 122.).

[1] *Arndts* l. c. §. 1. not. 2. Immo, uti notum est, nunc recte id agitur, ut communis pro universo Imperio germanico codex civilis sanciatur.

jus purum, in quantum videlicet a Justiniano Imperatore sancitum est, *Jus institutionum* (Institutionenrecht) vel etiam *Institutiones juris civilis romani* a jurisconsultis dici consuevit [1].

CAPUT QUARTUM.

Corpus juris civilis romani.

§ 28. Notio et ambitus Corporis juris civilis romani.

Supra (§§ 15.—18.) memoratae quattuor collectiones juris civilis romani Justinianei, videlicet *Institutiones, Digesta (Pandectae), Codex novus* atque *Novellae*, simul sumtae *Corpus juris civilis romani,* vel, uti communiter fit, in oppositione ad Corpus juris *canonici* simpliciter *Corpus juris civilis* dicuntur [2]. Quae quidem dictio jam saec. XIII. adhibita est [3].

Plerumque autem editionibus Corporis juris civilis plura additamenta adjungi solent, uti 13 Edicta Imperatoris *Justiniani I.,* supra (p. 257. not. 2.) memorata, 5 constitutiones Imperatoris *Justini II.* (565—578), nonnullae constitutiones Imperatoris *Tiberii II.* (578—582), nonnullae aliae constitutiones Imperatoris *Justiniani I.*, et inter eas nominatim ejus Sanctio pragmatica, cujus initium: *Pro petitione Vigilii,* d. d. 13. Aug. 554, supra (p. 267. not. 1.) memorata, porro praefati *Duo Libri feudorum,* cit. constitutio Imperatoris *Friderici II.,* in die coronationis ejus, die 22. Nov. a. 1220, in favorem Ecclesiae edita, et alia [4].

§ 29. Editiones Corporis juris civilis romani generatim [5].

Editionum Corporis juris civilis romani aliae sunt cum glossa, aliae sine glossa.

Et editiones priores, glossatae, plerumque *quinque,* quandoque *sex* voluminibus in fol. (volumine sexto indicem generalem continente) constant, quorum *primum* continet Digestum vetus; *secundum* Infortiatum; *tertium* Digestum novum; *quartum* Codicis libros I.—IX., et

---

[1] *Arndts,* Lehrbuch der Pandekten, § 1.; *Vering,* Geschichte und Pandekten des römischen und heutigen gemeinen Privatrechts, ed. V. § 2.

[2] *Savigny,* Geschichte des röm. Rechts im Mittelalter, tom. III., p. 516. sq.; *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, tom. I. p. 103. § 97.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 417. sqq.

[3] *Savigny* l. c. p. 517. not. a; *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 385.

[4] De quibus cfr. *Mackeldey* l. c. p. 110. § 103.

[5] *Puchta* l. c. p. 419. sq.; *Krüger* l. c. p. 386. sqq. — Quod attinet ad *Codices mss.* singularum partium Corporis juris civilis romani, de illis vide: *Savigny* l. c. tom. III. p. 446. sqq.; *Mackeldey* l. c. §§ 98. sqq. tom. I. p. 104. sqq.; *Puchta* l. c. p. 407. sqq.; *Krüger* l. c. p. 377. sqq.

quintum, quod ratione exigui ambitus sui in oppositione ad reliqua volumina dici solet *Volumen legum parvum,* vel etiam simpliciter *Volumen,* complectitur Codicis tres libros ultimos, X.—XII., Authenticum seu Novellas (168) Imperatoris *Justiniani I.*, Libros Feudorum (sub inscriptione: Consuetudines feudales); porro sub inscriptione: „De statutis et consuetudinibus contra libertatem Ecclesiae editis“ cet. praefatam constitutionem Imperatoris *Friderici II: In die (Hac edictali),* d. d. 22. Nov. 1220; item nonnullas constitutiones imperatorias, quae *extravagantes* dici et quandoque etiam tanquam Novellarum Collatio XI. designari solent, et nominatim quidem Imperatoris *Henrici VII.* (1308—1313) const.: *Ad reprimendum*, praecipientem, quomodo in crimine laesae Majestatis sit procedendum, et aliam: *Quoniam nuper,* d. d. 2. April. 1312, declarantem, qui sint rebelles; porro Imperatoris *Friderici I.* const.: *Imperialis clementiae,* d. d. 25. Jun. 1183, de pace *Constantiae* composita, atque Imperatoris *Justiniani* Institutiones [1].

Et primum quidem singula illa volumina peculiarem titulum obtinuerunt, videlicet secundum materiam, quam comprehendebant, uti v. g. volumen I.: Digestum vetus; vol. II.: Infortiatum, e. s. p. Serius autem omnia simul communem titulum: *Corpus juris civilis* acceperunt, et singula volumina tanquam *partes* Corporis juris civilis designata sunt, uti v. g. vol. I. ita: Corpus juris civilis. Pars I. Digestum Vetus; vol. II.: Corpus juris civilis. Pars II. Infortiatum, e. s. p.

Editiones autem Corporis juris civilis sine glossa, plerumque in 4°, quandoque in 8°, vel etiam in fol., potissimum e duobus vel tribus, aliquando etiam e pluribus voluminibus constant.

§ 30. Editiones Corporis juris civilis romani cum glossa [2].

Inter editiones Corporis juris civilis romani *cum glossa* memoranda est:

1. illa, quam adornavit *Dionysius Gothofredus,* jurisconsultus Gallus († 1622) [3]; quae prodiit primum *Lugduni* 1589 et iterum ibid. 1604 in 6 tomm. in fol., *sine* communi titulo: *Corpus juris civilis;* deinceps ibidem iterum a. 1612, item in 6 tomm. in fol., attamen jam *cum* communi illo titulo: *Corpus juris civilis.*

2. Ea, quae prodiit *Lugduni* 1618, 6 voll. in fol.

3. Illa, quam curavit *Joannes Fehius*, jurisconsultus Belga

---

[1] In editione Corporis juris civilis glossata, Lugduni a. 1618 evulgata, haec, quae, supra volumine *quinto* contineri diximus, referuntur in vol. 4., et vicissim.

[2] *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, § 104. tom. I. p. 111.; *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 419.; *Krüger*, Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 386. sqq.

[3] *Hugo,* Lehrbuch der Geschichte des röm. Rechts seit Justinian, p. 353. sqq.

saec. XVII.[1], quae prodiit *Lugduni* 1627 in 6 tomm. in fol. Haec est editionum Corporis juris civilis glossatarum hucusque novissima[2].

§ 31. Editiones Corporis juris civilis romani sine glossa[3].

Inter editiones Corporis juris civilis romani *sine glossa* distinguendae sunt illae, quae habent exegeticas notas *Dionysii Gothofredi,* supra memorati, ad marginem vel infra textum appositas, atque illae, quae his notis carent.

Inter prioris speciei editiones eminet

1. illa, quam publici juris fecit ipse *Dionysius Gothofredus* Lugd. 1583 in 4°, quae jam communem titulum: *Corpus juris civilis* gerit. Porro

2. illa, quam curavit *Jacobus Gothofredus,* praefati *Dionysii Gothofredi* filius († 1652), quae prodiit Genevae a. 1624, 2 tomm. in fol. Item

3. illa, quam *Simon van Leeuven,* jurisconsultus Belga saec. XVII., evulgavit *Amstelodami* 1660 in fol.; quae iteratis vicibus repetita est, uti *Lipsiae* 1705, 1720 et 1740, in 4°.

Inter alterius speciei editiones Corporis juris civilis romani prae ceteris memorandae sunt

1. et quidem ob venustatem typorum, illae, quae prodierunt *Amstelodami* e typographia fratrum Elzevirorum, annis 1664, 1681, 1687 et 1700 in 8°, quarum prima, ab a. 1664, insuper notabilis est errore typi, in inscriptione libri V. Digestorum tanquam Digestorum *partis secundae*[4] obvio, nimirum: „Pars secund*us*.“ Porro

2. illa, quam in usum scholarum curavit *Christophorus Henricus Freiesleben,* supra (p. 233.) occasione Corporis juris canonici memoratus, quae prodiit sub titulo: „Corpus juris civilis academicum“, Altenburgi a. 1721, Coloniae Munatianae (Basel) a. 1734, et iterum ibid. a. 1759, 2 tomm. in 4°.

3. Editio, quam curavit *Joan. Ludov. Guil. Beck, Lips.* 1825 sqq., 6 voll. in 8°.

4. Editio stereotypa, quam adornaverunt eruditi fratres *C. J. Albertus* et *C. Mauritius Kriegel* (qui curaverunt Institutiones et Digesta), porro *Aemilius Herrmann* (qui paravit Codicem) atque *Eduardus Osenbrüggen* (qui Novellas curavit); quae editio primum prodiit Lips. 1833 sqq., 3 voll. in 4°.

5. Alia editio stereotypa, priori praestantior, quae cura eruditorum *Pauli Krüger* (Institt. et Codex), *Theodori Mommsen* (Di-

---

[1] *Hugo,* Lehrbuch der Geschichte des röm. Rechts seit Justinian, p. 354.

[2] *Puchta,* Cursus der Institutionen, tom. I. p. 419.

[3] *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, § 105.; *Puchta* l. c. p. 419. sq.; *Krüger,* Geschichte der Quellen und Litteratur des röm. Rechts, p. 387. sqq.

[4] Cfr. supra p. 249. not. 4.

gesta) atque *R. Schöll* (Novellae) evulgatur Berolini 1868 sqq., 3 voll. in 4°, Cujus editionis hucusque plene prodierunt vol. I., referens Institt. et Digesta, et vol. II., continens Codicem, et quidem utrumque *quarta vice,* vol. I. a. 1886 et vol. II. a. 1888. Voluminis III., complexuri Novellas, inde ab a. 1880—1886 tres fasciculi prodierunt, continentes Novellas I.—LXXX.

§ 32. Opera exegetica ad Corpus juris civilis romani [1].

Ex numerosis operibus exegeticis ad Corpus juris civilis romani hoc loco memorentur inter cetera

I. pro *Institutionibus,*

1. *Jacobi Cujacii,* jurisconsulti Galli († 1590) [2], Notae priores et posteriores in Institutiones. Colon. Agripp. 1592.

2. *Franc. Hotomanni* († 1590) Comment. ad Institutiones. Basil. 1659.

3. *Jani a Costa* († 1637) Comment. ad Institutiones. Paris. 1659.

4. *Arnoldi Vinnii,* jurisconsulti Belgae († 1657), Commentarii in IV Libros Institutionum imperialium. Lugd. Batav. 1726.

5. Institutionum libri IV. Commentario perpetuo instruxit *Eduard. Schrader,* Berol. 1832.

II. Pro *Digestis,*

1. *Franc. Duareni* († 1559) Commentarii in varios Digestorum libros et titulos, Opp. ed. Francof. 1598, p. 1.—1026.

2. *Jacobi Cujacii* Comment. in quosdam Pandect. titulos, Opp. ed. Neapol. 1722—1727, tom. I. p. 893. sqq.

3. *Joan. Brunnemanni,* prof. jur. in Universitate Francofurt. ad Viadr. († 1670), Commentarius in Pandectas. Lips. 1714.

III. Pro *Codice,*

1. *Antonii Perez* († 1672) Praelectiones in Codicem. Colon. Agripp. 1661, 2 tomm. in 4°.

2. *Joan. Brunnemanni* Comment. in XII libros Codicis. Lugd. 1669.

3. *Petr. et Franc. Pithoei* [3] Comment. ad Codicem Justinian., cura *Franc. Desmares,* Paris. 1689.

IV. Pro *Novellis,*

1. *Conradi Rittershusii,* prof. jur. in Universitate Altorfina in Franconia Bavariae († 1613), Jus Justinianeum cum Novellis Justiniani Imperatoris. Argentinae 1615, 1629 et 1669. Quo opere tamen auctor, utique acatholicus, haud raro in Ecclesiam catholicam maligne invehitur.

---

[1] *Mackeldey,* Lehrbuch des röm. Rechts, § 111. tom. I. p. 119. sqq.; *Arndts,* Lehrbuch der Pandekten, § 16.

[2] *Hugo,* Lehrbuch der Geschichte des röm. Rechts seit Justinian, p. 300. sqq.

[3] Quorum supra (p. 72.) occasione Decreti Gratiani mentio facta est.

2. *Jacobi Cujacii* Expositio Novellarum constitutionum Justiniani, Opp. cit. ed. Neapol. 1722—1727, tom. II. p. 1017. sqq.

§ 33. Lexica juris civilis romani.

Inter lexica juris civilis romani hic memoranda sunt

1. *Barnabae Brissonii,* jurisconsulti Galli († 1591), De verborum, quae ad jus pertinent, significatione. Lugd. 1559; Halae Sax. 1743; Hamburg. 1778 et Kiliae 1813.

2. *Joan. Calvini (Kahl),* prof. jur. in Univers. Heidelberg. saec. XVII., Magnum Lexicon juridicum, juris . . . caesarei simul et canonici. Colon. Allobrog. (Genevae) 1734, 2 tomm. in fol.

3. *Dirksen,* prof. jur. Berolin. († 1868) Manuale latinitatis fontium juris civilis Romanorum. Berolin. 1837.


4. *Heumann,* Handlexicon zu den Quellen des römischen Rechts, ed. VI. Jenae 1884.

§ 34. Versio germanica Corporis juris civilis romani.

Versio germanica Corporis juris civilis romani prodiit cura virorum eruditorum *Caroli Otto, Brunonis Schilling* et *Caroli Friderici Sintenis,* Lips. 1830 sqq., 7 tomm. in 8°, sub titulo: „Corpus juris civilis in deutscher Uebersetzung.“

INDEX.

Numeri proxime post *comma* positi *notas*, reliqui *paginas* designant.


HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 049 714 017


CIRCULATE

